BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
2 B
22

14. 16. 6. 6

m
1
20

Digitized by Google

CURSUS
PHILOSOPHICUS

Ad uſum Studentium totius Ordinis Minorum.

TOMUS TERTIUS,

Complectens tam Libros de Generatione, & Corruptione, quàm Libros de Anima, necnon & Metaphyſicam;

AUCTORIBUS

FR. PETRO A S. CATHARINA
E T
FR. THOMA A S. JOSEPH
Ejuſdem Ordinis Strictioris Obſervantiæ, Provinciæ S. Joſeph Diſcalceatorum in Hiſpania, Sacræ Theologiæ Lectoribus.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMAN

VENETIIS, MDCCXIV.
Apud Paulum Balleonium.
Superiorum permiſſu, ac Privilegiis.

PRÆLUDIUM QUODDAM.

ARiſtotelis veſtigia, quantum potuerimus, quoad omnia ſectari intendentes, ordinem etiam, quem ipſe in his tractatibus ſervat, haud tranſgredi conamur; quod ut executioni mandemus, præſentem de generatione, & corruptione, ſeu (quod idem eſt) de ortu & interitu rerum naturalium, modo ſtatuimus; ab octo enim libris de phyſico auditu, ſeu auſcultatione, in quibus de ente naturali in communi, prout hoc in ſe continet principium motus & quietis, diſputavit; ſimiliterque à quatuor libris de cœlo, & mundo, in quibus de eodem ente naturali in ſpeciali, prout nempè in ſe continet principium motus, & quietis localis, egit; immediatè tranſit Philoſophus ad duos de generatione & corruptione, in quibus de ente etiam naturali, ut in ſe habente principium generationis, corruptionis, alterationis, augmentationis, & miſtionis, agit.

Hic tractatus in duos ab Ariſt. bipartitur libros; quorum in primo de natura ſubſtantialis generationis, & corruptionis, aliiſque motibus ad ipſam ſpectantibus, cuiuſmodi ſunt alteratio, nutritio, augmentatio, &c. agit; in ſecundo autem circa naturam corporum ſimplicium, qualia ſunt elementa; atque circa horum qualitates, quatenus per iſtas unius in aliud, aut duorum in tertium ſubſtantialis fit tranſmutatio, diſputationem inſtituit; quem ordinem etiam & nos obſervabimus.

Adæquatum utriuſque prædicti libri ſubiectum, ſeu objectum (omiſſis pluribus, & variis circa hoc placitis, quæ apud noſtrum Maſtrium in quęſt. Proęmiali ad hos libros videri poſſint)

eſt corpus naturale commune ad ſimplex, & miſtum, quatenus generabile, & corruptibile, ſeu ut radicaliter mobile motu generationis, & corruptionis. Quod oſtenditur ſic; idem, quod eſt obiectum alicuius totalis ſcientiæ, debet eſſe objectum partis illius, ſub aliqua tamen peculiari ratione; ſed objectum totius Phyſicæ (quæ eſt quædam totalis ſcientia) eſt corpus naturale, ſeu mobile, ut in diſput. proœm. Phyſicæ manet probatum; v. g. idem debet eſſe huius tractatus (qui, ut ex ſe conſtat, eſt quædam Phyſicæ pars) objectum; ſub aliqua tamen peculiari ratione; ſed hæc alia eſſe nequit niſi generabilitas ſubſtantialis; cæteri namque motus, de quibus etiam in præſenti eſt agendum, uti ſunt alteratio, intenſio, augmentatio, &c. aut ordinantur, aut ſubſequuntur ad ſubſtantialem generationem, quare in ordine ad iſtam à Phyſico conſiderari debent; v. g. corpus naturale, prout generabile, eſt horum librorum, ſeu iſtius tractatus adæquatum obiectum.

LIBER PRIMUS
DE GENERATIONE & Corruptione.

PRæſentem librum in ſeptem diſſecabimus diſputationes. Quarum prima verſabitur circa generationem entis naturalis. Secunda circa eius corruptionem. Tertia circa alterationem. Quarta circa augmentationem, & nutritionem. Quinta circa rarefactionem, & condenſationem. Sexta circa actionem, & reactionem. Septima denique circa miſtionem. Et quamvis apud aliquos prius diſputetur de alteratio-

ratione, quam de generatione, eo quod hæc ſit poſterior natura illa; nos autem Ariſtotelicum ordinem ſectando, prius de generatione, quam de quovis motu ad ipſam ſpectante, diſputare aggredimur; tum quia generatio omnes alios motus ſuperat dignitate; tum etiam quia illius cognitio ad eorum notitiam valdè conducit.

DISP. I.

De generatione ſubſtantiali.

PRæjacta huius diſputationis inſcriptio ſupponit, & benè, dari de facto in rerum natura generationem ſubſtantialem. Quæ veritas adeo in proſpectu eſt apud omnes, tam Theologos, quam Philoſophos, ut nullus ſanæ mentis circa illam audeat dubitare; nam præterquam quod illam expreſsè docet Ariſt. 1. Phyſic. & 1. de generat. contra aliquos Philoſophos antiquos nullam dari ſubſtantialem generationem, ſed omnes eſſe accidentales, aſſerentes, eam ipſamet ocularis demonſtrat experientia. Quid enim manifeſtius, quam homines, aliaque animalia in diem oriri; atque interire; ex arbore fructus produci; granum frumenti humi mandatum corrumpi, ex eoque corrupto ſpicam pullulare; lignum comburi, & ignem fieri? Nonne has, aliaſque huiuſcemodi mutationes, in quibus nedum ſola accidentia acquiruntur, vel ammittuntur, verum & veræ formæ ſubſtantiales, quia per eas res naturales verè ſubſtantialiter incipiunt, & deſinunt, quotidie videmus? Datur ergo vera, realis ſubſtantialis generationis exiſtentia; & quia in tam trita, apertaque veritate amplius immorari haud licet, ad illius indagandam naturam ſtatim progrediamur.

QUÆSTIO I.

Quanam ſit generationis ſubſtantialis natura?

1 NOtandum eſt pro intelligentia quæſt. generationem tripliciter accipi poſſe Primò latiſſimè, pro quavis nempe productione rei cum dependentia a ſubiecto: qua in acceptione *generatio* comprehendit etiam quamlibet accidentalem productionem. Secundò ſtrictiſſimè, pro ſola ſcilicet viventium productione, quam in proprio loco infra definiemus. Tertio denique ſumitur generatio, nec tam latè, ſicut in prima acceptione, nec tam ſtrictè, ſicut in ſecunda, nimirum pro productione formæ ſubſtantialis: quo pacto de illa agimus in præſenti.

2 Notandum eſt ſecundo, quod Ariſt. varias generationis definitiones nobis propoſuit; nam 8. Phyſic. cap. 7. ſic illam deſcribit: generatio *eſt mutatio de non ente* (id eſt, a privatione formæ ſubſtantialis) *ad ens* (id eſt ad formam ſubſtantialem, cum qua materia facit unum ens ſimpliciter.) Deinde in hoc libro cap. 4. ſic generationem definit: *eſt mutatio totius in totum, nullo ſenſibili remanente, ut ſubiecto eodem.* Quod idem eſt, ac dicere, quod generatio eſt tranſitus materiæ ab eſſe unius compoſiti ad eſſe alterius compoſiti, abſque eo quod ens naturale completum (quod antonomaſticè ſenſibile appellatur) idem maneat ſub utraque ſubſtantiali forma. In hoc etiam libro cap. 5. ſic illam declarat; generatio *eſt mutatio a ſubſtantia in potentia* (hoc eſt, a materia prima) *ad ſubſtantiam in actu* (hoc eſt, ad formam.) An iſtæ definitiones quidditatem generationis exprimant, ex infra dicendis ſatis patebit.

3 Notandum eſt tertiò cum Scoto in 1. diſt. 2. quæſt. 7. lit. K. & diſt. 5. q. 2. lit. E. quod generatio

tio dupliciter conſiderari poteſt, nempè & in ratione productionis, & in ratione mutationis. In ratione productionis præciſè, importat tantum productionem termini ſubſtantialis dependenter à ſubjecto; quin hoc præſupponatur in aliqua duratione cum privatione talis formæ de novo productæ. In ratione mutationis præſefert quidem productionem termini ſubſtantialis dependenter à ſubjecto, taliter, quòd hoc ſupponatur pro aliqua duratione cum privatione formæ noviter productæ: quas rationes nullatenus confundi docet ipſe Doctor ubi ſup. ſunt enim valde diverſæ, etiamque ad invicem ſeparabiles, ita quod inveniri poteſt generatio in ratione productionis, quin adſit generatio in ratione mutationis, ut ex infrà dicendis apertè conſtabit. Ex qua doctrina manifeſtè apparet, tertiam definitionem generationis ſupra ex Philoſopho allatam rectè, quidditativèque exprimere naturam generationis in ratione mutationis inſpectæ, non autem in ratione productionis præciſè conſideratæ; prima enim deficit ex eo quòd etiam generationi, ſeu mutationi accidentali conveniat; quia hæc quoque eſt à non ſubjecto in ſubjectum, id eſt, ex termino negativo in poſitivum; nam benè dicimus, ex non albo fieri album.

4. Secunda etiam ſupra allata generationis definitio, nempè, *eſt mutatio totius in totum, &c.* non benè explicat ſolius generationis ſubſtantialis naturam, eo quòd omnia illius verba poſſunt competere tranſubſtantiationi Euchariſtiæ; ibi enim mutatur totum in totum, videlicet panis in corpus Chriſti D. & quamvis accidentia panis remaneant, non tamen ut ſubjectum. Deinde per iſtam non benè exprimuntur termini *à quo, & ad quem* generationis. De primo patet; quia per ſe terminus *à quo* generationis non eſt totum præcedens, quod deſinit eſſe; eſt enim per accidens generationi terminus *à quo*

poſitivus; nam ſi exiſteret materia denudata omni forma (ut eſt poſſibile) in quam poſſet aliquod agens operari, propriamque inducere formam, æquè benè exerceretur actus generationis; quia per ſe terminus *à quo* illius eſt privatio in materia præcedens. De ſecundo, nempe de termino *ad quem*, etiam conſtat; compoſitum quippè eſt terminus *ad quem* generationis in ratione productionis, non autem in ratione mutationis; nam ut ſic ſola forma eſt ejus terminus *ad quem*, cùm mutatio nil aliud importet, niſi tranſitum materiæ de oppoſito ad oppoſitum, hoc eſt, de privatione ad formam. Non ergo benè hæc ſecunda generationis definitio, ſicut nec prima, exprimit naturam, ſeu quidditatem illius, adhuc in ratione mutationis. Unde ut directè, adæquatèque quæſtioni reſpondeamus, examinare oportet, an per tertiam definitionem ſupra (ex Philoſopho adductam rectè natura generationis in ratione mutationis exprimatur; & quomodo iſta in ratione productionis debeat definiri? Quibus difficultatibus in duabus ſequentibus concluſionibus ſatisfacere conamur. Pro quibus

5 Dicimus primò ad quæſt. ultima generationis definitio ex tribus ſupra traditis in notab. 2. quæ talis eſt: *Eſt mutatio à ſubſtantia in potentia ad ſubſtantiam in actu*, aptius, quàm aliæ duæ, explicat naturam generationis in ratione mutationis ſumptæ. Hæc concluſio in re eſt communis, nullaque ratione melius probatur, quàm illius particulas exponendo. Dicitur ergo *mutatio*, quæ particula gerit vicem generis; per hoc enim generatio convenit cum aliis mutationibus, quæ generationes non ſunt, ut augmentatio, alteratio, aliæque hujuſmodi. Per cæteras autem particulas, nempè: *à ſubſtantia in potentia, &c.* (per ſubſtantiam in potentia, intellige materiam, & per ſubſtantiam in actu, formam) differt generatio à quibuſvis aliis mutatio-

tatio-

tationibus, ut per ſe patet. Deinde per illas particulas; *ad ſubſtantiam in actu*, exprimitur terminus per ſe *ad quem* generationis, prout mutatio eſt, qui eſt ſubſtantialis forma. Ac demum per illas: *à ſubſtantia in potentia*, denotatur ordo ad terminum *à quo*, nempè privationem illius ſubſtantialis formę, quę eſt terminus *ad quem*. Ex qua tertiæ definitionis explicatione, generatio ſub ratione mutationis poteſt exactè definiri ſic; eſt ſucceſſio formæ ſubſtantialis in ſubiecto ipſius potentiali poſt privationem eiuſdem immediatè præcedentem. Contra hanc concluſionem nullum poteſt militare argumentum; quod ex dictis benè perceptis facile diſſolvi non poſſit.

6 Dicimus 2. natura generationis ſub ratione productionis ſic exactè definitur: *Eſt actio productiva termini, ſeu compoſiti ſubſtantialis dependenter à ſubiecto*. Hæc concluſio in re tam communis eſſe debet, ac præcedens, & ut eius veritas, bonitaſque definitionis innoteſcant, huius particulas declarare oportet. Dicitur in primis, quòd generatio ſub hac ratione eſt *actio productiva*, per quod genericè convenit, nedum cum generatione accidentali, verùm & cum creatione, ut patet. Et per hoc idem ipſa generatio ſub ratione productionis differt à generatione ſub ratione mutationis; hæc enim propriè importat tranſitum ſubiecti communis ab uno in aliud, omninò præſcindendo à cauſa efficiente, & ab effectu producto, nempè compoſito; nam mutatio ſolùm reſpicit, ut per ſe terminum, formam, ut ſup. notab. 3. num. 4. præveniebamus; unde eius principia (ut ex 1. Phyſic. conſtat) ſunt ſubiectum, forma, & privatio.

7 Adduntur illę particulę, ſcilicet *termini, ſeu compoſiti ſubſtantialis*, ut ſic generatio diſcernatur ab omni accidētali productione, ac proinde à prævia alteratione; nō enim poteſt eſſe eadem

actio, qua per ſe fiant accidens, & ſubſtantia, cùm actiones à terminis ſuam deſumant ſpecificationem. Per eadem item particulas innuitur, generationem differre ab eductione, quæ, etſi ſubſtantialis actio ſit, non tamen attingit compoſitum, ſed ſolam ſubſtantialem formam, quæ educitur de potentia materiæ, generatio quidem eſt ſolius compoſiti, ut docet Ariſt. 1. Phyſ. 64. Per iſtas tandem particulas etiam denotatur, quòd generatio, prout talis, eſt productiva compoſiti, non autem formæ, ut tenet ſubtilis Doctor in 3. d. 2. q. 3. §. *Quantum ad primum*, ſi enim præexiſterent materia, & forma ſeparatæ, & de novo unirentur, daretur utique generatio, ſeu productio compoſiti, quæ productivè non attingeret formam, ut ex hypotheſi conſtat. Ponuntur denique poſtremæ particulæ, nempè, *dependenter à ſubiecto*, ut generatio diſtinguatur à creatione, hæc enim eſt actio independens à ſubiecto, per quam terminus totaliter extrahitur ex nihilo, ideòque eſt propria ſolius Dei, generatio verò dependenter à ſubiecto neceſſariò fit. Cum hac iſtius definitio explicatione ſufficienter manet probata hęc ſecunda concluſio, ideòque in illa non amplius immoramur. Sed ut omnia uſque huc dicta firmiora maneant, quæviſque obiectiones facilè enerventur, ſubſequens corollarium, attentè obſervare oportet. Igitur.

8 Infertur ex dictis, generationem, prout talis eſt, non includere eſſentialiter mutationẽ, abſolutè loquendo, ſed tantùm talem mtationem includere, tamquam quid neceſſàrio concomitans, in illis generationibus entium naturalium, quæ ab agente creato, ſive potentia ordinaria fiunt. Hæc illatio eſt expreſsè Scoti, qui in 1. d. 5. q. 2. §. *ideò tenendo*, *Verſ. dico primò*, lit. E. ſic ait *Concomitatur autem mutatio productionem in creaturis propter imperfectionem potentia productiva; qua non poteſt dare eſſe totale*

tale termino productionis ; ſed aliquid eius præſuppoſitum tranſmutat ad aliam partem ipſius, & ſic producit compoſitum. Si enim generans creatum eſſet perfectum agens, & non exigeret materiam, de qua, vel in quam ageret, ſed poſſet producere effectum per ſe, & ex ſe; tunc eſſet productio ſine mutatione; igitur ſine contradictione poſſunt ſeparari, & realiter ſeparantur, comparando ad potentiam productivam perfectam. En quomodo Scotus noſtram illationem apertè doceat. Quæ manifeſta ſit inſtantia productioni entis naturalis, in caſu, quo Deus educeret formam ſubſtantialem ex aliqua materia in ipſomet inſtanti, in quo iſtam creavit (quod ſic de facto contigiſſe in prima cęlorum, atque elementorum productione, alibi probabamus) quo in caſu talis eductio eſſet generatio; non enim eſſet creatio; ut patet; & inter creationem, & generationem entis naturalis non eſt dabilis media productio, quæ neque creatio, neque generatio eſſet & tamen cum illa materia pro nullo temporis inſtanti præceſſiſſet privata forma ad iſtius eductionem, non poſſet dici, fuiſſe mutatam per talis formæ eductionem.

9 Dices, quod in tali productione verè eſſet mutatio, quia ad rationem iſtius non requiritur, materiam præcedere tempore privatam formam, ſed ſat eſt, quod præcedat prioritate naturæ: quod quidem ſic accidit in generatione cœlorum, & elementorum, & contingeret in propoſito caſu. Sed hæc reſponſio, ſi ſit Scotiſtarum, penitus evaneſcit, eo quod eſt expreſsè contra ipſum Scotum, qui in 3. diſt. 2. quæſt. 3. in fine. *Verſic. ad tertium*, litt. E. hæc habet verba: *Quando forma producitur ſimul cum ſuſceptio, non eſt propriè mutatio ad illam formam, quia ſuſceptivum non prius fuit ſub privatione, quam forma, nec prius fuit aptum natum habere formam, quam habeat eam.* Et in 4 d. 43. q. 5. §. *de 3. dico*. *Verſ. Et ſi quæras*, litt. H. ſic ait: *Nunquam au-*

tem eſt mutatio, niſi quando ſuſceptivum termini ad quem alicuius inductionis, precedit duratione ipſum terminum ad quem, & tunc eſt ſub privatione termini.

10 Si autem talis reſponſio ſit aliorum extra Scoti ſcholam militantium, contra illam ſic arguitur; privatio, quæ ponitur præcedens formam prioritate tantum naturæ eſt merum figmentum: v.gr. eſt in re implicatoria. Prob. antec. nam ex illa infertur duplex contradictorium ſimul verum: ſed hoc tamquam impoſſibile, eſt merum figmentum: v.g. Prob. maior, quia privatio formaliter eſt non eſſe formæ: ſed eſſe formę, & non eſſe ejuſdem formæ ſunt immediatè contradictoria, & hæc eſſent ſimul vera: v g. Prob. minor quoad 2. partem; nam in priori naturæ eſſet privatio, & in poſteriori etiam naturę eſſet forma, ut explicat prædicta reſponſio; ſed hæc prioritas, & poſterioritas naturæ includuntur, & intelliguntur in eodem temporis inſtanti; v. gr. in eodem inſtanti temporis ſimul verificaretur duplex contradictorium, quod eſt impoſſibile, tanquam implicatorium. Eò, vel maximè quia eſſe, & non eſſe non per inſtantia naturæ, ſed, per inſtantia temporis, ut per ſe patet, menſurantur.

QUÆSTIO II.

Quodnam ſit ſubiectum generationis?

1 UT maiori, qua poſſimus, propoſitæ difficultati ſatisfaciamus claritate, notandum eſt ex Scoto in 4. d. 13. q. 1. §. *Ex dictis patet*, lit. H. quod generatio entis naturalis; ſive activè, ſive paſſivè ſumatur, eſt quid æquivocum plura ſignificans. Primò enim accipi ſolet, ſi ſumatur activè, pro relatione reali producentis ad productum; qua in acceptione ignis, v.g. quãdo gererat alium ignem in ligno ſibi appro-

xima,

ximato, formaliter, & intrinſecè denominatur *generans*, ſeu *producens* ignem; ſi autem paſſivè accipiatur in hoc ſenſu, *ignis*, qui ab alio igne producitur, formaliter, & intrinſecè denominatur *genitus*, ſeu *productus*. Secundò ſolet accipi, ſi ſumatur activè, pro relatione educentis ad eductum; quo pacto, ignis in præallato exemplo, formaliter, & intrinſecè denominatur *educens* formam ignis ex potentia materiæ ligni; ſi verò paſſivè in hac acceptione ſumatur; forma, ignis, quæ ex potentia materiæ ligni educitur, formaliter, & intrinſecè denominatur *educta*.

2 Tertiò uſurpari ſolet, ſi activè accipiatur, pro reali relatione inducentis, ſive unientis formam (quæ educitur de potentia materiæ) cum ipſa materia; in quo ſenſu ignis in exemplo nuper adducto, formaliter, & intrinſecè denominatur *inducens*, ſive *uniens* formam ignis cum materia ligni; ſi verò paſſivè in hoc ſenſu ſumatur, forma ignis, quæ inducitur, ſeu unitur tali materiæ, denominatur intrinſecè, & formaliter *inducta*, ſeu *unita* in genere cauſæ efficientis. Et dicimus conſulto, *in genere cauſa efficientis*: ſi enim ſermo eſſet de unionibus, à quibus in genere cauſæ formalis forma denominatur unita materiæ, & hæc unita formæ, etſi huiuſmodi uniones, juxta Scotum, relationes ſint, ſed valde quidem diverſæ rationis à relatione, qua in genere cauſæ efficientis forma denominatur *inducta*, ſeu *unita* materiæ, hæc enim eſt relatio intrinſecus adveniens ad prędicamentum relationis directè ſpectans; illæ autem ſunt relationes extrinſecus advenientes ad prædicamenta actionis, & paſſionis pertinentes, ut in 1. Phyſic. diſp. de unione, manet probatum.

3 Quartò accipi ſolet actio, ſeu generatio, activè ſumpta, pro reali relatione tranſmutantis ad tranſmutatū; in qua acceptione ignis in prępoſito exēplo, formaliter, & intrinſecè denominatur

tranſ-

tranſmutans effective materiam ligni: & forma ignis, qui de novo eſt productus, denominatur *tranſmutans formaliter* ligni materiam. Si autem in hoc ſenſu paſſivè accipiatur, pro reali nempè relatione tranſmutati ad tranſmutans, materia ligni in præjacto exemplo, denominatur intrinsecè, & formaliter tranſmutata, efficienter ab igne generante; & formaliter a forma ignis de novo producti. Hic advertere oportet, has relationes tranſmutantis ad tranſmutatum, & tranſmutati ad tranſmutans, non eſſe intrinſecus advenientes, ut omnes aliæ prænumeratæ; ſed eſſe extrinſecus advenientes, ut in logica, loquendo de ſex ultimis prædicamentis, oſtenſum manet.

4 Quinto denique ſolet accipi pro ipſa re, quę generatur, dum eſt in fieri, ſeu in ſtatu imperfecto, & ad ſui perfectionem tendenti: qua in acceptione Ariſtot. 3. Phyſic. ſumpſit actionem, & paſſionem, ſiquidem loquens ibi de motu materialiter ſumpto, hoc eſt, non pro fluxu, ſed pro ipſa forma fluente, expreſsè aſſerit, actionem, & paſſionem realiter identificari cum motu, habere nihilominus aliud, & aliud quidquid erat eſſe, hoc eſt, diverſas definitiones penes diverſa connotata: nam eademmet entitas, quæ, prout eſt actus entis in potentia activa, dicitur actio, vocatur etiam paſſio, prout eſt actus entis in potentia paſſiva; atque dicitur motus, prout eſt actus entis in potentia obiectiva. In hac acceptione (in qua illam accipit Philoſophus in his libris) generatiò non eſt relatio, neque oportet quærere (ut verbis Scoti ubi ſupr. loquamur) ad quod genus pertineat ratione connotati; quia poteſt pertinere ad tot genera, ad quot forma cauſata in paſſo ab agente ſpectat. His ſic prælibatis, haud difficile erit propoſitæ quæſtioni omnimoda claritate plenè ſatiſfacere. Igitur.

5 Dicimus 1. ſi nomen actio, ſeu generatio, activè ſumptum, accipiatur pro relationibus

pro-

producentis ad productum: educentis ad eductum; *inducentis, ſeu unientis ad inductum, ſeu unitum*, *tranſmutantis in genere cauſæ efficientis ad tranſmutatum*, ſubiectum generationis ſic acceptæ tam inhæſionis, quàm denominationis, eſt principium productivum ſeu effectivum talis generationis. Prob. concl. nam omnes huiuſcemodi relationes realiter inhærent tali principio productivo, ſeu effectivo generationis, ipſumque ab illis formaliter, & intrinſecè denominatur *producens*, *educens*, *inducens*, atque *efficienter tranſmutans*; v. g. eſt ſubiectum generationis, ſic acceptæ, tam inhæſionis, quàm denominationis. Notanter diximus: *tranſmutantis in genere cauſæ efficientis*: quia ſi generatio ſumatur pro relatione tranſmutãtis in genere cauſę formalis, ſubiectum tam inhæſionis, quàm denominationis, generationis hoc modo acceptæ, non eſt principium productiuum, ſeu effectivum, ſed potius ipſa forma ſubſtantialis termini geniti, quæ eſt id, quod formaliter tranſmutat materiam ut per ſe patet.

6 Dicimus 2. ſi generatio, paſſivè ſumpta, accipiatur pro relatione *producti*, ſeu *geniti* ad *producens*, ſeu *genium*, illius ſubiectum, tam inhæſionis, quàm denominationis, eſt terminus ſeu ens naturale, quod producitur, ſeu generatur. Si autem ſic accipiatur pro relatione *educti* ad *educens* aut pro relatione *inducti*, ſeu *uniti* ad *inducens*, ſeu *uniens*, ſubiectum tam inhæſionis; quam denominationis generationis ſic ſumptæ, eſt forma ſubſtãtialis termini geniti. Si denique generatio ſumatur pro relatione *traſmutati* ad *tranſmutans*, tam efficienter, quàm formaliter, illius ſubiectum, tam inhæſionis, quàm denominationis, eſt materia prima. Probatur iſta concl. nam certum, omninòque manifeſtum eſt, relationem *producti* inhærere ipſi termino, ſeu enti naturali, quod producitur, ipſumqu denominare *productum*, ſimiliterque relationes *educti*,

& *inducti*, ſeu *uniti* inhærere formæ, quæ eſt id, quo educitur de potentia materiæ, iſtique unitur, ſeu inducitur in eam. Ac denique eſt abſque bubio, quòd relationes tranſmutati ad tranſmutans, tam efficienter, quàm formaliter, inhærent materiæ primæ quæ intrinſecè denominatur *tranſmutata*, eò quòd ipſa tam à principio effectivo, quàm à forma, quæ inducitur, tranſmutatur: g. preſtatuta concluſio eſt certa.

7 Dicimus 3. ſi nomen generatio ſumatur pro forma fluenti, nempe pro ipſa re, quæ generatur, dum eſt in fieri, & in ſtatu imperfecto, tendentique ad ſui perfectionem, habet pro ſubjecto inhæſionis, ſeu informationis materiam primam. Hæc concluſio eſt expreſſa mens Ariſt. nedum in 1. Phyſic. ubi aſſignat tria principia intrinſeca generationis, nempe privationem, ut terminum *à quo*; formam, ut terminum *ad quem*, & materiam, tamquam ſubiectum illius; verum etiam in hoc primo lib. quia in fine cap. 4. ſic ait: *Eſt autem & materia maximè quidem, & propriè ſubiectum generationis, & corruptionis ſuſceptibile*. Haud clarius quidem noſtram concluſionem manifeſtare poſſet. Ariſt. ſequuntur communiter omnes Philoſophi contra aliquos per paucos quos citat, & impugnat noſter Merin. in hoc lib. diſp. 1. q. 3. n. 2.

8 Probatur hæc concluſio ratione; forma, dum eſt in fieri, ſeu in via, & tranſitu de non eſſe ad eſſe (qua in acceptione loquimur de generatione in præſenti) & forma in facto eſſe, ſeu in termino, ſunt eadem omnino res, ſolùmque differunt iuxta diverſos, & reales modos eſſendi, ſeu ſtatus, quales ſunt eſſe in fieri, qui eſt imperfectus eſſendi modus; & eſſe in facto eſſe, qui eſt modus perfectus eſſēdi, ut in 3. Phyſ. oſtendebamus: ſed ſubiectum informationis formæ in facto eſſe eſt materia prima ut conſtat: v. g. & ipſa materia prima erit ſubiectum informationis eiuſdem formæ dum eſt in fieri, ſiquidem

eſt

eſt realiter eadem ac in facto eſſe; ac per conſequens, generationis ſic acceptæ. Confirmatur: quia ut ſupra ex Ariſtot. præveniebamus, eadem numero entitas, quæ prout eſt actus entis in potentia activa, dicitur actio, ſeu generatio activa; dicitur paſſio, ſeu paſſiva generatio, prout eſt actus entis in potentia paſſiva; atque etiam vocatur mutatio, prout eſt actus entis in potentia objectiva, hoc eſt, quatenus per ipſam forma quæ actu in materia non exiſtebat, ſed tantùm erat poſſibilis, tranſit ad eſſe exiſtentiæ actualis: ſed ſubjectum informationis illius entitatis, quæ ſic dicitur mutatio, eſt materia prima, non verò compoſitum, alioquin non materia prima, ſed ipſum compoſitum diceretur mutari, quod eſt abſurdum: v. g. etiam ſubjectum informationis generationis, ſic acceptæ (quo ſenſu eſt eadem realiter cum mutatione ſupra relata) erit materia prima; aliàs eadem numero entitas informaret ſimul plura ſubjecta realiter diſtincta, quod ſaltim naturaliter repugnat. Accedit, quòd generatio, ſumpta pro forma fluenti, id eſt, pro termino ad quem, dum eſt in fieri, eſt prior natura ipſo compoſito, ut patet: v. g. ſubjectum, quod informat, neceſſariò debet eſſe prius natura ipſo compoſito: ſed hujuſmodi ſubjectum nullum aliud eſſe poteſt niſi materia prima, ut per ſe conſtat: v. g. hæc eſt ſubjectum generationis, ut in præſenti acceptæ.

9 Arg. 1. contra hanc concluſionem: ſubjectum inhæſionis, vel informationis alicujus formæ, eſt etiam ſubjectum formalis denominationis à tali forma provenientis; ut enim inquit Scotus loco in principio quæſt. allegato, *verſ. Sed contrarium*, ſub lit. E. *Omninò irrationale videtur, quod forma ſit in aliquo, & non conſtituat ipſum informatum ſecundùm ipſam*: ſed ſubjectum, quod denominatur formaliter genitum, non eſt materia prima, ſed totum compoſitum, quod per

per generationem producitur: v. g. hoc eſt ſubjectum inhæſionis, ſive informationis, generationis in hoc ſenſu ſumptæ. Reſp. conceſſa majori, diſtinguendo minorem: totum compoſitum denominatur formaliter genitum, generatione, ſumpta pro relatione reali, & intrinſecus advenienti, quam compoſitum, quod generatur, importat ad ipſum generans, ut num. 1. notabamus, concedo; ſumpta pro ipſa forma fluenti, ſeu in fieri, ut in præſenti illam accipimus, nego minorem, ac etiam conſequentiam: etenim generationis ſic acceptæ ſubjectum informationis eſt materia prima, ut in ſuperioribus manet oſtenſum. Quæ diſtinctio, & ſolutio adeò ex dictis ſunt manifeſtæ, ut ampliori non egeant explicatione.

10 Arg. 2. ſubjectum inhæſionis accidentium eſt totum compoſitum, non autem materia prima (ut ſequenti in diſput. latè dicemus) ſed generatio in hac acceptione ſumpta, eſt accidens; ſi enim activè, ſeu ut actio eſt, inſpiciatur, pertinet ad prædicamentum actionis, ſi verò conſideretur paſſivè, ſive ut paſſio eſt, ad prædicamentum paſſionis attinet: v. g. nequit inhæſivè ſubjectari in materia prima, ſed in toto compoſito ſic ſubjectari debet: ſed non in compoſito, quod corrumpitur; quia hujus corruptio eſt ſimul in ipſomet temporis inſtanti, in quo eſt generatio: v. g. in toto compoſito, quod tunc generatur. Reſp. conceſſa majori, negando minorem; generatio enim, ut in præſenti ſumitur quæſt. & ſæpè eſt repetitum, non conſideratur formaliter, prout nempè importat reſpectum extrinſecus advenientem, ſive tranſmutantis ad tranſmutatum, ſive tranſmutati ad tranſmutans; ſed attenditur materialiter, nimirum, prout eſt ipſa forma fluens, dum eſt in fieri, & in eſſe imperfecto, tendens ad ſui perfectionem: quo pacto non locatur per ſe in aliquo ex decem prædicamentis; ſed reductivè ponitur

in prædicamento ſui termini ; & cum terminus *ad quem* generationis ſubſtantialis ſit ſubſtantia etiam & ipſa generatio ſic accepta, ſubſtantia erit; ex eo igitur, quod hæc in materia prima ſubiectetur, non ſequitur accidens ſubiectari, ut patet; & hoc eſt, quod argumentum intendebat, nullatenus tamen convincit.

QUÆSTIO III.

Quinam ſit terminus ad quem generationis ſubſtantialis?

1 PRo intelligentia quæſt. notandum eſt; quod in generatione (in ſenſu, quo illam accepimus in 3. concl. quæſt. præcedentis) plura ſunt, circa quæ poteſt controverti, quodnam illorum gaudeat ratione termini ad quem primò, & per ſe præexplicatę generationis. Primum eſt *forma* ſubſtantialis, quæ ſimul cum materia intrinſecè, & eſſentialiter totum phyſicum conſtituit; quæ quidem forma aliquando de potentia materiæ per ipſam generationem educitur, aliquando non, ſed præſupponitur habens eſſe aliqua prioritate ante ipſam generationem compoſiti, ut evenit in hominis generatione, quam præcedit, ſaltim naturæ prioritate, animæ creatio; Secundum eſt unio, qua talis forma copulatur materiæ; quæ unio in noſtra Scotica doctrina conſiſtit in reſpectu extrinſecus adveniente ſpectante ad prædicamentum actionis; vel ad prædicamentum paſſionis, ſi ſermo ſit de unione, qua materia coniungitur formæ; quibus utraque ad invicem refertur, formaliterque unita denominatur, ut in 1. Phyſic. diſp. 5. latè eſt oſtenſum. Tertium eſt, *totum*, ſed compoſitum ſubſtantiale, quod ex materia, & forma unitis reſultat, ut quid ab eis realiter diſtinctum.

2 Notandum eſt ſecundo, quod hoc totum, ſeu

ſeu compoſitum bifariam attendi poteſt. Primo prout tantum dicit quandam entitatem phyſicam totalem ex materia, & forma compoſitam: qua ratione dicitur natura individua, actualiter exiſtens, eſtque elicitivum principium ſuarum operationum. Secundò, prout ultra hoc, importat ſubſiſtentiam, a qua habet, quod ſuppoſitum, vel perſona ſit, hoc eſt, quod incommunicabiliter exiſtat, modo 1. Phyſic. diſp. 6. explicato.

3 Notandum eſt tertio, quod generatio diverſimodè conſiderata plures, & diverſos terminos habere poteſt. Unus eſt terminus *a quo*, qui nil aliud eſſe poteſt niſi privatio formæ generandæ. Alius eſt terminus *ex quo*, & hic nihil aliud poteſt eſſe, niſi materia prima ex qua educitur forma. Alter eſt terminus *quod* (hic etiam terminus *qui* appellatur.) Iſtæ videtur eſſe totum compoſitum, quod producitur per generationem, & ad quod hæc per ſe ordinatur. Alius denique eſt terminus *quo*, qui non aliud poteſt eſſe, niſi pars formalis termini principalis, ſeu compoſiti, ut ex infra dicendis patebit. His ſic prænotatis, quæſt. præſens inquirit, quiſnam ſit terminus per ſe, & intrinſecus generationis, in prædicto ſenſu acceptæ, tam totalis (qui ad *quem*, ſeu *qui* appellari ſolet) quam formalis, quem terminum *quo* communiter vocant? Ad quam

4 Dicimus 1. terminus totalis *ad quem*, ſeu *qui* generationis ſubſtantialis ſolummodo eſt compoſitum ſubſtantiale ex materia, & forma unitis coaleſcens. Sic Scotus 7. Metaph. quæſt. 10. quem hic citat, & ſequitur Maſtr. in hoc tract. diſp. 5. q. 2. art. 1. allegans pro hac ſententia quamplures Scotiſtas. Prob. concluſ. Ariſt. qui in 1. Phyſic. text. 64. inquit, formam non fieri, ſed compoſitum. Et 7. Metaph. tex. 26. & 27. ſic fatur loquens de forma: *Neque eius eſt generatio, nec quod quid erat eſſe.* Et text. 32. hæc ſubdit;

dit: *Non autem de ſubſtantia ſolùm oſtendit ratio, non fieri formam: ſed de omnibus prædicamentis communis eſt ratio, utputa, quantitate, qualitate, & aliis*. Et ſic inferiùs concludit: *Non fit qualitas, ſed quale lignum: nec quantitas, ſed quantum lignum, &c.* g. ex mente Ariſt. terminus *ad quem* totalis generationis ſubſtantialis, non forma, ſed totum, ſeu compoſitum eſt.

5 Probatur eadem concl. ratione: terminus totalis *ad quem*, ſeu *qui* alicuius productionis eſt ille, quem agens ſimpliciter, & per ſe intendit, & ad quem actio ultimò tendit: ſed agens per ſe, & ſimpliciter intendit productionem compoſiti, cætera verò tamquam media in ordine ad illud, actioque generantis ultimò ad totum producendum refertur, iſtoque producto, deſinit: g. compoſitum eſt terminus totalis *ad quem*, ſeu *qui* generationis ſubſtantialis. Adverte hic, compoſitum, quod in concl. diximus eſſe terminum totalem, & *qui* generationis, non eſſe compoſitum ex natura individua, & ſubſiſtentia; in quo ſenſu dicitur *ſuppoſitum*, ſeu *perſona*: ſed eſſe compoſitum ex materia, & forma unitis: quo pacto tantùm importat naturam ſingularem, ſeu individuam. Etenim ſubſiſtentia non eſt quid per ſe, & intrinſecè requiſitum ad hoc ut compoſitum ſubſtantiale ſit terminus totalis *qui* generationis, ſed ſufficit natura ſingularis actualiter exiſtens, ut talis terminus ſit. Hæc doctrina procedit contra aliquos Thomiſtas (quos citat noſter Merin. in hoc tract. lib. 1. diſp. 1. q. 4. n. 6.) oppoſitum aſſerentes.

6 Ratio pro illa, & quidem efficax, hæc eſt: ſi ad hoc ut compoſitum ſubſtantiale eſſet terminus *ad quem* totalis generationis ſubſtantialis non ſufficeret quod eſſet natura ſingularis actualiter exiſtens, ſed ultra hoc requireretur quod eſſet ſubſiſtens, ſequeretur, omnino repugnare dari veram, & adæquatam

gene-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

generationem ſubſtantialem, & non terminati ad naturam ſubſiſtentem: ſed falſum eſt implicare dari talem generationem, quæ ad naturam ſolùm ſingularem, non tamen ad eius ſubſiſtentiam terminetur; v. g. ſubſiſtentia non eſt quid requiſitum neceſſariò, ad hoc ut compoſitum, quod generatur, ſit terminus *ad quem* totalis talis generationis. Maior eſt certa, & minor probatur: nam B. V. Maria genuit Chriſtum D. vera, totali, & adæquata generatione; ſed hæc ſolùm fuit terminata ad naturam humanam ipſius Chriſti D. ſingularem, & individuam actualiter exiſtentem, non autem ad illius ſubſiſtentiam; fides enim docet humanam Chriſti naturam non habere propriam ſubſiſtentiam; v. gr. Neque valet ſi dicant, quod natura humana Chriſti D. etſi propria non ſubſiſtat ſubſiſtentia ſubſiſtit tamen ſubſiſtentia Divini Verbi; non ergo hanc terminat generationem natura ſolum ſingularis, ſed etiam ſubſiſtens. Hoc quidem non valet, nec vim noſtræ rationis enervat: quia generatio B. Virginis nullo modo attingit ſubſiſtentiam Verbi, hanc enim non attigit illam producendo, neque ipſam uniendo, ſeu communicando naturæ humanæ, ut eſt perſpicuum; v. g.

7 Dicunt contra hoc; ſi generatio B. Virginis non attingeret, niſi naturam humanam Chriſti ſingularem, ſeu individuam, & non ſubſiſtentiam Verbi, qua ſubſiſtebat, videtur ſequi, quod non poſſet ſalvari, ipſam fuiſſe, & eſſe Matrem Dei; ſed hoc nefas eſt dicere; v. g. talis generatio attigit ſubſiſtentiam, qua natura humana Chriſti ſubſiſtit. Reſp. negando ſequelam; nam licet generatio B. Virginis per ſe, & intrinſecè ſolùm fuerit terminata ad naturam humanam Chriſti ſingularem, ſeu individualiter exiſtentem, verè eſt, & dicitur Mater Dei, eo quod in eomet inſtanti, in quo talis Chriſti natura generationem B. Virginis terminavit, fuit unita divi-

divino Verbo, huius ſubſiſtebat ſubſiſtentia; unde omnia prædicata, quæ pro illo inſtanti de natura humana ſumpta in concreto; verificantur etiam extrinſecè, ſeu (ut Theologi loquuntur) per communicationem idiomatum, de ipſo ſuppoſito divino, & ſicut natura, ſic ſumpta, dicitur genita, ſic & ipſum ſuppoſitum per communicationem idiomatum, genitum prædicatur. Manet ergo in ſua vi noſtra concluſio, ſiquidem datur vera generatio, quæ non ad ſuppoſitum, ſed ad naturam individuam fuit terminata.

8 Argumenta, quæ contra præjactam concluſionem fieri ſolent, omittimus, eò quod ſunt facilis ſolutionis; nituntur enim duobus principiis omnino falſis. Primum eſt, exiſtentiam eſſe modum realiter diſtinctum ab actuali eſſentia. Secundum eſt, exiſtentiam primò, & per ſe competere dumtaxat ſuppoſitis; naturis verò, ſive partiales ſint, ut materia, & forma, ſive totales, ut compoſita ex materia, & forma unitis, ſolùm competere per accidens, & ratione ſuppoſitorum, in quibus ſunt. Quæ principia eſſe falſa, dicemus in Metaphyſica, ubi latè oſtendemus, quod unicuique rei, ſicut convenit propria eſſentia, convenit etiam & propria exiſtentia à tali eſſentia realiter indiſtincta. Item & quod natura ſubſtantialis individua eſt actualiter exiſtens, ultimatèque completa, & perfecta in eſſe natura, independenter prorſus à ſubſiſtentia. Si autem dicant, quod ſaltim in ratione ſuppoſiti natura non eſt completa ante adventum ſubſiſtentiæ; concedimus hoc libenter ſed ex hoc quid contra nos? Non enim negamus, naturam in eſſe ſuppoſiti conſtitui per ſubſiſtentiam, ſed negamus, generationem per ſe, & intrinſecè terminari ad naturam, ut ſubſiſtentem: quod eſt falſum, ut ſupra demonſtratum eſt.

9 Dicimus 2. terminus formalis, ſeu *ut quo*, per

per ſe, & intrinſecus generationis ſubſtantialis non eſt unio, ſed ſubſtantialis forma. Hæc concluſ. eſt communis in utraque ſchola (teſte ſupra citato Merin.) contra P. Hurtado, & alios RR. Prob. concl. ex Ariſt qui in 2. Phyſic. cap. 1. text. 14. explicans generationem ſubſtantialem, aſſerit, eſſe *viam ad naturam*, ubi per ly *naturam* omnes Philoſophi intelligunt formam ſubſtantialem. Prob. ratione: nam ille eſt terminus formalis *quo* alicuius productionis: per ordinem ad quem una generatio diſtinguitur ab alia, ſed hæc diſtinctio eſt per ordinem ad formam, & non per ordinem ad unionem; verb. gratia ſola forma eſt terminus formalis *quo* generationis. Maior ex ipſis terminus patet, & minor probatur; quia non poſſumus cognoſcere, quod una unio ab alia diſtinguatur, niſi cognoſcendo, quod terminus unius unionis eſt à termino alterius diſtinctus: eſt enim unio relatio, & huius totum eſſe ad aliud ſe habere; v. gr. per ordinem ad formam, & non per ordinem ad unionem, una generatio diſtinguitur ab alia & conſequenter, &c. Confirm. nam ille eſt terminus formalis *quo*, qui in genere cauſæ formalis conſtituit terminum principalem, & *ad quem* in eſſe talis; ſed hoc facit forma ſubſtantialis, & non unio, ut per ſe conſtat; g. non iſta, ſed illa, eſt terminus formalis *quo* generationis.

10 Argum. contra; de ratione intrinſeca termini cuiuſvis generationis, ſive totalis, ſive formalis talis terminus ſit, eſt quod ſit productus; ſed in generatione ſubſtantiali non ſemper producitur forma, ut patet in generatione hominis; ſemper tamen producitur unio, ut eſt perſpicuum; g. ſola unio eſt terminus formalis *quo* generationis. Minor eſt certa, & conſequentia legitima, maior autem prob. nam omnis generatio eſt productio, ut omnes fatentur; g. Reſp. negando abſolutè majorem

Ete-

Etenim de intrinſeca ratione generationis tantummodo eſt, quòd illius terminus totalis producatur, non autem quòd producatur terminus formalis, iſte enim ſolùm requiritur, vel quòd de novo producatur, vel quòd de novo realiter per ipſam generationem termino totali, & adæquato communicetur. Exemplum hujus adeſt in generatione divini Verbi, in qua, etſi terminus totalis (nempè Filius) producatur; terminus autem formalis (nimirum divina eſſentia) non producitur, ſed communicatur realiter Filio, ut tanquam de fide, omnes fateri debent: Unde patet ad majoris probationem, cujus antec. diſtinguitur: omnis generatio eſt productio, termini totalis, concedo; termini formalis, nego antec. & conſequentiam.

11 Arg. 2. Omnis productio ſuam deſumit ſpecificationem a ſuo termino formali, ſed generatio, & reſurrectio ejuſdem compoſiti ſunt productiones ſpecificè diverſæ: g. habent diverſos terminos formales, ſed non habent diverſas in ſpecie formas, ut patet, ſed tantùm diverſas in ſpecie uniones: g. non forma, ſed unio, eſt terminus formalis *quo* generationis. Reſp. tam generationem, quàm reſurrectionem ejuſdem numero hominis, poſſe bifariam conſiderari. Primò materialiter, id eſt, pro ipſa re, quæ producitur, dum eſt in fieri: quo pacto hic agimus de generatione. Et falſum eſt, generationem, & reſurrectionem ejuſdem numero hominis ſic conſideratas eſſe diverſas in ſpecie productiones, ſunt enim eædem ſpecificè, nam habent eumdem terminum, nedum ſpecie, verùm & numero, tam totalem, quàm partialem, nec per ſe; ut ſic acceptæ, ponuntur in aliquo determinato prædicamento, ſed reductivè ad idem prædicamentum, & ad eamdem ſpeciem ſui termini ſpectant. Secundò poſſunt conſiderari formaliter, prout ſcilicet quidam motus, ſeu mutationes ſunt, & in hoc ſenſu

libenter fatemur cum Scoto in 4. diſt. 43. qu. 1. §. *aliter ponitur*, generationem, & reſurrectionem eiuſdem hominis eſſe ſpecificè diverſas, in eſſe enim mutationum formaliter, non ſpecificantur à termino formali tantùm, ſed etiam à principiis, & mediis earum; nam juxta D. Auguſt. 3. de Trinit. cap. 9. idem ſecundùm ſpeciem poteſt generari univocè, & æquivocè, v.g. calor genitus ab igne, & calor genitus à ſole: quæ generationes formaliter in quantum mutationes ſunt, ſunt ſpecie diverſæ, non quidem ob aliam rationem; niſi quia principia earum, ſol nempè, & ignis, ſpecie diverſificantur. Similiter idem numero *ubi* in eſſe rei conſideratum poteſt terminare motum localem rectum, & motum circularem, qui motus, formaliter in eſſe talium inſpecti, differunt ſpecificè. Vnde generatio; & reſurrectio eiuſdem hominis formaliter, & ut mutationes ſunt conſiderata, ſunt ſpecie diverſæ, eo quòd etſi terminus *ad quem* ſit idem, principia tamen earum, nimirum Author ſupernaturalis, qui operatur reſurrectionem, & author naturalis, qui operatur generationem, ſpecie, vel quaſi ſpecie differunt. Hoc latius patebit, ſi quæ dicta ſunt circa motum in 5. Phyſic. recolantur. Deinde falſum eſt, uniones, quibus in reſurrectione materia, & forma uniuntur, eſſe ſpecie diverſas ab iis, quibus in generatione unitæ fuere, ut ſi attentè perpendantur, conſtabit; unde argumentum æquè contra ſic arguentes, ac contra nos procedit.

DISP. II.

De corruptione entis naturalis.

POſtquam de ſubſtantiali generatione in præcedenti egimus diſp. modo in iſta de corruptionem etiam ſubſtantiali immediatè tra-

tractare libuit, eo quòd oppoſitorum eadem eſt ratio, & diſciplina, & ſubſtantialis corruptio immediatè huiuſmodi opponitur generationi. Sit ergo

QVÆSTIO I.

Quid ſit corruptio ſubſtantialis.

1 DIcimus ad quæſt. communiter corruptio ſubſtantialis ſic definiri ſolet: *eſt mutatio ex ente ſimpliciter in actu ad ens ſimpliciter in actu.* Quòd idem eſt, ac dicere, quod ſubſtantialis corruptio eſt mutatio materiæ primæ à forma ſubſtantiali, quæ ſimul cum ipſa componit totum ſubſtantiale, ad privationem eiuſdem formæ, proindeque ad non eſſe compoſiti, quod ex ipſa, & forma intrinſecè conſtabat. Qua in definitione ly *mutatio* gerit vicem generis, etſi enim per illam differat corruptio ab annihilatione, nam hæc, non eſt, ſicut neque creatio, mutatio, quippè in neutra datur commune ſubiectum, quod tranſitum à non eſſe ad eſſe, vel ab eſſe ad non eſſe, in ſe recipiat, ut patet, qui tranſitus eſt indiſpenſabiliter requiſitus ad mutationem; per illam tamen convenit huiuſmodi corruptio cum corruptionibus accidentalibus, quæ verè mutationes ſunt, ut omnes fatentur, ſed per reliquas particulas differt ab accidentalibus corruptionibus, etſi enim hæ mutationes ſint, ſed non ex eſſe ſimpliciter, vel ex forma ſubſtantiali in materia prima, ſed ex eſſe ſecundùm quid, vel ex forma accidentali in toto compoſito.

2 Non ſolùm per illam particulam *mutatio* convenit ſubſtantialis corruptio cum corruptionibus accidentalibus, ſed etiam in ratione mutationis præcisè convenit cum ſubſtantiali generatione, prout hæc accipitur quatenus mutatio eſt, ut præcedenti diſp. q. 1. manet explicatum. Ratio huius convenientiæ inter generationem,

& corruptionem in ratione mutationum eſt; quia conceptus mutationis ut ſic dumtaxat importat tranſitũ alicujus ſubjecti de uno in aliud: ſed talis tranſitus invenitur, tam in corruptione, quàm in generatione: g. conveniunt in ratione mutationum. Prob. minor ex Philoſoph. 5. Phyſ. 5. ubi duplicem conſtituit mutationem, unam vocat de non ſubjecto in ſubjectum, id eſt, de non eſſe formæ ad eſſe formæ, & hanc, ait, eſſe generationem; aliam de ſubjecto in non ſubjectum, id eſt, de eſſe formæ ad non eſſe formæ, & iſtam, inquit, eſſe corruptionem: g. ex mente Ariſt. ratio tranſitus de vno in aliud tam invenitur in corruptione, quàm in generatione, & conſequenter ambæ in ratione mutationum conveniunt.

3 Nec valet, ſi oppoſitum ſuſtinentes reſpondeant, nullatenus debere corruptionem conſtituere diſtinctam realiter mutationẽ à generatione, cùm iſtaque in ratione mutationis ut ſic convenientem, nam corruptio (inquiunt) in ſe non eſt vera, & realis mutatio, ſed ſolùm privatio actionis, & concurſus, quo forma præcedens conſervabatur in materia. Hæc enim reſponſio vim noſtræ rationis haud infringit, ideòque ſic impugnatur: nam quando inquiunt, corruptionem non eſſe veram, & realem mutationem, intelligũt, illam non eſſe mutationem poſitivam, & hoc verum eſt, & à nobis non negatum, quia revera per ipſam nihil ponitur, ſed potiùs tollitur, & deſtruitur, vel intelligunt, illam non eſſe veram, & realem mutationem, hoc eſt, verè à parte rei inventam, & quæ verè exerceatur in materia, nõ autem tantùm per opus intellectus, & hoc falſum eſt, & quod nos negamus, nam à parte rei nedum aliter ſe habet ſubjectum modo, quàm antea, cùm acquirit formam, quam prius non habebat, ut cùm lignum, v. g. ignefit, verùm etiam cùm deperdit eam, quam prius habebat, ut cùm lignum deperdit talem formam ignis,

ignis, ſed hoc eſt, quod importat mutatio in præciſiſſimo conceptu mutationis ut ſic, ut nuper dicebamus:g.Contra iſtam doctrinam nihil, quod alicuius ſit momenti, obiici poteſt, & ſi quid eſt, quod illius fundamentum labefactare videatur, id quidem ſolutum manet lib.1.Phyſ. diſp. 1.qu.3.à num.6. ubi ſtatuimus,loquendo de principiis corporis naturalis materiam, formam, & privationem univocè convenire in ratione communi hujuſmodi principii.

4 Notanter diximus in concluſione, quod communiter corruptio, ut ibi definita eſt, ſolet definiri, & nunc reddimus rationem, ob quam ſic communiter definitur, quæ non alia eſſe poteſt, niſi quod cum corruptione ſemper comitetur mutatio, eo quod non poſſit aliquod ſubiectum modo non eſſe id, quod antea erat, abſque eo quòd tranſeat ab eſſe, quod pro aliquo inſtanti durationis habuit, ad non eſſe, hinc eſt, quod communiter corruptio definitur per tranſitum,ſeu mutationem. Cæterùm ratio mutationis non ingreditur rationem formalem corruptionis, & ſi hanc illa ſemper comitetur, ut diximus. Ratio huius eſt,quia cùm corruptio ſit immediatè oppoſita generationi, idem quod de iſta dicitur, de corruptione etiam ſuo modo dicendum eſt, ſed generatio conſiderari poteſt verè ut productio, & ut mutatio, quæ rationes ſunt diverſæ, ut in diſp. antec. quæſt.1.n.8. cum Scoto oſtendebamus: g. & corruptio verè conſiderari poteſt, ut deſtructio, & mutatio, ſed generatio, quatenus productio, non importat formaliter mutationem, ut ex ibi dictis patet: g. neque corruptio, formaliter ut deſtructio eſt, includit mutationem, & conſequenter corruptio ſubſtantialis quoad id, quod formaliter quidditativè importat, non rectè per mutationem definitur, ſicut nec generatio, quæ illi immediatè opponitur.

5 Si autem inquiratur: quænam ſit ratio di-

ſtinctionis inter corruptionem ut deſtructionem à corruptione, ut mutatione? Reſp. eſſe eandem ſuo modo, quæ reperitur inter generationem ut productionem, & generationem, ut mutationem. Unde ſicut hæ diſtinguuntur, ex eo quod generatio, ut productio, habet pro termino *ad quem*, totum, ſeu compoſitum ſubſtantiale, ut mutatio autem non totum, ſed dumtaxat formalem habet pro termino *ad quem*, ut qu. præcitata n.4. dicebamus, ſic modo proportionato corruptio ut deſtructio, diſtinguitur à corruptione ut mutatione, eo quod ut deſtructio habet pro termino *ad quem*, non eſſe totius, ſeu compoſiti ſubſtantialis, ut mutatio autem oppoſita mutationi poſitivæ generationis, habet pro termino *ad quem*, non eſſe formæ, non verò non eſſe totius, ſeu compoſiti, nam ut ſic ſolùm dicit tranſitum materiæ ab eſſe ſub forma ad non eſſe ſub eadem forma, aut ad eſſe ſub privatione talis formæ. Sicut igitur ut generatio prout productio, à generatione prout mutatione, diſtinguatur, eſt ſufficiens ratio illa præaſſignata, ſic erit etiam ut corruptio prout deſtructio, diſtinguatur à corruptione prout mutatione, ſiquidem ad hoc eſt eadem, ut eſt perſpicuum.

6 Si verò rurſus inquiratur ratio, ob quam ſemper mutatio comitetur corruptionem, ut deſtructionem, cùm non ſemper mutatio comitetur generationem ut productionem, uti contingit, quando materia non præcedit in aliquo inſtanti durationis formam? Reſp. quod ratio huius diſcriminis eſt, quia cùm ad hoc, ut detur mutatio in productione, neceſſe ſit, quod materia pro aliqua prioritate durationis antecedat introductionem formæ, ut dictis in antec. diſp. patet, & cùm forma poſſit introduci in materiam, quin hæc illam antecedat pro aliqua prioritate temporis, ut evenit in productione Cœlorum, in qua anteceſſit materia formam in ſola prioritate naturæ; hinc eſt; quod

non

non ſemper mutatio comitetur productionem. Comitatur autem ſemper mutatio corruptionem ut deſtructionem, eo quòd cùm mutatio corruptiva terminetur ad non eſſe formæ, neceſſariò ſupponit huius exiſtentiam in materia, & cùm hęc exiſtentia neceſſariò ſit pro toto aliquo inſtanti durationis, nequit enim in eodem temporis inſtanti dari exiſtentia formæ, & non exiſtentia eiuſdem formæ, ideò neque dari poteſt corruptio ut deſtructio abſque mutatione. Neque ex hoc infertur, quòd mutatio ſit de intrinſeca, & formali ratione corruptionis, nam ſi per impoſſibile poſſet eſſe in unico temporis inſtanti exiſtentia formæ, & non exiſtentia eiuſdem formæ, taliter ut exiſtentia tantùm prioriate naturæ antecederet non exiſtentiam, abſque dubio daretur corruptio ſine mutatione, ut ex dictis patet.

7 Ex dictis quoddam oritur dubium, nempè, an ſuppoſito, quòd corruptio, in ratione mutationis, eſt diſtincta mutatio à mutatione, quàm importat generatio in ratione mutationis, etiam corruptio, prout deſtructio, ſit actio diſtincta ab actione, quam includit generatio, in ratione productionis? Reſp. negativè. Hæc reſolutio eſt Scoti, loco infra citand. & probatur: quia per omnem actionem agens aliquid facit: idem enim eſt agere, quòd producere (ſi ſermo ſit, in præſenti, de actione propriè dicta) v. g. actio; formaliter ut talis, ſemper debet attingere aliquid factum, ſed corruptio non attingit aliquid, ſed nihil, terminatur enim ad non eſſe compoſiti, v. g. corruptio non eſt actio, & conſequenter non eſt actio pecularis diſtincta à generatione. Cætera patent, & ultima conſequentia probatur, tum quia actio importat influxum agentis, ſed influxus terminatur ad aliquid, non ad nihil, imò implicat, quòd agens influat non eſſe, nam influere non eſt tollere, ſed ponere, v.g. Tum etiam quia

Deus non annihilat efficiendo, ſed ſubtrahendo concurſus, ut docet Scotus in 4. diſt. 11. qu. 4. §. *Ad argumenta*, *Verſ. ad Auguſtinum*, lit. N. v.g. ſic etiam agens naturale, cùm aliquid corrumpit, id non efficit per aliquam actionem, & conſequenter, &c.

8 Neque valet ſi contra hoc dicatur, quòd corruptio eſt vera, & realis actio, etſi non poſitiva, negativa tamen, eo modo, quo nuper dicebamus, ipſam corruptionem eſſe mutationem veram, & realem à generatione diſtinctam, non quidem poſitivam, ſed privativam. Non quidem valet hoc, nam iſte loquendi modus eſt omnino fatuus, æquivalet enim illi, quo aliqui utuntur appellantes privationem ens verum, & reale privativum, qui dicendi modus meritò reiicitur, ex eo quòd ens reale dicit entitatem poſitivam in ſuo conceptu formali, per quem primò diſtinguitur à non ente, & ab ente rationis, ideòque eſt implicatio in adiecto dicere ens reale privativum, hoc ipſum evenit in propoſito, quia actio reali in ſuo formali conceptu importat influxum poſitivum, exigitque terminum realem per ipſam productum: g. implicat in adiecto admittere actionem realem negativam. Ex quo apparet manifeſtè, quòd paritas deſumta à mutatione nihil contra nos valet, nam mutatio realis ut ſic non includit in ſuo conceptu formali quid poſitivum, nam ſubiectum tam verè mutatur, & aliter ſe habet, cùm amittit formam, quam antea habebat, quàm cùm acquirit illam, quam antea non habebat. Non ſic evenit in generatione, & corruptione quoad rationem actionis, ut oſtenſum eſt.

9 Dubitabis 1. an corruptio ſit naturalis rei, quę corrumpitur? Reſp. ſub diſtinctione, ſi enim *naturale* ſumatur prout res dicit inclinationē, ſeu appetitum innatū ad aliquid corruptio nequit dici naturalis hoc modo rei, quæ corrumpitur. Ratio huius eſt, quia huiuſmodi appeti-

tus

tus ſolum eſt ad id, quod rei, quæ ſic appetit, affert aliquod commodum, ſed certum omninò eſt, imo & manifeſtum, quod corruptio nullum commodum, ſed potius maximum incommodum affert rei, quæ corrumpitur: g. Si autem *naturale* ſumatur pro eo, quod provenit, aut oritur ex intrinſecis principiis rei, quæ corrumpitur, etſi aliàs ſit ei diſconveniens; corruptio in hoc ſenſu poteſt dici *naturalis*. Ratio eſt, nam res, quæ corrumpitur, conſtat forma ſeparabili a materia, & conſtat materia, quæ cum ex ſe habeat appetitum innatum ad omnes formas ſubſtantiales, & naturaliter nequeat plures ſimul habere, ideò ut fruatur illa, qua caret, deſtructionem illius, quam actu poſſidet, aliquomodo machinatur, propter quod malefica dicitur; g. in hoc ſenſu eſt naturalis corruptio.

10 Dub. 2. an corruptio ſit intenta a natura? Reſp. quod bifariam dici poteſt aliquid a natura intentum, nempè primariò, aut ſecundario. Id dicitur primariò intentum, quod eſt finis, & terminus per ſe operationum naturæ. Id autem ſecundariò, quod etſi non ſit finis, & terminus per ſe talium operationum, eſt tamen connexum cum fine, & termino per ſe; in primo ergo ſenſu non eſt corruptio intenta a natura, bene tamen in ſecundo. Ratio utriuſque eſt, nam etſi corruptio non ſit finis, & terminus per ſe alicuius operationis naturæ quia ut jam diximus, non eſt actio, habet tamen in non viventibus connexionem cum generatione formæ novæ, & in viventibus cum productione ultimæ diſpoſitionis contrariæ formæ viventis, ſeu ultimæ diſpoſitioni conſervativæ formæ viventis, & cum hæ productiones ſint primariò intentæ à natura, ideò corruptio eſt intenta ſecundariò, eo quod eſt connexa cum illis.

QUÆSTIO II.

Quem ordinem inter ſe ſervent generatio, & corruptio.

1 NOtandum eſt, duplicem ab omnibus admitti ordinem prioritatis, & poſterioritatis, nimirum unum naturæ, & alium temporis. Illud dicitur prius natura alio, quod eſt cauſa exiſtentiæ illius, ſeu (ut proprius dicatur) a quo id, quo illud eſt prius, in ſuo eſſe dependet, etiamſi utrumque in eodem temporis inſtāti exiſtere incipiat. In quo ſenſu rationalitas eſt prior riſibilitate, & hæc poſterior illa, eo quod in ſuo eſſe, & exiſtere hæc dependet ab illa, & non e contra, quæ prioritas, & poſterioritas naturæ verificatur, etiamſi in eodem temporis inſtanti incipiant eſſe. Illud eſt prius tempore alio, quod exiſtit in tempore priori illo, in quo aliud, quod eſt ſic poſterius exiſtit, hoc modo fuit Abraham prior Iſaac.

2 *N*otandum eſt etiam, quod quæſt. non procedit de ordine proprietatis, aut poſterioritatis temporis, ſic enim neque generatio poteſt præcedere corruptionem, nec è contra; manifeſtum quippè eſt, quod in eodem temporis inſtanti, quo in materia ligni, v.g. generatur forma ignis, corrumpitur in eadem materia forma ligni, ac proinde, quod generatio ignis nequit eſſe prior tempore corruptione ligni, neque è contra, ſed utraque eſt ſimul tempore. Ratio aſſumpti eſt, quia ſi prius tempore generaretur forma ignis, quam forma ligni corrumperetur, darentur ſimul pro aliquo inſtanti durationis in eadem numero materia duæ formæ ſubſtantiales non ſubordinatæ, & ſi è contra prius tempore corrumperetur forma ligni, quam forma ignis generaretur, daretur pro aliquo durationis inſtanti materia prima denudata ab

omni

omni ſubſtantiali forma, ſed utrumque eſt naturaliter impoſſibile, ut ex dictis circa hoc in phyſ. conſtat, v. g. His ſic prælibatis.

3 Dicimus ad quæſt. generatio eſt prior natura corruptione. Hanc concluſionem tuentur omnes Scotiſtæ contra plures alios, & præſertim Thomiſtas aſſerentes generationem, & corruptionem ſecundum diverſa genera cauſandi eſſe priores, & poſteriores ad invicem. Prob. noſtra concluſ. nam expulſio, v. gr. formæ ligni ab eius materia, ac proinde corruptio ligni, pendet ab inductione formæ ignis in prædicta materia, & propterea à generatione ignis, nedum in genere cauſæ formalis, verum & in genere cauſæ efficientis, v. g. generatio eſt prior natura corruptione. Conſequentia patet ex dictis in 1. notab. & antecedens quoad primam partem probat. nam expulſio formæ præexiſtentis in materia, nempè formæ ligni, eſt effectus formæ ignis advenientis, licet non primarius, ſecundarius tamen, ut in fine præcedentis quæſt. dicebamus, ſed effectus, ſive primarius, ſive ſecundarius, pendet à ſua cauſa, v. gr. corruptio ligni pendet à generatione ignis, conſequenterque hæc eſt prior natura illa. Prob. idem anteced. quoad ſecundam partem, quia & ſi corruptio non habeat cauſam immediatam efficientem, ſed potius deficientem (immediatè enim cauſatur non per influxum, ſed per defectum, ſeu ſuſpenſionem concurſus, ſeu influxum, quo forma ligni conſervabatur à Deo) cæterum, cum Deus non ſuſpendat concurſum, quo formam ligni conſervabat, niſi ad exigentiam formæ ignis de novo inductæ, hinc eſt, quod cauſa immediata effectiva formæ ignis, dicitur etiam cauſa, licet mediata, effectiva expulſionis formæ ligni ab eius materia, conſequenterque corruptionis ligni, v. g. etiam in genere cauſę efficientis eſt prior natura generatio corruptione.

4 In his generibus cauſarum ferè non eſt

diſſidium inter AA. generationem eſſe priorem natura corruptione, unde ſolum eſt dubium, an ex parte materiæ, ſeu in genere cauſæ materialis, ſit ita prior generatio? Et ratio ſic dubitandi eſt, quia cum materia formam non recipiat, niſi denudata, & expedita ab his, quæ impediunt receptionem formæ novæ, quam receptionem utique impedit forma antiqua, ut perſpicuum eſt, inde eſt, quod ad præparandam materiam ad novæ formæ introductionem, videtur præcedere debere antiquę expulſionem, ſicut aliæ præcedunt diſpoſitiones. Ex parte igitur materiæ, ſeu in genere cauſæ materialis, videtur corruptionem eſſe priorem natura generatione.

§ Hac tamen apparenti quidem ratione non obſtante, tenendum eſt, etiam ex parte materiæ, ſeu in genere cauſæ materialis, generationem eſſe priorem corruptione. Et ratio noſtro videri efficax, huius eſt: nam ideo omnes aſſerunt, generationem eſſe priorem corruptione ex parte efficientis, ſeu in genere cauſæ effectivæ, quia agens non ſuſpendit concurſum, quo formam antiquam conſervabat in materia, niſi ad exigentiam novæ formæ inductæ, eo quod natura non intendit per ſe corruptionem, ſeu non conſervationem, ſed tantum generationem, & conſervationem, ſed hæc ratio etiam concludit, generationem eſſe ſic priorem, ex parte materiæ, ſeu in genere cauſæ materialis; g. major eſt certa, minor autem prob. materia non dimittit formam pręhabitam, ſeu non ſuſpendit concurſum (ut ita loquamur) paſſivum, quo illam in ſe ſuſtentabat, niſi ad exigentiam formæ novæ in ſe inductæ, ſed hoc evidenter probat, ex parte materiæ, ſeu in genere cauſæ materialis, eſſe generationem priorem corruptione, ſicut ex parte efficientis, ſeu in genere cauſæ effectivę eſſe priorem, probat eadem, ſeu ſimilis ratio ab omnibus ad-

miſſa,

miſſa: g. Prob. major: nam ſi materia dimitteret formam antiquam præhabitam, ſeu ſuſpenderet concurſum paſſivum, quo illam in ſe ſuſtentabat, ante inductionem formæ novæ in ipſam, ſequeretur ſanè, ipſam materiam per ſe intendere corruptionem talis formæ antiquæ, ſiquidem illam dimittebat ex ſe, & ante introductionem alicuius incompoſſibilis cum illa in ipſa materia (diſpoſitiones enim præviæ ad inductionem formæ novæ non ſunt incompatibiles cum forma præhabita; nam ſubiectantur in toto compoſito præexiſtente) ſed nullus dicet, materiam intendere per ſe corruptionem formæ in ſe præhabitę, aut quod illam ex ſe dimittat: g. illam dimittit, aut concurſum paſſivum, quo illam conſervabat, ſuſpendit, propter introductionem alicuius incompatibilis cum illa: ſed hoc eſt ſola forma de novo inducta, ut patet: g. prius eſt inductio iſtius, quam expulſio alterius; conſequenterque etiam in genere cauſæ materialis, ſeu ex parte materiæ eſt generatio prior corruptione.

6 Ad rationem dubitandi ſupra poſitam, quæ eſt præcipuum Adverſariorum fundamentum, reſpondetur abſolutè negando, expulſionem formæ antiquæ eſſe diſpoſitionem in materia ad hoc, ut formam novam recipiat. Ratio pro nobis eſt; nam ſi talis expulſio eſſet ſic diſpoſitio, vel eſſet diſpoſitio negativa, vel poſitiva; non enim eſt excogitabilis media inter utramque; ſed neutra ex his poteſt eſſe; g. nullatenus eſt talis diſpoſitio. Probat. quod nequeat eſſe diſpoſitio poſitiva ad introductionem formæ novæ: quia poſitiva diſpoſitio eſt illa, quæ directè, & per ſe tendit in introductionem formæ, ad quam poſitivè diſponit; uti eſt calor reſpectu formæ ignis; ſed expulſio formæ antiquæ non tendit directè, & per ſe in introductionem formæ novæ; ſolum enim ſic tendit in non eſſe formæ anti-

tiquæ, ut per ſe patet: v.g. non eſt diſpoſitio poſitiva ad introductionem formæ novæ. Quod autem neque ſit diſpoſitio negativa, probat. nam diſpoſitio negativa formæ introducendæ eſt ablatio impedimentorum introductionis illius, ſeu eſt expulſio accidentium, quæ fuerunt diſpoſitio poſitiva introductionis formæ expellendæ: ſed expulſio formæ antiquæ non eſt formaliter ablatio impedimentorum introductionis formæ novæ, ſeu non eſt expulſio accidentium, quæ fuerunt poſitiva diſpoſitio introductionis talis formæ antiquæ: expulſio enim formæ antiquæ formaliter ſolum tendit in non eſſe talis formæ, & ſupponit jam expulſa huius accidentia: nam ſicut introductio accidentium, quæ ſunt diſpoſitio ad introductionem alicuius formæ, præcedit introductionem talis formæ; ſic expulſio illorum præcedit talis formæ expulſionem: v. grat. expulſio formæ antiquæ non eſt formaliter negativa diſpoſitio introductionis formæ novæ; conſequenterque neque poſitivè, neque negativè diſpoſitio eſt expulſio, ſeu corruptio.

7 Ponamus exemplum, ut veritas huius doctrinæ magis pateat, & hoc ſit lignum, cum agens naturale in illius materiam induxit formam ignis, & ab illa expulit formam ligni. Dicemus ergo, quod in hoc caſu expulſio formæ ligni neque eſt poſitiva, neque negativa diſpoſitio ad introductionem formæ ignis: nam poſitiva diſpoſitio ad huius introductionē ſunt gradus caloris, qui per ſe, & directè tendit in introductionem formæ ignis, ut patet; non ſic autem expulſio formæ ligni, quæ per ſe, & directè tantum tendit in non eſſe formæ ligni. Neque item eſt diſpoſitio negativa ad formæ ignis introductionem; nam diſpoſitio negativa ad iſtam eſt expulſio humiditatis v. gr. aut frigiditatis ligni, quæ ſunt impedimentum ut introducatur calor, & conſequenter forma ignis, &

& fuerunt diſpoſitio poſitiva ad formam ligni; conſtat autem, quod expulſio formæ ligni non eſt formaliter ablatio, ſeu expulſio frigiditatis, aut humiditatis ipſius ligni: nam illa expulſio ſupponit iſtam; ſicut enim introductio humiditatis, aut frigiditatis præcedit (regulariter loquendo) introductionem formæ ligni, ita & expulſio talium accidentium debet præcedere talis formæ expulſionem. Ex quo patet, quod expulſio formæ ligni neque poſitivè, neque negativè eſt diſpoſitio ad introductionem formæ ignis, ac proinde neque illam præcedit; ſed potiùs eſt quid conſequens illam, tamquam effectus ſecundarius illius.

8. Argum. contra concluſ. non minus impedit introductionem formæ ignis in ligno, v. gr. frigus, & humiditas, quam ipſa forma ligni: ſed propter talem obicem illa accidentia antecedenter expelluntur: v. g. & ipſa forma ligni antecedenter debet expelli. Confirm. nam generatio formæ novæ eſt finis per ſe intentus ab agente: ſed corruptio antiquæ ſe habet ut medium. v. gr. quamvis generatio ſit prior in intentione, erit tamen in executione poſterior. Reſp. quod frigus, & humiditas ligni auferuntur antecedenter ad introductionem formæ ignis, citra gradum frigiditatis, & humiditatis pro conſervatione talis formæ ligni determinatum: v. gr. uſque ad gradum ſeptimum (liceat ſic aſſignare) intenſionis talium accidentium, & citra gradum octavum, qui eſt determinatus pro conſervatione formæ ligni, hic autem, ſicut & ipſa forma ligni, corrumpitur ad introductionem formæ ignis: unde forma ligni eſt obex, qui tollitur conſequenter, non autem antecedenter, ad formæ ignis introductionem. Ex quo manifeſtè apparet argumenti ſolutio. Hic obiter nota, ut fundamentum contrariorum facilè diluas, quod ad introductionem formæ novæ non requiritur per ſe, quod præcedens forma

prius natura ſit a materia expulſa; ſufficit enim, quod tunc temporis, cum ipſa inducitur, præcedens expellatur. Ratio huius eſt, quia ſufficit formæ novæ, ut in eius ingreſſu materiam non inveniat occupatam ab alia forma: ſed ad hoc nihil refert, quod forma præcedens prius natura fuerit expulſa: ſed ſufficit, quod in ipſo formæ novæ ingreſſu expellatur, ut eſt perſpicuum: g.

9 Ad confirm. reſp. quod generatio non eſt finis dependens a corruptione, tamquam a medio rigoroſè, & propriè ſumpto, ſed ad ſummum tanquam ab impedimenti remotione conſequenti, ſeu ſecuta ex ipſa generatione: & hac dependentia (ſi ſic appellari poteſt) conſequenti etiam pendet forma ab accidentibus ipſam conſequentibus, quorum eſt finis, & tamen fit prius natura illis. Eò vel maximè; quia finis eſt poſterior mediis per ſeconcurrentibus; aut effectivè, aut diſpoſitivè, antecedenter ad illum, non autem conſequenter, ut evenit in expulſione formæ antiquæ reſpectu introductionis novæ.

10 Argum. 2. ſi expulſio præcedentis formæ dependet ab introductione formæ novæ: g. prius eſt in illo ſubiecto forma nova, quam expellatur antqua: g. in illo priori erunt ambæ ſimul in illo ſubiecto, ſiquidem antiqua nondum intelligitur ab eo receſſiſſe. Reſpond. conceſſa prima conſeq. in ſenſu concluſionis, negando ſecundam; nam in illo prorſus inſtanti nova incipit, & antiqua deſinit. Nec valet ſi Contrarii dicant, ſaltim in illo priori ſimul eſſe. Non quidem valet; quia per inſtans naturæ non explicatur, ſeu menſuratur exiſtentia formæ; ſed dumtaxat dependentia poſterioris a priori, vel talis præſuppoſitio unius ab alio, ut illud poſſit concipi, iſto non concepto, ſicut patet in exemplo rationalitatis, & riſibilitatis primo notab. allato. Etenim expulſio veteris for-

formæ non intelligitur ſine introductione novæ, huius tamen introductio benè intelligitur abſque eo quòd eam antecedat expluſio alterius, ſufficit enim quòd hæc illam conſequatur, ut ſæpè dictum eſt. Deinde hoc argumentum poteſt contra ſic arguentes retorqueri: nam juxta illos, expluſio formæ antiquæ præcepit introductionem formæ novæ: g. in illo priori manet materia ſine omni forma; ſicut & ipſi ob noſtram concluſ. nobis obiiciunt, quòd in illo priori erit ſub duplici forma. Tenentur ergo illi ad ſolvendum hoc ſicut & nos ſolvimus illud.

11 Arg. 4. ex Scoto, qui in 4. d. 16. q. 2. §. *ad rationes, verſ. ſi quæras*, lit. S. loquens de remotione culpæ, & infuſione gratię, & inquirens, quænam harum mutationum ſit prior, reſpondet, quod via generationis prior eſt expulſio culpæ, via autem perfectionis eſt prior infuſio gratiæ, & quòd in juſtificatione impii, etſi ordine intentionis Deus priùs velit ipſi infuſionem gratiæ, quàm remiſſionem culpæ; ordine verò executionis priùs vult illi non ineſſe culpam, quàm ineſſe gratiam: g. idem dicendum eſt de generatione, & corruptione; ac proinde noſtra concluſio opponitur Scoto. Reſp. negando conſequ. hæc enim non benè infertur ex ibi à Doctore dictis: in illa enim quæſt. loquitur de peccato, & gratia, quæ (iuxta ipſum Subtilem Magiſtrum) non opponuntur ex natura rei, ſed tantùm ex Dei ordinatione; ibidemque negat prioritatem cauſalitatis inter expluſionem culpæ, & infuſionem gratiæ. Concluditque demum in fine ipſius quæſt. quòd ſecundùm cauſalitatem, vel generationem, nullum habent ordinem prioritatis, & poſterioritatis. Vnde concl. noſtra nullatenus opponitur Scoto, imò eſt valdè conformis ipſius principiis.

12 Ex dictis in tota quæſt. facilè inferes, quo-

quomodo intelligendum ſit, quòd *generatio unius eſt corruptio alterius*; quam propoſitionem, veluti convertibilem docet Ariſt. 3. Phyſic. 73. & 1. de generat. 17. & 24. & aliis in locis. Et ſuppoſitio, quòd prædicta propoſitio multiplicem poteſt habere ſenſum, cauſalem nempe, & concomitantem, identicum, vel formalem, ſuppoſitoque etiam, quòd an talis propoſito in ſenſu cauſali, & concomitanti ſit vera, ſatis ex ſuperiùs dictis conſtat; modò reſtat diſcutiendum, an vera ſit in ſenſu formali, vel identico? Ad quod reſpond. quòd, ſi generatio, & corruptio ſumantur quatenus mutationes ſunt, talis propoſitio eſt falſa; nam generatio, & corruptio, ſic acceptæ, diverſas important mutationes. Si autem accipiantur ſub ratione actionis, prædicta propoſitio eſt vera, eo quòd corrutione non importat aliquam actionem diſtinctam à generatione; eadem enim prosùs actione, qua forma nova introducitur, antiqua ſecundariò expellitur. Utraque reſolutio ex hic ſæpè dictis patet apertè, ideòque circa hoc ampliùs immorari non oportet. Circa ſubiectum autem, & terminos tam *ad quos*, quàm *à quibus*, corruptionis, nihil peculiare dicimus præter ea, quæ de ſubiecto, & terminis generationis, quæſt. 2. & 3. præced. diſput. dicebamus. Ibi dicta recole, & ea hic (ſervatis ſervandis) applica.

QUÆSTIO III.

Quid, & qualis ſit viventium generatio?

1 QVia ſub generatione ſubſtantiali ut ſic, generatio viventium, tanquam quid illa inferiùs, comprehenditur, ideò poſtquam de illa jam in præcedentibus egimus, de

de iſta in præſenti agere libuit. Pro qua.

2 Dicimus ad quæſt. generatio viventium eſt *origo, ſeu productio naturalis viventis à vivente à principio vitæ coniuncto in ſimilitudinem naturæ.* Sic communiter generatio viventium ab omnibus definitur: quæ definitio ferè ad litteram deſumpta eſt, tam ex Subt. Doct. in 3. d. 8. quæſt. unic. §. ad quæſt. quam ex Angelico Magiſtr. 1. p. quæſt. 27. art. 2. Cujus bonitas, & ſufficientia non aliunde aptius poſſunt demonſtrari, quam ex clara illius verborum expoſitione, quam ſtatim damus.

3 Dicitur generatio viventium *origo, ſeu productio*, eo quod, cum ſæpè dixerimus, generationem bifariam ſumi poſſe, & ſub ratione nempe mutationis, & ſub ratione productionis denotatur, quod hic ſpecialiter de ea ſermo ſit ſub ratione productionis, & originis, nam ſub ratione mutationis nil peculiare de illa dici poteſt, præter ea, quæ circa hoc in diſp. præced. dicta manent. Quæ particulæ tenent locum generis; nam convenit per illas viventium generatio cum quavis alia generatione, ſeu productione ſubſtantiali.

4 Ponitur illa particula, ſcilicet, *naturalis*; quia in viventium generatione requiritur ex parte agentis inclinatio naturalis, ſeu forma naturalis, quæ ſit principium generandi, nam naturalitas generationis ſub ratione productionis deſumitur ex parte principii activi; prout nempè agens producit principio naturaliter ad agendum inclinato. Ratio poſitionis huius particulæ eſt; nam ut productio viventis ſit generatio, requiritur quod ita producatur vivens, ut ex vi talis productionis ſit ſimilis producenti in natura: ſed huiuſmodi non eſt niſi proceſſio naturalis, v.gr illa particula rectè ponitur, Prob. major; per generationem enim ut ſic producitur terminus ſimilis producenti in natura; ut conſtat ex Philoſ. 2. de anim. 24. & eſt

na-

naruraliſſimum opus vivẽtis generare ſibi ſimile. Prob. etiam minor : quia ut idem docet 2. Phyſ. natura eſt determinata ad unum, id eſt (ut explicat Scotus quæſt.quol. lit. F.) ad unum ſpecie effectum . Ex hoc infertur , quòd per iſtam particulam excluduntur à ratione generationis omnes productiones viventis à vivente, factæ per principium liberum. Unde etſi primi Parentes facti ſint à Deo vivẽte, & aliquomodo ad ejus imaginem, & ſimilitudinem, nihilominus hæ productiones viventium à ratione generationis vitalis meritò excluduntur , eo quod factæ ſunt per principium liberum , & non determinatum ad unum: Defectu etiam huius requiſiti præcipuè tenet Scotus, & omnes ejus Diſcipuli, proceſſionem Spiritus Sancti in divinis non dici generationem, ſicut dicitur productio Verbi, quia nempe ille procedit per principium liberum, ſcilicet voluntatem, Verbum autem per principium naturale, nimirum, intellectum. Unde licet productio Spiritus Sancti ſir origo viventis à vivente, à principio vitæ coniuncto in ſimilitudinem naturæ, hoc tantùm illi convenit identicè, & materialiter, hoc eſt, quia eſt proceſſio divina, ſeu intra Deum, non tamen ei convenit formaliter, id eſt, quia eſt verè tale principium; nam cùm hoc ſit voluntas, quæ eſt principium liberum, & non naturale, ideò talis productio, non eſt generatio.

5 Ponuntur illa verba, ſcilicet, *viventis à vivente*, per quæ à ratione huiuſmodi generationis relegantur productiones omnium inanimatorum, ac etiam aliquorum animatorum, quatenus à principio non vivente proveniunt; ut quidam dicunt de animalibus genitis ex putri materia, quæ effici opinantur à corporibus cœleſtibus, ut à cauſis principalibus . Excluduntur item per hanc particulam pili, ungues, & alia huiuſmodi; etſi enim hæc procedant activè à vivente, & ipſo materiam, ex qua formantur,

ſub-

ſubminiſtrante, cùm tamen in ſe verè non vivant, iuxta communiorem ſententiam, ideò illorum productio nequit dici generatio, ut hæc ſumitur in præſenti. Si autem teneatur, hæc animari (de quo in lib. de anim. agemus) per aliam particulam debent excludi, nempe, eo quòd non producuntur in ſimilitudinem naturæ, cùm non conveniant in eadem natura ſpecifica cum illo, à quo procedunt, nec propriè ſunt diſtincta viventia, ſed partes eiuſdem viventis,

6 Dicitur præterea huiuſmodi generationem eſſe *à principio vitæ coniuncto*. Et hoc intelligi debet de principio activo, non autem de paſſio; ob hoc Eua nequit dici genita ab Adam, et ſi ex huius coſta fuerit formata; nec vermes, alique ſimilia animalia imperfecta enaſcentia ex ſudore, & alis animalium excrementis, poſſunt dici ab eis generari quia ſolùm materialiter concurruut ſubminiſtrando materiam, ex qua formetur. Per ly *coniuncto* denotatur, quòd tale principium activum debet eſſe coniunctum generanti intrinſecè, & conſubſtantialiter, ut poſſit dici, genitum fieri de ſubſtantia generantis, & filius de ſuſtantia patris: eſt dicere, quòd à generante communicetur aliquid genito, quòd priùs erat illius ſubſtantia, vel aliquo modo aliquid ejus: quod quidem in divinis eſt eadem numero natura, quæ à Patre per intellectum communicatur Filio; in creatis autem, plantis ſcilicet, brutis, & hominibus, eſt ſemen, ex quo viventia efformantur. Per iſtam particulam relegantur à ratione huiuſmodi generationis generationes, quæ fiunt à dæmonibus per incubum, & ſuccubum; in his enim Dæmon nihil ſui, vel quod ſit, aut eſſet de eius ſubſtantia; genito communicat, ſed dumtaxat alienum ſemen transfert in vas fœminæ, unde fœtus enaſcens, partus debet dici hominis, cuius eſt ſemen, non verò dæmonis.

Vnde

Vnde etiam in oviparis generatio, & partus tribuuntur avibus ponentibus ova, non autem illis, quæ tantùm ea fovent. Eò vel maximè, quòd paſſim experitur, pullos erumpentes ex ovis non aſſimilari avi incubanti, ſed illi, quæ edidit ova.

7 Denique in definitione ponuntur illæ particulæ: *in ſimilitudinem naturæ.* Circa quas dubitari ſolet, an ad rationem talis generationis ſufficiat ſimilitudo in aliqua ratione generica; an autem requiratur univoca ſimilitudo ſpecifica? Prima videtur, quòd non ſufficiat; aliàs vermis poſſet dici filius Solis, cùm in aliqua ratione generica cum illo conveniat. Neque ſecunda videtur neceſſaria; alioquin productio muli ex equa, & aſino non eſſet generatio viventis, neque mulus poſſet dici filius eorum, cùm non ſit eiuſdem ſpeciei cum illis: quod eſt falſum. Vnde dicimus reſolutoriè, quòd ſimilitudo ad generationem viventis, & inter Patrem, & Filium, requiſita neque tantam debere eſſe, ut ſit atoma ſpecifica, neque adeò tenuem, ut tantùm ſit in aliqua generali entis, vel ſubſtantiæ ratione, ſed ſufficit, quòd ſit in aliquo genere infimo, in quo aliquæ ſpecies conveniant. Et hujuſmodi eſt illud commune, in quo mulus, equa, & aſinus conveniunt; etſi tale genus diſtinctè non agnoſcamus, ideòque innominatum ſit.

Dubia aliqua incidentia.

8 Poſt præpoſitam quæſt. aliquæ aliæ ſolent communiter ab AA. apponi circa naturam ſeminis, ex quo fœtus efformatur. Circa modum, quo parentes ad prolis generationem concurrunt; ac circa ordinem, quo fœtus efformatur, tempuſque quo iſte animatur; quæ utique difficultates, earumque notitia non parùm

rùm conducunt ad alias, quæ nedum in Theologia Scholaſtica examinantur, verum & ad plures; quæ in morali, tanquam ſcitu dignæ, proponuntur. Has igitur & nos majori, qua potuerimus, brevitate, claritateque proponemus, & reſolvemus, quæ latiùs, tamquam ex profeſſo diſcuſſæ, apud omnes AA. videri, & addiſci poſſunt. Igitur

9 Dub. 1. quid ſit ſemen? Reſp. quòd ex variis definitionibus, quibus plures illud deſcribunt, ſic communiter exactè definitur: *eſt corpus humidum, album, ſpumoſum, ex reliquiis alimenti ultimi, & ſpirituum ubique oberrantium permixtione, vi ſola teſtium elaboratum ad perfectam animalis generationem*. Hujus definitionis particulæ ſic communiter explicantur. Dicitur, ſemen eſſe *corpus humidum*, eo quòd eſt aptum alterari; humidum quippè faciliùs alteratur, & in diverſas transſmutatur formas. Dicitur item, *ſpumoſum*; quia materia illa eſt validis ſpiritibus plena, quibus agitata ferveſcit, & ſpumat, ſicut mare ventorum agitatione. Dicitur etiam *album*, eò quòd partes, quæ illud efficiunt, continent, illoque nutriuntur, ſunt albæ. Dicitur deinde, eſſe *ex reliquiis alimenti ultimi*: quia eſt ex ſanguine putiori, qui vocatur excrementum, non tamen inutile, imò utile valde: unde pediculi, vermes, aliaque animalia his ſimilia, quæ ex animalium excrementis gignuntur, non dicuntur eorum filii; nam hæc excrementa abjiciuntur, tanquam nociva ſine naturæ intentione, ut illa animalia gignantur: eſt tamen naturæ intentio ſemen effici, ut quid ad generationem neceſſarium. Propterea dicitur, fieri *ex ſpiritibus ubique oberrantibus*, quia ſemen eſt maximè actuoſum, & hanc virtutem accipit à ſpiritibus, qui ſunt præcalidi, valdeque actuoſi, & ſunt in corpore fons vividarum actionum. Dicitur etiam: *Vi ſola teſtium elaboratum*, quia tota ma-

teria ex ſanguine, & ſpiritibus conflata à teſtibus fugitur, & perficitur, illam in ſemen convertendo, quod per quandam venam in proprium vas immittitur. Denique dicitur eſſe *ad perfectam animalis generationem*; nam huic alii ſpiritus ſunt inepti: qui enim ſunt in cerebro ſoli nutritioni, & imaginatrici ſerviunt, qui verò in teſtibus, ad generationem limantur, ac perficiuntur. Ex quo ſatis patet ſeminis natura.

10. Dub. 2. Utrùm ſemen concurrat activè immediatè ad generationem viventis? Reſp. negativè. Ratio eſt; quia quod non eſt, nequit eſſe principium productivum alicujus: ſed ſemen non eſt in inſtanti generationis: g. tunc nequit eſſe principium productivum geniti. Confirm. nam imperfectius non poteſt eſſe cauſa ſufficienter activa perfectioris, ut per ſe patet: ſed ſemen eſt imperfectius re generanda, ut conſtat: g. nequit eſſe cauſa immediatè activa illius.

11 Dub. 3. Utrùm utrumque ſemen, nempè tam virile, quàm fœmineum ad viventis generationem concurrat paſſivè, ita ut utrumque recipiat alterationes ad formam, & in utriuſque materiam introducatur forma organica, & iſta mediante anima, qua vivens in eſſe talis conſtituitur? Reſp. affirmativè. Ratio eſt, quia filius debet eſſe conjunctus parentibus per aliquid ſubſtantiale ab ipſis ei communicatum, ut declarantes definitionem generationis dicebamus: ſed ſi ex ſemine utriuſque parentis non compingererur filius, hic non eſſet conjunctus utrique parenti per aliquid ſubſtantiale ipſi ab eis communicatum: g. utrumque ſemen ſic paſſivè concurrit ad generationem.

12 Dub. 4. Utrùm tam fœmina, quàm vir, ſeu mas activè concurrant ad prolis generationem? Reſp. affirmativè. Ratio eſt: nam formæ ejuſdem rationis, & ſpeciei habent neceſſa-

riò potentias naturales eiuſdem rationis, ac ſpeciei: ſed fœmina eſt eiuſdem rationis, & ſpeciei ac vir: g. fęmina habet potentias naturales ejuſdem rationis, ac ſpeciei, ac vir; ſed ad formam viri conſequitur naturalis potentia activa generativa: g. etiam ad formam fęminæ, & conſequenter hæc activè concurrit. Confirm. experientia, qua videmus, quod proles aliquando aſſimilatur matri: g. hæc activè concurrit. Patet conſeq. nam omne agens naturale, præſertim ſi univocum ſit, intendit ſuum effectum ſibi aſſimilare: g. ratio aſſimilandi infert rationem agendi: ſed ratio agendi neceſſariò eſt quid activum: g. & ratio aſſimilandi; ac per conſequens; &c. Ex hujus dubii reſolutione infertur, Beatiſſimam Virginem Mariam concurriſſe activè ad organizationem corporis Chriſti D. Ratio eſt: quia eſt vera Mater naturalis ipſius, ſiquidem miniſtravit puriſſimam materiam, ex qua forma corporeitatis: media ipſius materiæ activitate, ab ipſa Virgine fuit producta. Sed adverte, quod in illa generatione partialem viri actionem ſupplevit virtus divina, ſeu obumbratio ab Angelo illi promiſſa; poteſt enim Deus concurſum cauſarum efficientium ſupplere, ut omnes, tam Theologi, quam Philoſophi, unanimiter fatentur.

13 Dubit. 5. quo ordine efformetur fętus? Pro huius reſolutione notare oportet, multiplicem in generatione intervenire motum. In primis enim datur motus localis corporis corrumpendi, nempe ſeminis, de loco proprio ad locum generationi aptum, qui appellatur matrix. Deinde ſequitur figuratio corporis, quam præcedit alteratio ſeminis, & fit cum motu locali etiam, nimirum diſtribuendo partes ſubſtantiæ. Poſtea ſequitur ipſius corporis condenſatio, quæ etiam cum motu locali fit, non per acquiſitionem maioris loci, ſed per oc-

cupationem minoris ſpatii: nam corpus antea rarum, denſum fit, & ſic occupativum minoris loci. His ergo motibus completis, introducitur forma organica, & ſtatim ſequitur fœtus animatio. Hoc prænotato, variiſque circa hanc difficultatem dicendi modis omiſſis, reſpond. quod omnes principales corporis partes ſimul efformantur. Ratio hujus eſt; quia partes heterogeneæ corporis viventis mutuò ad invicem pendent à reciproca actione: exempli gratia: cerebrum dependet à calefactione cordis, cor autem à refrigeratione cerebri, & ſic da cæteris præcipuis partibus. Itaque cor per calorem inſitum ſuffocaretur niſi a cerebro refrigeraretur: g. hæ partes, & his ſimiles propter mutuam dependentiam ſimul efformari debent.

14 Dubit. 6. quo tempore animetur fœtus? Circa hoc quam plures ſunt dicendi modi. Aliqui enim affirmant; corpus animari quadrageſimo die à ſui conceptione in maſculis; in fœminis autem die octogeſimo. Hæc ſententia colligitur ex lege purgationis tradita à Deo per Moyſen populo Iſraelitico, ut legitur cap. 12. Levit. Etenim hæc lex ſupponit, ad animationem fœtus præfatum tempus requiri, toto enim tempore, quo fœmina conceptum ſemen inanimatum retinet, ſeu conſervat, immunditiam potius, quam fœtum deportat. Ariſt. verò aſſerit, viros animari quadrageſimo die, fœminas autem die nonageſimo. Valerius cenſet, fœminas nunquam animari ante diem quadrageſimum, viros verò die trigeſimo, aut trigeſimoquinto. Omnes tamen iſti, & alii dicendi modi, quaſi divinationes ſunt; animationis enim initium ſolus novit, qui nihil neſcit. Quaſi indubitabile tamen apud omnes eſt, fœminas tardiùs, quam viros animari, eo quod illæ ex ſemine frigidiori, & inutiliori fiunt. Nos verò videtur certum, quod omnibus, viris & fœminis poſ-

ſit aſſignari ad animationem determinatum tempus, cùm ex diverſa activitate matris, & diverſitate temperamenti, aliiſque de cauſis tardiùs, aut celerius corporis organizatio, ut anima introducatur, conſumari poſſit. Quomodo conceptio Christi D. facta fuerit, diffusè dicitur in materia de Incarnatione, tanquam in proprio loco, ideoque omittitur in præſenti.

QUÆSTIO IV.

Utrùm in viventibus detur præter animam, ſubſtantialis forma corporeitatis?

1 PRo deciſione huius difficultatis (quæ inter omnes huius diſp. præcipuum tenet locum, ab eaque aliæ poſtea diſcutiendæ dependent) notandum eſt, quod forma ſubſtantialis corporeitatis (quam eſſe in viventibus in præſenti oſtendere conamur) nihil aliud eſt, quam id per quod materia prima habet, quod ſit corpus, ſumpto corpore non pro trina quātitativa dimenſione (ut ſic enim ſumptum *corpus* ad prædicamentum quantitatis ſpectat) neque pro corpore, quod eſt quoddam genus in ſerie prædicamentali ſubſtantia (quia *corpus* ſic acceptum eſt quid completum deſumptum à tota entitate compoſiti phyſici, ſecundum quemdam gradum ſuperiorem metaphyſicum abſtractum ab illa per intellectum, ut in logica dicebamus) ſed ſumpto corpore pro altera parte compoſiti phyſici, quæ ſimul cum anima per ſe conſtituit compoſitum vivens. Quæquidem corporeitatis forma, quæ ſimul cum materia intrinſecè componit corpus, quod eſt altera pars viventis, etſi reſpectu materiæ primæ ſit actus, reſpectu tamen animæ, & totius viventis, quod ex corpore, & anima phyſicè conflatur, eſt quid incompletum, & habens rationem potentiæ, ſicut & ipſum corpus, quod ipſa conſtituit. Hu-

juſmodi ergo formam ſubſtantialem Scotus formam corporeitatis appellat; eſt enim forma conſtitutiva corporis; appellatque etiam illam, formam miſti, eo quod corpus, quod eſt altera compoſiti pars, quamvis ſit quid incompletum, & tendens ad ulteriorem perfectionem, nimirùm ad eſſe viventis, attamen eſt quid miſtum, & ex quatuor conſtans elementis.

2 Notandum eſt 2. quod prædicta forma corporeitatis dumtaxat in animatis, ſeu viventibus à Scoto infra citando, & à nobis Scotiſtis admittitur; nullatenus verò in inanimatis, ſeu vita carentibus. Ratio, ob quam huiuſmodi forma iſtis denegatur, illis autem neceſſario in eſſe cenſemus, præter alias in progreſſu quæſt. dandas, hæc eſt: nam ideò adſtruitur hæc forma corporeitatis in animatis, ſive vegetativis, ſive ſenſitivis, ſive rationalibus; quia iuxta perfectionem, & excellentiam uniuſcujuſque, ad proprias operationes exercendas, diverſaque exequenda vitalia munera, diverſam exigunt organizationem in materia, magis, minuſve perfectam, ſecundum majorem, vel minorem cuiuſvis viventis, ſeu animati perfectionem: ſed inanimata, ſeu vita carentia diverſas non exercent operationes, ob quas in illius forma corporeitatis ſit neceſſaria: g. non iſtis, ſed in ſolis viventibus forma corporeitatis eſt admittenda. Major hujus ſyllogiſmi ex diſcurſu totius quæſt. patebit, & etiam minor, nam rationes, quæ urgent, ut in viventibus prædicta forma neceſſariò admittatur, ex non neceſſitate, non dari in inanimatis, etiam oſtendunt. His notatis, ut poſſibili procedamus claritate, & quia concluſio noſtra ſtatim ſtatuenda, nedum philoſophicis, verum Theologicis etiam nititur fundamentis, præpoſitam quæſt. aliquas diſſecabimus ſectiones. Quarum ſit.

SE-

SECTIO I.

In qua concluſio noſtra ſtatuitur, philoſophiciſque rationibus fulcitur.

3 Dicimus ad quæſt. in viventibus, ſeu animatis, datur ſubſtantialis forma corporeitatis diſtincta ab anima vegetativa, ſenſitiva, & rationali. Hæc concluſio eſt expreſſè noſtri Subt. Doct. in 4. diſt. 11. quæſt. 3. quem omnes ſui Diſcipuli ſequuntur; procedit tamen contra omnes Thomiſtas, & omnes ferè Jeſuitas. Probatur hæc concluſio (etſi rationibus communiter à Scotiſtis adductis, Adverſariorum tamen reſponſiones, quibus illarum vim enervare intendunt, una vel altera peculiari impugnatione præcludere conabimur) primò ex Philoſopho, qui in libris de anima, ſic illam definit; *Anima eſt actus corporis phyſici, & organici in potentia vitam habentis*. Ex qua definitione hæc pro noſtra concluſione efformatur ratio; anima eſt actus corporis, &c. g. antequàm anima adveniat, præſupponitur ratio corporis, proindeque forma corporeitatis, in materia. Prob. conſequ. eo ipſo quòd motus eſt actus entis in potentia reſpectu mobilis, neceſſariò præſupponit in tali mobili paſſiva potentia ad motum, quæ potentia paſſiva nullatenus provenit à tali motu; g. eo ipſo, quòd anima eſt corporis phyſici, & organici reſpectu ſui receptivi, neceſſariò præſupponit in tali receptivo rationem corporis phyſici, & organici, quæ ratio ab anima neutiquam provenit.

4. Reſpondent communiter Adverſarii negando conſequ. non enim (inquiunt) ſequitur ex eo, quòd anima ſit actus corporis phyſici, & organici, quòd neceſſariò præſupponat ipſum corpus in eſſe talis conſtitutum; nam

lux quidem eſt actus lucidi, & tamen non præſupponit lucidum in aliquo priori ante ipſam: g. ſtat optimè, quod anima ſit actus corporis, & quod non ſupponat corpus in aliquo anteriori ad ipſam. Contra hanc reſponſionem argument. ſic: verum quidem eſt, quod lux eſt actus lucidi, etſi illud intrinſecè in eſſe talis conſtituat, & in tali eſſe illud non præſupponat: unde etiam anima poſſet dici actus corporis, etiamſi illud in eſſe talis intrinſecè conſtitueret, & in eſſe talis non præſupponeret; cæterum, ſi anima ſic conſtitueret corpus, non benè deſcriberetur per ordinem ad illud: ſed Philoſophus in præjactis verbis animam deſcribit, ut patet ex illis, & ex contextu; g. ideò eſt, quia anima non eſt actus corporis, in quantum corporis, ſicut lux eſt actus lucidi, in quantum lucidi. Prob. major; quia ad hoc, ut aliquid deſcribatur per ordinem ad aliud, neceſſe eſt, quod hoc aliud ſit notius, quam id, quod deſcribitur; hæc enim eſt indiſpenſabilis bonæ definitionis conditio; ſed id, quod conſtituitur intrinſecè, & formaliter per aliquam formam, nequit eſſe notius tali forma; g. ſi anima eſſet actus conſtituens corpus in eſſe corporis, non benè deſcriberetur per ordinem ad illud. Prob. minor: nam qui ignorat naturam caloris v. g. etiam ignorat naturam calidi; hoc enim nihil aliud eſt, quam conſtitutum per calorem, & omnino certum eſt, quod conſtitutum per calorem non poteſt intelligi, non intellecto calore; g. quod intrinſecè, & formaliter conſtituitur per aliquam formam, nequit eſſe notius tali forma; g. ſi anima eſt actus conſtituens corpus in eſſe corporis, tale corpus conſtitutum per illam nequit eſſe notius illa; ſed Philoſophus ſupponit, eſſe notius, ſiquidem animam per ordinem ad illud deſcribit; g. anima non eſt actus conſtituens corpus in eſſe corporis, ac proinde ſupponit illud in eſſe corporis conſtitutum in aliquo anteriori ante ipſam.

Se-

5 Secundò impugnatur eadem reſponſio; quia ideò lux, licet actus lucidi ſit, non ſupponit lucidum in aliquo priori ante ipſam, quia lux eſt, quæ conſtituit formaliter lucidum; ſed anima nequit conſtituere formaliter corpus; g. ſupponit illud formaliter conſtitutum in aliquo priori ante ipſam. Prob. minor; nam nulla res præſtare poteſt id, quod in ſe ipſa non habet; ſed anima, præſertim rationalis, non eſt corporea; g. non poteſt conſtituere formaliter corpus.

6 Ad hoc reſpondent aliqui, quod eſtò anima non ſit formaliter corporea, eſt tamen corporea virtualiter, ſeu eminenter, & hoc ſufficit ut præſtet compoſitò gradum corporeitatis, ſeu eſſe corporeum. Contra hunc dicendi modum argument. ſic; nulla forma continet virtualiter, ſeu eminenter effectum ſuæ naturæ repugnantem; ſed gradus corporeitatis immediatè opponitur naturæ animæ, præſertim rationali, quæ ſpiritualis eſt; g. nequit illum virtualiter, ſeu eminenter continere. Contra 2. quia nulla forma tribuit illi, reſpectu cujus eſt forma, in genere cauſæ formalis effectum, quem in ſe ſolùm continet eminenter; ſed anima (juxta reſponſionem datam) ſolùm eſt virtualiter, ſeu eminenter corporea; g. nequit tribuere eſſe corporeum illi, reſpectu cujus eſt forma. Prob. major; quia forma reſpectu illius, cujus eſt forma, cauſat in genere cauſæ formalis, id eſt, ſeipſam illi communicando; ſed cauſa, quæ cauſat in genere cauſæ formalis, ſeu ſe ipſam communicando, non tribuit illi, reſpectu cujus eſt cauſa formalis, effectum, quem in ſe ſolùm virtualiter, ſeu eminenter continet; g. Prob. minor; nam ideò Sol non eſt formaliter calidus (in omnium conſenſu) quia forma Solis non eſt formaliter calor, ſed tantùm forma continens virtualiter, ſeu eminenter calorem,

& ideò anima rationalis tribuit homini eſſe formaliter vegetativum, & ſenſitivum; quia ipſa eſt formaliter vegetativa, & ſenſitiva, ut in lib. de anima dicetur: ſed anima non eſt formaliter corporea, ſed ſolùm virtualiter, ſeu eminenter; g. nequit tribuere eſſe corporeum formaliter illi, reſpectu cujus eſt cauſa formalis; ſed homo v.g. eſt formaliter corpus, ſeu corporeus; g. non ab anima, quæ (juxta prædictam reſponſionem) tantum eſt virtualiter, ſeu eminenter corporea, & conſequenter eſſe formaliter corporeum ſolum à forma corporeitatis poteſt provenire.

7 Tertiò impugnatur eadem reſponſio; nam dicere, quòd compoſitum vivens habet eſſe formaliter corporeum ab anima, eſt idem, ac dicere, quod tale compoſitum eſſentialiter non conſtat corpore, & anima; ſed hoc à nullo conceditur; g. Prob. major; quia ſi compoſitum in eſſe formaliter corporei conſtituitur per animam, hoc ipſo, quòd dicitur, compoſitum conſtare corpore, dicitur in hoc, quin aliud exprimatur, conſtare anima: g. diceretur, tale compoſitum non conſtare corpore, & anima, ſeu nugatoriè diceretur, illis conſtare. Hujus rationis vis ampliùs declaratur: nam ex eo præcisè, quòd album v. gr. conſtituitur formaliter in eſſe albi per albedinem, non benè dicitur, ſeu dicitur nugatoriè, quòd album eſſentialiter conſtat albo, & albedine, ut ex ipſis terminis conſtat: g. ſi compoſitum conſtituitur formaliter in eſſe corporis per animam, non benè dicitur, ſeu dicitur nugatoriè, compoſitum eſſentialiter conſtare corpore, & anima: ſed hoc eſt abſurdum, & contra communem omnium conſenſum: g. anima non eſt actus conſtituens corpus in eſſe corporis, ſed præſupponens illud in eſſe talis conſtitutum in aliquo priori ante ipſam.

8 Noſtræ rationi, ſeu impugnationi num. 5. poſitæ reſpondet quidam eruditione, & digni-

ta-

tate Eminentiſſimus Thomiſta quòd etiam Scotus, & nos difficultate ibi poſita innodamur, ac proinde illis ſatiſfacere tenemur; non enim (inquit) minùs repugnare videtur entitati animæ ſpirituali eſſe vegetativam, quam corpoream, ſiquidē omninò ipſi in ſua entitate repugnat creſcere, aut nutriri ab intrinſeco, in quo vegetatio conſiſtit; ſed Scotiſtæ non aſſignant in homine formam aliquam vegetativam realiter diſtinctam à rationali, & immediatè in materia receptam; ſed aiunt, animam rationalem ſufficere ad præſtandum materiæ gradum vegetativum; g. pariter nec propterea aſſignanda eſt in homine forma aliqua corporea, realiter diſtincta à rationali, & in materia immediatè recepta; ſed potiùs dicendum eſt, ipſam animam rationalem ſufficere ad præſtandum gradum corporis, ſicut & ſufficit ad præſtandum gradum vegetativum.

9 Contra hanc reſponſionem argument. ſic; nam falſum omninò eſt, non minus repugnare animæ ſpirituali eſſe vegetativam, quam eſſe corpoream; conceptus enim vegetandi, aut ſentiendi, ut ſic, non includit materialitatem, & extenſionem (quæ ſunt rationes immediatè oppoſitæ immaterialitati, ſeu inextenſioni animæ ſpiritualis) ſed potiùs à tali materialitate, & extenſione præſcindit; quia conceptus vitæ, ſive vegetativæ, ſivæ ſenſitivæ, ut ſic tantum importat (juxta ſic arguentem) *ſe movere ab intrinſeco*, & huiuſmodi motus non includit, ut per ſe patet, aliquid materialitatis, quæ eſt ratio oppoſita ſpiritualitati, ſeu immaterialitati animæ rationalis. Neque ex eo, quòd operationes ſenſitivæ ſint materiales, infertur, quòd etiam potentiæ, à quibus proveniunt, ſunt materiales, nam etſi hoc verum ſit de potentiis adæquatis, quæ etiam organa includunt, non tamen de potentiis animæ partialibus ſecundùm ſe, quæ ut ſic immateriales, & inex-

tenſæ eſſe poſſunt, ut in anima rationali. Conceptus igitur vegetativi ut ſic non opponitur entitati animæ ſpirituali. Cæterùm ratio corporei ut ſic, ex ſua formali, & præciſiſſima ratione, includit materialitatem, & extenſionem, ſeu rationem immediatè oppoſitam nentitati animæ ſpirituali, ſeu incorporeæ; corporeum enim, & incorporeum ſunt rationes ex diametro oppoſitæ, æquè dividentes rationem ſubſtantiæ ut ſic, ut ex ſerie prædicamentali poſita in logica conſtat manifeſtè: g. etſi animæ ſpirituali nullatenus repugnet eſſe principium formale *quo* vegetandi, & ſentiendi; quia hoc ut ſic non dicit materialitatem, implicat tamen, quòd ſit principium formale *quo* conſtituens corpus, ſeu corporeum; nam hoc (ut dictum eſt) immediatè opponitur entitati ſpirituali, ſeu incorporeæ illius.

10 Diximus num. præcedenti, quòd conceptus vegetandi, aut ſentiendi, ut ſic non includit materialitatem, & extenſionem, ſed potiùs ab illis præſcindit; quod non debet intelligi (ut omnis abigatur æquivocatio) de conceptu adæquato vegetandi, aut ſentiendi, hoc eſt, prout dicit nedùm conceptum vitæ, ſed & conceptum differentialem talis vitæ, nempe vegetativæ, aut ſenſitivæ, ut ſic enim conceptus vegetandi, aut ſentiendi includit quidem materialitatem, ſiquidem importat organa, ex quibus, & anima, principium *quod* vegetandi, aut ſentiendi adæquatè coaleſcit: illud ergo tantùm intelligi debet de conceptu vegetandi, aut ſentiendi inadæquato, id eſt, prout importat rationem vitæ, quæ eſt principium ſe movendi ab intrinſeco: ut ſic enim huiuſmodi conceptus nihil materialitatis includit, ſed prorſus ab illa præſcindit, & determinãtur ad eſſe vitæ materialis, per vegetativum, aut per ſenſitivum; & ad eſſe immaterialis, per intellectivum, aut ratio-

na-

nale: hic igitur inadæquatus animæ conceptus eſt, quia præſcindit à materialitate, & licet ab ipſa anima, ut contracta ad eſſe materiale vegetativæ, aut ſenſitivæ (quo pacto importat, ſaltim connotativè, organa materialia vegetandi, aut ſentiendi) poſſit præſtari, *ut quo*, ſive in genere cauſæ formalis, effectus vegetandi, aut ſentiendi, qui etſi materialis, eſt tamen vitalis, ut per ſe conſtat, non verò præſtari poteſt effectus faciendi corpus, ſeu corporeum, eo quòd hic eſt non vitalis ſecundùm præciſum corporeitatis conceptum, ut patet in embryone in illo priori anteadventum animæ, & in cadavere poſt diſceſſum illius, in quibus, abſque vitalitate, formam corporeitatis eſſe, omnes fateri neceſſariò tenent. Ex qua doctrina benè percepta, non ſolùm impugnatio nu. 8. poſita, ſed & plures aliæ profectò corruunt.

11 Probat. 2. noſtra concluſio; quia omnia viventia eſſentialiter conſtant corpore, & anima; g. habent præter animam, formam corporeitatis. Anteced. apud omnes eſt certum; conſeq. autem probatur; nam ideò ponitur in viventibus anima, præter formam corporeitatis, quia viventia eſſentialiter conſtant anima, ſeu ſunt animata; ſed viventia etiam conſtant eſſentialiter corpore, ſeu ſunt corporea: g. debet poni in illis, præter animam forma corporeitatis.

12 Reſpondent aliqui huic rationi, quòd quamvis viventia conſtent corpore, & anima, optimè hoc ſalvatur, dicendo, quòd conſtant anima, & materia accidentibus aliquibus veſtita, quibus ipſa in eſſe corporis conſtituitur: unde neceſſarium non eſt adſtruere formam ſubſtantialem corporeitats, ut verificetur, viventia corpore, & anima conſtare. Sed contra argument. ſic; viventia eſſentialiter conſtant corpore, & anima, & non con-

ſtant eſſentialiter accidentibus, ut per ſe patet: ſed ſi corpus, quo eſſentialiter conſtant, eſſet materia aliquibus accidentibus veſtita, viventia conſtarent eſſentialiter illis accidentibus; g. per hæc nequit materia in eſſe hujuſmodi corporis conſtitui. Prob. minor; quia non poteſt aliquid conſtitui eſſentialiter per aliud, quin eſſentialiter conſtituatur per illud, per quod illud aliud in eſſe talis eſſentialiter conſtituitur; homo v. g. nequit eſſentialiter conſtitui per animal, quin & eſſentialiter conſtituatur per id, per quod animal in eſſe talis eſſentialiter conſtituitur, nempe vivens ſenſibile; ſed viventia eſſentialiter coſtant corpore, quod per accidentia (juxta datam reſponſionem) in eſſe talis eſſentialiter conſtituitur: g. viventia eſſentialiter illis accidentibus conſtatn; ſed hoc eſt abſurdum; nam nulla ſubſtantia, uti ſunt viventia, poteſt eſſentialiter accidentibus conſtare: g. &c.

13 Reſp. huic impugnationi, quòd corpus non eſt eſſentia viventium ſecundùm omne, quod dicit, ſed solùm ſecundùm materiam primam, quam corpus dicit in recto; non verò ſecundùm accidentia, quæ dicit tantùm in obliquo. Sed contra ſic argument. nam ſecundùm illud debet eſſe corpus de eſſentia viventium, per quod eſſentialiter in eſſe corporis conſtituitur: ſed in eſſe talis non conſtituitur per ſolam materiam (hæc enim ex ſe non eſt organicè corporea) ſed etiam per illa accidentia, quæ dicit in obliquo, in ſententia ſic arguentium: g. talia accidentia (ſuppoſito, quòd conſtituant materiam in eſſe corporis) neceſſariò ſunt de eſſentia viventium. Deinde falſum eſt, quòd corpus (in ſuppoſitione ſententiæ ſic reſpondentium) dicat in obliquo illa accidentia; nam ſi hæc ſunt forma conſtituens materiam in eſſe corporis; potiùs dicit

dicit illa in recto, eo quod corpus eſt quoddam concretum, quod dicit in recto formam, & de connotato ſubiectum, ut in logica oſtendebamus.

14 Prob. 3. concl. nam quando aliquod vivens moritur, remanet idem corpus organicum, quod ante diſceſſum animæ erat ſimul cum illa, ſed illud corpus organicum non erat materia prima ſola, aliàs daretur privata omni forma ſubſtantiali, quod eſt naturaliter impoſſibile: g. eſt aliqua forma ſubſtantialis ſimul cum illa materia, ſed talis forma non eſt alia, niſi forma corporeitatis, ut ex ſtatim dicendis patebit: g. datur forma corporeitatis ab anima, & materia realiter diſtincta. Reſpondent contrarii negando aſſumptum: non enim (inquiunt) ibi manet idem corpus, quod antea erat, ſed aliud diverſum, quia materia prima, quæ antea informabatur ab anima, quando hæc diſcedit informatur per aliam novam formam (hanc appellant cadavericam) quæ ſimul cum materia conſtituit cadaver. Sed contra hanc ſolutionem argument. ſic: forma quæ remanet in tali corpore eſt ſemper ejuſdem rationis, ut conſtat oculari experientia, ſed ſi de novo produceretur, non ſemper eſſet ejuſdem rationis, vivens enim interdum corrumpitur ferro, interdum abundantia frigoris, interdum abundantia caloris, interdumque aliis cauſis, & certum omninò videtur, quòd à tam diverſis cauſis introducentibus in paſſum adeò diverſas diſpoſitiones, nequeat produci forma ejuſdem ſpeciei: g. nulla forma ſubſtantialis tunc de novo producitur, ac proinde remanet in illa materia forma corporeitatis, quæ antea erat. Eò vel maximè, quia non eſt aſſignabilis cauſa illius formæ cadavericæ.

15 Reſpondent iterùm, quòd tals forma cauſatur à cauſis univerſalibus. Sed hæc reſ-

reſponſio facilè præcluditur 1. quia cauſæ univerſales operantur juxta exigentiam diſpoſitionis ſubiecti, ſed in morte viventis nulla poteſt reperiri diſpoſitio determinans ad formam cadaveris: g. talis forma neque à cauſis univerſalibus producitur. Prob. min. nam ſi aliqua eſſet diſpoſitio, maximè illa, quæ diſponit ad mortem viventis, ſed hæc nequit eſſe, tum quia ſæpè eſt diverſæ rationis, & ſic non poteſt diſponere ad formam eiuſdem rationis ſemper, uti eſt cadaverica, tum quia ſæpè eſt tam contraria formæ cadavericæ, quàm formæ viventis, ut patet quando aliquis moritur igne: g. non datur diſpoſitio, quæ cauſas univerſales determinet ad formam cadavericam producendam. Contra ſecundò, quia in corpore mortuo manent eadem numero accidentia, quæ erant in illo corpore vivo: g. remanet idem ſubiectum accidentium, ſed ſecundùm Thomiſtas, & etiam ſecundùm nos (ut poſtea videbitur) ſubiectum accidentium non eſt materia prima, ſed totum compoſitum: g. manet compoſitum, quod ſit ſubjectum illorum accidentium, eo modo, quo erat antequam vivens moreretur, ſed hoc compoſitum non eſt ipſum vivens, ſiquidem hoc non eſt ex quo anima diſceſſit: g. ſolùm reſtat, quòd ſit compoſitum ex materia, & forma corporeitatis (quod erat ſimul cum anima) ſubiectum talium accidentium.

16 Reſp. ad hoc Thom. quòd illa accidentia, quæ ſunt in cadavere, non ſunt eadem, quę erant in corpore vivo, ſed alia valde ſimilia. Sed (præterquam quòd hoc eſt contra ipſam experientiam ſenſuum, qui in corpore mortuo ſentiunt eadem vulnera, cicatrices, & ſigna quæ erant in corpore vivo, & ut inquit Ariſt. 8. Phyſic. 2 2. quærere rationem, & ſenſum dimittere infirmitas intellectus eſt) contra ſic argument. nam ſi eſſentalia numero accidentia, deberet aſſignari aliqua cauſa, à qua producerentur ſed non eſt.

eſt aſſignabilis huiuſmodi cauſa, ut duobus numeris præcedentibus manet oſtenſum: g. &c. Si reſpondeant, quòd producuntur à cauſis univerſalibus, quæ ad talium accidentium productionem determinantur per ſimilia accidentia, quæ erant in corpore vivo, contra eſt, quia abſurdum eſt, quòd unum accidens per deſitionem ſui ſit diſpoſitio determinans cauſas univerſales, ut producant in compoſito, genito aliud accidens ejuſdem rationis, aliàs ſemper in genito eſſent accidentia ſimilia accidentibus, quæ fuerunt in corrupto, quod quàm falſum ſit, præ oculis eſt.

17 Reſp. aliter Jeſuitæ noſtræ ſecundæ impugnationi num. 15. nempe, quòd ſubiectum accidentium eſt materia prima, & cùm ſit eadem hæc in genito, & corrupto, hinc eſt, quòd eadem remanent accidentia. Sed contra eſt primò, nam aſſumptum huius ſolutionis eſt falſum, ut poſtea in proprio loco dicemus. Secundò, quia poſt corruptionem viventis nequeunt remanere omnia illa accidentia, quæ erant in corpore vivo, niſi ratione alicuius formæ ſubſtantialis, ſed hæc nequit eſſe alia, niſi forma corporeitatis, ſi enim hæc non eſt, nulla alia admittitur ab illis, præter animam, quæ in morte diſceſſit: g. Probatur maior, quia quando ex aqua, v. g. producitur ignis, etſi (in ſententia Jeſuitarum) maneat eadem quantitas, non tamen manent omnia alia accidentia, quæ erant materia prima ratione formæ aquæ, ſed alia, quæ illi conveniunt ratione formæ ignis de novo inductæ, ſed omnia illa accidentia, quæ ſunt in corpore mortuo, & erant antea in corpore vivo, non conveniunt materiæ primæ ratione ſui, aliàs in quavis materia eſſent ſimilia accidentia, ut patet; g. conveniunt ei ratione alicuius formæ ſubſtantialis, ſed non ratione animæ, hæc enim jam ibi non eſt, ut ſupponitur, nec ratione formæ

cada-

cadavericæ, nam iſta opponitur formæ viventis, & omnia eademque accidentia nequeunt convenire eidem ſubiecto ratione duplicis formæ omninò oppoſitæ; g. conveniunt materiæ ratione alicuius ſubſtantialis formæ, quæ eſt eadem in corpore vivo, & mortuo, atque hæc nequit eſſe alia, niſi forma corporeitatis, ut demonſtratum eſt ſupra: g. &c.

18 Prob. 4. concl. quævis operatio arguit formam, ſed in compoſito animato, ſeu viventi eſt aliqua operatio, quæ neque mediatè, neque immediatè poteſt ab anima provenire; g. talis operatio arguit aliquam ſubſtantialem formam ab anima diſtinctam, nempè formam corporeitatis. Prob. minor quia cùm compoſitum vivens, v. g. homo præter intentionem deiicitur ex aliquo eminenti loco, abſque dubio movetur deorſum naturaliter, & à ſeipſo ſicut moveretur ſic lapis, ſed eſt certum, quòd hic motus non eſt ab anima, adhuc mediatè, eſt quippè immediatè à gravitate, quæ animæ repugnat; g. talis motus, ſaltim mediatè eſt ab alia forma ſubſtantiali, nempè à forma miſti, ſeu corporeitatis, quæ movet ſecundùm qualitatem elementi prædominantis, ac proinde huiuſmodi forma neceſſariò in viventibus eſt admittenda.

SECTIO II.

In qua noſtra concluſio rationibus Theologicis roboratur.

19 PRima ratio Theologica pro noſtra concl. hæc eſt, nam ſi in triduo mortis Chriſti D. aliquis Apoſtolus conſecraret panem, tunc abs dubio, poneret ex vi verborum conſecrationis Corpus Chriſti ſed ſpeciebus panis id ipſum numero, quòd Chriſtus conſecrans ex vi verborum poſuit ſub panis ſpeciebus, ſed hoc eſſet

eſſet falſum, ſi tale corpus non importaret præter animam, aliam formam ſubſtantialem à nobis ſtatutam: g. Corpus Chriſti D. habet formam corporeitatis ab anima diſtinctam. Major videtur certa, & minor prob. nam tunc caſus non poneretur ſub ſpeciebus panis Chriſti Corpus, ut conſtitutum ab anima, aliàs Apoſtolus conſecrans revocaret ad vitam Chriſtum mortuum: quòd dici nequit: g poneretur tunc ſub ſpeciebus panis Corpus Chriſti, ut conſtitutum per aliam formam ſubſtantialem: ſed non per cadavericam (ut volunt Adverſarii) corpus enim conſtitutum per formam cadavericam, non eſſet id ipſum, quod Chriſtus D. poſuit ex vi verborum, cùm in ultima cœna conſecravit; nam hoc non habebat tunc formam cadaveris, ſiquidem erat corpus vivum: g. ne dicamus, quòd Apoſtolus tunc conſecrans non poneret ſub ſpeciebus panis id ipſum numero corpus, quod Chriſtus poſuit, cùm conſecravit, tenendum eſt, quòd poneretur tunc ſub eadem numero forma ſubſtantiali (ab anima diſtincta) ſub qua poſitum eſt ab ipſo Chriſto conſecrante, ſed hæc non eſt forma cadaverica, ut patet ex dictis: g. eſt forma corporeitatis ſupra ſtatuta.

20 Reſpond. aliqui, quòd in triduo mortis Chriſti D. maneret ipſius materia accidentibus veſtita, & hanc poneret Apoſtolus, caſu quo conſecraret, ex vi verborum conſecrationis, ſub ſpeciebus panis. Sed contra hunc dicendi modum ſic argument. nam non benè, nec verè dicitur, quod corpus ligni eſt ſub forma ignis, quamvis materia prima, quæ fuit ſub forma ligni, ſit ſub forma ignis, materia enim eſt illius, cujus eſt actu pars, & cùm eſt ſub forma ignis, eſt actu pars ignis: g. quamvis materia Chriſti D. poneretur ſub ſpeciebus panis, non rectè, nec verè diceretur, quòd Corpus Chriſti eſſet ſub panis ſpeciebus. Deinde

quàm

quam falſum ſit, accidentia poſſe conſtituere materiam in eſſe corporis, ex ſect. præcedenti n. 12. & 13. ſatis apertè conſtat.

21 Secunda ratio eſt, ſi in interitu viventis non maneret idem corpus, ſed novum gigneretur, & nova forma cadaveris ſequeretur, quod Corpus Chriſti D. non eſset idem vivum, & mortuum (quod eſt contra auctoritates SS. Ambroſ. Greg. Leonis, Auguſt. Damaſc. & Hieron. quas allegat Scotus ſup. cit. ſub lit. Q. & etiam ſequeretur, quod Corpus Chriſti D. fuerit corruptum (quod eſt contra Sacram Scripturam, nam Pſal. 15. dicitur; *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*. Et Actor. cap. 2. *Caro eius corruptionem non vidit*) ſed neutrum horum poteſt admitti; g. Prima ſequela prob. tum quia generaliter loquendo, ex Ariſt. 12. Metaph. 27. ad numeralem effectus unitatem requiritur unitas materiæ, & formæ, & præſertim in huius, cũ ſit principium principalius conſtitutivum compoſiti; g. ſi in morte Chriſti D. varietur forma corporis, non maneret idem numero corpus; Tum etiam quia ſicut quando ex corpore, v. gr. hominis generatur vermis, nequit dici, quod corpus vermis eſt idem corpus cum corpore hominis, ita neque corpus cadavericum de novo genitum poſset dici idem numero cum corpore vivo Chriſti, corpus enim vivum, & corpus mortuum plus inter ſe differunt in ratione corporis, & ſubſtantiæ; quam corpus hominis viventis, & corpus vermis. Prob. ſecunda ſequela, nam id dicitur propriiſſimè corrumpi, quod in aliam ſubſtantiam, non ſolum ſpecie, ſed etiam genere diverſam mutatur, ſed ex ſuppoſitione formæ cadavericæ, huiuſmodi mutatio facta fuiſset in corpore Chriſti; mutaretur quippè in aliam ſubſtantiam, nedum ſpecie, verum & genere diverſam, ut eſt perſpicuum; g. Corpus Chriſti fuiſset corruptum, ſed nequit concedi; g. &c.

21 Huic

22 Huic rationi diverſimodè reſpondent ali. qui ex contrariis. Primò enim dicunt, Corpus Chriſti D. vivum, & mortuum fuiſſe idem materialiter, nimirum quatenus eadem omninò eſt materia, quæ fuit in corpore vivo, ac mortuo Secundo dicunt, quod corpus vivum, & mortuum magis inter ſe conveniunt in accidentibus, quam homo, & vermis, ideoque corpus cadavericum poteſt aliquomodo dici corpus hominis, non autem ſic corpus vermis, & etiam quia corpus cadavericum immediatè ſuccedit corpori vivo, non autem ita corpus vermis. Ad rationem ſecundæ ſequelæ reſpondent, Corpus Chriſti D. eatenus remanſiſſe incorruptum, quatenus etſi fuerit novum cadaver, non tamen abiit in vermes, & cineres (ſicut regulariter evenit in cæteris cadaveribus) & in hoc ſenſu (inquiunt) loquitur Scriptura dum aſſerit Corpus Chriſti D. fuiſſe incorruptum.

23 Contra hos tamen reſpondendi modos argument. ſic. Contra primum, nam cum ex igne gignitur aer, non eſt dubium, quod eadem materia, quæ fuit in igne corrupto, reperitur in aere genito, & tamen nullus concedet, quod aer, & ignis ſint idem numero, ex quo ſequitur, quod (ex hypotheſi prædictæ reſponſionis) non majorem identitatem, & unitatem haberent Corpus Chriſti vivum, & mortuum, quam ignis corruptus, & aer genitus ex ipſo. Deinde quia illa, quæ ſunt idem ſecundum materiam ſolum, ſunt idem ſecundum quid, & ſimpliciter diverſa ut patet in igne reſpectu aeris, ex quo fuit genitus; g. Corpus Chriſti vivum, & mortuum eſſet idem ſecundum quid, & diverſum ſimpliciter, ſed ex hoc ſequitur propoſitiones prædictorum PP. aſſerentium, quod idem Chriſti Corpus jacuit in ſepulchro, quod fuerat in Cruce, & quod idem, quod fuit in ſepulchro reſurrexit, & nunc ſedet in throno gloriæ, eſſe tantum veras ſecundum quid, & falſas ſimpliciter, quod dici nequit;

quit: g. dicendum eſt, fuiſſe idem numero ſub eadem nempè corporeitatis forma, & conſequenter, &c.

24 Contra ſecundum arg. ſic; convenientia in accidentibus eſt extrinſeca, utpotè accidentalis, convenientia autem in genere eſt intrinſeca, utpotè eſſentialis, ſed hæc non ſufficit, ut corpus vermis, & hominis corpus dicantur idem corpus numero; g. neque ſufficiet illa, quæ eſt minor convenientia, ut corpus cadavericum dicatur idem numero cum corpore vivo. Patent major, & minor, conſequentia autem prob. quia inter illa eſt major unitas, & identitas, inter quæ major intercedit convenientia, ſed inter corpus vermis, & corpus hominis datur convenientia in genere proximo, & inter corpus vivum, & corpus cadavericum datur ſolùm convenientia in accidentibus, ut conſtat ex reſponſ. & hæc convenientia eſt minor illa; g. &c. Contra tertium denique inſurg ſic; nam licet corpus, quod fuit in Chriſto vivo, non abjerit in vermes, abjit tamen in formam cadavericam, ut tenent ſic reſpondentes, ſed hæc eſt ſpecie diverſa ab anima; g. verè, & ſubſtantialiter (in hac ſuppoſitione) fuit corruptum. Præterea, quia ut omninò verificetur ſenſus Scipturæ, & PP. debet dici, Corpus Chriſti ita incorruptum remanſiſſe, ut fuerit omninò idem numero corpus, quod fuerat vivum; g. non ſufficit ſi dicatur, ideò manſiſſe incorruptum, quia in cineres non abiit. Antec. ex dictis conſtat, conſequentia autem prob. ex eo quòd illa incorruptio ſic explicata non infert, nec ſalvat identitatem numeralem, ſiquidem corpus non manet ſub eadem numero corporeitatis forma; g. &c.

25 Alii huic ſecundæ rationi noſtræ reſpondent, quòd Corpus Chriſti idem eſt poſt mortem, ac in vita ſuppoſitaliter, eo quòd manſit idem ſuppoſitum Divinum hypoſtaticè unitum

ma-

materiæ primæ. Sed contra eſt. Prima, quia permanentia ſuppoſiti uniti nihil conducit ad permanentiam ejuſdem numero corporis: g. Prob. anteced. nam quod dabat eſſe corporeum non erat divinum ſuppoſitum, ſed aliqua forma: g. tantum permanentia huius formæ requiritur, & conducit; ut dicatur idem numero corpus. Secundò, quia ſi Verbum uniretur hypoſtaticè ligno (quod tanquam poſſibile admittitur à Theologis in tract. de Incarn.) & lignum converteretur in ignem, etiamſi permaneret unio materiæ primæ illius ad Verbum, non ob hoc diceretur, idem corpus phiſicum manere, nam nequeunt eſſe idem numero corpus ignis, & lignum. Tertiò, quia Scriptura, & Sancti non dicunt, idem ſuppoſitum, vel eandem materiam manere, ſed manere idem numero corpus: g. tam identitas ſuppoſiti, quam materiæ, fruſtranea eſt, ut omninò verificetur Scripturæ, & PP. propoſitio, conſequenter: &c.

SECTIO III.

In qua argumentis ſatisfacere intenditur.

26 Arg. 1. forma corporeitatis in viventibus ab anima diſtincta eſt omnino ſuperflua: g. admittenda non eſt. Prob. antec. nam juxta Ariſt. 2. de Anima 31. forma perfectior continet virtualiter minus perfectam, ſed anima eſt forma perfectior quam forma corporeitatis: g. continet illam virtualiter, & conſequenter, &c. Confirm. 1. quia non implicat, animam immediatè uniri materiæ primæ, ſed certum eſt, quod huiuſmodi compoſitum eſſet animal, conſequenterque corpus, animal enim eſt inferius, & corpus eſt ſuperius, & ab inferiori ad ſuperius tenet affirmativè conſequentia: g. Confirm. 2. nam eadem forma

acci-

accidentalis poteſt conſtituere ſubiectum in ſpecie, & in genere ſuperiori, albedo v. g. tribuit eſſe album, coloratum, & quale: g. & anima poterit tribuere conſtituto eſſe hominem, eſſe animal, corpus, &c. Reſp. negando antec. & ad majorem illius probationis dicimus, eſſe quidem veram ſi intelligatur de continentia per exceſſum perfectionis, in quo ſenſu homo dici poteſt contineri in Angelo, non tamen ſemper eſſe veram per continentiam effectivam, ſeu effectus in cauſa, & ſic eſt in propoſito, anima enim nequit tribuere eſſe corporeum organicum, quale ad eſſe compoſiti vivētis requiritur, ut ex ſupra dictis conſtat, unde in hoc ſecundo ſenſu negatur conſeq. Ad primam confirm. negatur abſolutè major, omninò enim implicat, quod anima per ullam potentiam informet id, quod corpus non eſt, cùm ipſa ſit eſſentialiter actus corporis, unde etiam negatur minor, nam illud compoſitum, in tali hypotheſi, non eſſet animal quia nullam animalis functionē poſſet exercere, cùm careret organis, ex quibus & anima principium *quod* vitalium operationum adæquatè coaleſcit, etſi nobis appareret eſſe animal, quia deciperemur ex aliquibus accidentibus externis, ſicut deciperemur, ſi Angelus aſſumeret corpus, & inſtar hominis nobis loqueretur. Ad ſecundam confirm. reſp. eſſe quidem verum, quod à forma individua deſumuntur omnes gradus prędicamentales, quando aliqua contradictio ad id non obſtat, ut patet in exemplo albedinis ibi adducto, non tamē ſic evenit in propoſito, nam cùm recedente anima, idem omninò corpus manere videamus, evidenter infertur, quod non ab anima, ſed ab aliqua præcedente forma, eſſe corporeum formaliter provenit, quod idem de albedine diceretur, ſi illa recedente ſubiectum coloratum maneret.

27 Arg. 2. Scotus in 4. d. 11. quæſt. 3. §. *Ad rationes, verſ. Sic in propoſito*, litt. HH. videtur ex-

expreſsè docere, quod animatum dicitur corpus ab anima, ut corpus eſt genus in recta linea: g. non datur juxta Scotum, forma corporeitatis ab anima diſtincta. Confirm. quia anima, quavis alia ablata forma, compoſito tribuit eſſe ſubſtantiale: g. corporeum, vel incorporeum, ſed non hoc, ut patet; g. illud, & conſequenter, &c. Eò vel maximè, quia eſſe corporeum de genere ſubſtantiæ nil aliud videtur eſſe, niſi compoſitum ex materia, & forma, quod quidem per quamvis formam ſpecificam habetur. Reſp. negando antec. non enim ibi inquit Scotus, quod vivens habeat eſſe corpus ab anima prout corpus eſt prædicatum directè collocatum in genere, ſed tantùm dicit, quod corpus prout eſt individuum corporis, quod eſt genus, ſub forma tali eſſe corpus, ut corpus eſt genus habens corporeitatem, in quibus verbis per ly *ſua forma tali* non intelligit Doctor, formam phyſicam ſpecificam illius individui, ſed formam totius, & metaphyſicam, ita ut ſenſus ſit, quod ſicut corpus in communi metaphyſicè dicitur corporeitate ut ſic corpus tamquam per formam totius, ita hoc, vel illud corpus, ut eſt individuum, & inferius illius tali, vel tali corporeitate dicitur corpus, tanquam per formam talis totius. Itaque etſi corpus metaphyſicè ſumptum poſſit dici eſſe ab anima, ſaltim mediatè, prædicata enim metaphyſica deſumuntur immediatè à tota entitate phyſica compoſiti, ac proinde mediatè ab iſtius partibus à quibus talis entitas cauſatur, ſumptum tamen corpus prout ſumitur in præſenti pro altera nempe parte compoſiti phyſici, nullatenus eſt ab anima potius enim illam antecedit, manetque ipſa recedente, ut oſtenſum eſt. In hoc ſenſu apertè loquitur Scotus loco allegato.

28 Ad confirm. reſp. quod anima tribuit compoſito eſſe ſubſtantiale tale nimirum animatum, ſeu vivens, non autem corporeum,

non

non enim omnis forma inferior tribuit gradum infimum, & ſuperiores, ſed vel tribuit iſtos, vel eos præſupponit datos à forma anteriori, ut communiter dicimus Scotiſtæ de differentiis; nempè quod differentia inferior non includit ſuperiorem, nec tribuit gradum illius, ſed illum ſupponit datum à differentia ſuperiori, ſic in noſtro caſu, anima non facit corpus, ſed corpus factum animat, & vivificat, & eſt forma, qua corpus eſt vivens, non autem qua corpus eſt corpus, Ad id, quod in ipſa confirm. additur ſcilicet eſſe corpus (ut modo ſumitur) tantùm importare compoſitionem ex materia, & forma dicimus eſſe falſum, ſi intelligatur de quavis forma, verum autem, ſi intelligatur de forma corporeitatis à nobis ſtatuta, nempè pro organica extenſione ſubſtantiali, quam extenſionem non anima, ſed ſola forma corporeitatis tribuere poteſt.

29 Arg. 3. ſi daretur forma corporeitatis, eſſet ingenerabilis, & incorruptibilis, ſed hoc nullus concedet: g. neque quod detur talis forma. Prob. major, quia generans nihil corrumpit, niſi id, quod eſt compoſſibile formæ ab ipſo generandæ, ſed forma corporeitatis non eſt incompoſſibilis formæ generandæ, ſcilicet animæ, imò eſt neceſſario requiſita ad ipſam: g. &c. Deinde ſi huiuſmodi forma daretur, idem eſſet corpus vivum, & mortuum, ſed hoc eſt falſum, cùm genere differant; g. Patet maior, nam eadem forma corporis maneret, ſeu manet, ut ſupponitur. Reſp. ad primum negando maiorem, nam etſi forma corporeitatis, eo quod eſt diſpoſitio ad animam, ad adventum iſtius non recedat à materia, recedit tamen, ut ex corpore hominis, aut equi v. gr. generentur vermes, in quo caſu nova mixtionis forma producitur, nam ad aliam, & aliam animam ſpecie diſtinctam, alia & aliá diſtincta forma corporeitatis requiritur. Ex quo patet formam corporeitatis non

eſſe

eſſe ingenerabilem, aut incorruptibilem. Ad id, quod additur, reſpond. quod corpus vivum & corpus mortuum in ratione corporis non differunt, ſed tantum differunt in ratione viventis (quem gradum ſuperaddit anima corpori) differunt ergo ſpecie diſparata, & non tanquam duæ ſpecies completæ (corpus enim, ut hic ſumitur, non eſt ſpecies completa, ideòque non directè, ſed ſolùm reductivè ponitur in prædicamento ſubſtantiæ) ſed tanquam ſpecies, & pars ſpeciei differunt inter ſe.

30 Arg. 4. ex Philoſopho 2. de gener. animal. cap. 1. dicente, quod caro viva, & caro mortua non conveniunt univocè in ratione carnis. Hæc ſunt illius verba: *Non eſt enim facies, niſi animam habeat, neque caro, ſed corrupta æquivocè dicitur facies, aut caro, perinde quaſi lapidea, aut lignea facta ſit*: g. in corpore mortuo non manet eadem corporeitatis forma, quæ erat antea in vivente. Patet conſequentia, nam ſi eadem forma corporeitatis maneret, univocè conveniret facies, aut caro viva, cum facie, aut carne mortua, ſed oppoſitum aſſerit Ariſt. g. &c. Reſp. quod partes animalium bifariam conſiderari poſſunt. Primò quatenus ſunt quædam entia mixta, aut corporea, in quo ſenſu ſunt planè eadem, ſive ſint in corpore vivo, ſive ſint in corpore mortuo, eadem enim eſt in utroque forma corporeitatis. Secundò poſſunt conſiderari, quatenus ſunt quædam inſtrumenta animæ, & in hoc ſenſu oculus, & caro mortua ſunt æquivocè oculus, & caro, quia oculus in cadavere non eſt animæ inſtrumentum ad videndum, ſicut neque caro ad nutriendum, proinde dicuntur à Philoſ. quaſi lapidea, aut lignea, non verò in aliquo alio. Ex quo apparet manifeſtè illius verba nullatenus opponi noſtræ concluſioni.

31 Arg. 5. unius entis tantùm eſt unicum eſſe, ſed unius eſſe ſolùm eſt unica forma, hæc

enim dat eſſe rei; g. quodlibet vivens (utpote tantùm unum ens per ſe) unicam ſolum habet formam. Confirm. 1. quidquid advenit enti in actu, facit cum illo unum per accidens, ſed ſi in viventibus daretur in materia forma corporeitatis ante animam, hæc adveniret materiæ in actu, ſeu actuatæ: g. faceret cum illa unum per accidens, ſed hoc eſt falſum: g. Confirm. 2. quia de ratione formæ ſubſtantialis eſt præſtare primum eſſe ſimpliciter materiæ, ſed ſi eſſet in materia forma corporeitatis ante animam, hæc non daret primum eſſet ſimpliciter materiæ: g. &c. Reſp. diſting. majorem argum. unius entis tantùm eſt unicum eſſe completum, concedo; incompletum, & ſubordinatum, nego maj. Minor etiam diſting. unius eſſe tantùm eſt unica forma, quæ tribuit eſſe completivè, & ultimatè, concedo, alio modo, neg. min. Hoc igitur modo ſe habent in viventibus anima, & forma corporeitatis, illa enim dat eſſe completum, & ultimatum, conſtituitque compoſitum in ſpecie completa, forma autem corporeitatis non dat illud eſſe, ſed ſolum incompletum, & non ultimatum, ſeu ſubordinatum animæ, ideòque non conſtituit ſuum compoſitum in aliqua ſpecie completa. Unde ſimiliter diſting. conſeq. vivens unicam tantum habet formam, tribuentem eſſe ultimatè, & completivè, concedo, alio modo, ut explicatum manet, neg. conſeq. ad primam confirm. reſp. concedendo libenter, id quod advenit enti in actu ſubſtantiali completo, & perfecto, eſſe accidens illius, & non potens facere cum illo unum per ſe, non tamen eſt accidens, neque unum per accidens, ſed unum per ſe, conſtituit id, quod advenit enti in actu, etſi ſubſtantiali incompleto tamen, & imperfecto, ac proinde ſimul habens eſſe in potentia, ut ulterius ſubſtantialiter perficiatur: cujuſmodi eſt compoſitum ex materia, & forma corporeitatis. Ex quibus patet hujus

con-

confirm. ſolutio. Ad ſecundam confirm. reſp. conced. mai. & diſting. min. ſi daretur forma corporeitatis, anima non tribueret compoſito primum eſſe ſimpliciter, corporeum, concedo, primum eſſe ſimpliciter animatum, neg: min. & conſeq. Quæ ſolutio ſatis ex hucuſque dictis conſtat.

32 Replic. contra prædictas reſponſ. ſi forma corporeitatis ſubordinaretur animæ, conveniret illi eſſe ſubiectum, ſicut convenit materiæ, ſed hoc eſt falſum, alioquin confunderentur rationes actus, & potentiæ: g. Præterea, quia illud compoſitum, quod ex materia, & forma corporeitatis reſultaret, nempè corpus, eſſet incompletum, & ordinatum ad animam: g. nequit eſſe naturaliter ſine iſta. Patet conſeq. quia ideò materia nequit eſſe naturaliter ſine forma. quia eſt ens incompletum, & per ſe ordinatum ad illam: g. ſimiliter corpus reſpectu animæ, ad quam per ſe ordinatur. Reſp. ad primam inſtantiam neg. mai. de ratione enim formæ corporeitatis tantùm eſt conſtituere cum materia unum compoſitum per ſe, ſcilicet corpus, & hoc compoſitum eſt ſubiectum formæ viventis, & ideò forma corporeitatis dicitur ſubordinata animæ, nimirum, quia conſtituit compoſitum incompletum, & ordinabile ad compoſitum completum, nempè vivens. Unde conſtat, quod formæ corporeitatis non convenit eſſe ſubiectum, ſicut materiæ, hæc namque eſt ſubiectum, immediatè receptivum ſubſtantialis formæ; non ſic autem forma corporeitatis reſpectu animæ, iſtam enim ſolùm immediatè recepit compoſitum, ſeu corpus, quod illa formaliter conſtituit. Ad ſecundam inſtant. neg. conſeq. cuius probationis neg. antec. non enim ideò materia prima non poteſt eſſe ſine forma, quia eſt ens incompletum, & ordinatum ad formam, ſed etiam quia eſſet in pura potentia ſubiectiva, & ſine aliquo actu

formali, corpus autem & ſi ſit quid incompletum, non tamen eſt pura potentia ſubiectiva, ſed habet aliquem actum formalem, formam ſcilicet corporeitatis. Deinde etiam poteſt reſponderi, quod materia prima ideò nequit eſſe naturaliter ſine forma, quia non eſt excogitabilis modus, quo naturaliter poſſet eſſe ſine diſpoſitionibus prævíis ad aliquam formam, ac proinde ſine aliqua forma, cum agens naturale quod deſtruit formam præexiſtentem in materia, ſemper introducat diſpoſitiones, ut inducat ſuam formam in illam materiam, & ſic ſemper in materia una forma alteri ſuccedit. Cæterùm corpus, quando ſeparatur anima, remanet ſine diſpoſitionibus neceſſariis ad introductionem alterius formæ, & ſic pro aliquo tempore ſine alia forma. Hic adverte, quod corpus ſine anima non remanet in ſtatu perfectæ diſpoſitionis, ſed in ſtatu corruptionis, ut ipſa experientia innuit.

33 Arg. 6. generatio unius eſt corruptio alterius, ut inquit Ariſt. g. quando corrumpitur compoſitum vivens, generatur aliud, ac proinde neceſſariò producitur alia forma: g. non remanet forma corporeitatis. Reſp. primò, quod illa Ariſt. propoſitio tantùm eſt vera in non viventibus, & hoc ſolum intendit Philoſophus. Et ratio huius eſt, quia ſi in non viventibus quando corrumpitur una forma, non generaretur alia, cùm materia in his unam tantùm habeat formam, profectò ſequeretur, materiam manere nudam ab omni forma. Et hoc in viventibus non contingit, nam cùm iſta (ut dictum eſt) duplicem habeant formam, modo explicato, cùm in corruptione deperditur una, nempè anima, remanet alia, forma ſcilicet corporeitatis, & ſic materia non manet abſque omni prorſus forma ſubſtantiali. Reſp. 2. quod talis propoſitio intelligi debet, ita ut mediatè, vel immediatè ſemper ſit vera, videlicet

in

in non viventibus, immediatè in viventibus autem, mediatè ſemper enim ad generationem formæ viventis præcedit aliqua corruptio, & ad corruptionem illius communiter ſubſequitur, ſaltim mediatè, aliqua generatio. Reſpond. tertio, quòd dicta propoſitio intelligitur de totali generatione, & corruptione, & ſic tam in viventibus, quam in non viventibus, vera eſt.

34 Inquires, an forma corporeitatis, qua corpus organicum formaliter conſtituitur, pluribus formis corporeitatis partialibus conſtet? Reſpond. affirmativè. Itaque in corpore ſunt plures formæ partiales inter ſe ſpecificè diſtinctæ, nimirum forma oſſis, forma carnis, forma nervi, &c. Ratio huius reſolutionis eſt, quia in carne v. grat. debet eſſe principium intrinſecum ſubſtantiale, ratione cuius illi conveniunt accidentia carnis potius quam accidentia oſſis, aut nervi, ſed ſi forma corporeitatis carnis non eſſet ſpecificè diſtincta a forma corporeitatis oſſis, non eſſet in carne principium intrinſecum, quo convenirent illi potius accidentia carnis, quam accidentia oſſis; g. &c. Patet minor, quia tale principium nequit eſſe materia prima, hæc enim in omnibus partibus viventis eſt eiuſdem rationis; g. eſt forma, conſequenterque forma totalis corporeitatis conflatur ex pluribus formis partialibus heterogeneis, & diverſæ ſpeciei, & ſic corpus, ſeu compoſitum, quod conſtituunt eſt quoddam totum integrale ſubſtantiale heterogeneum.

35 Ex his colligitur, quod forma corporeitatis ponitur in viventibus propter duplicem phyſicam neceſſitatem. Prima eſt, ut conſtituat ſubiectum proportionatum animæ, nempe corpus organicum ſubſtantiale heterogeneum. Secunda eſt, ne materia maneat aliquando ſine omni forma, cum enim vivens ſæpiùs

corrumpatur ſine diſpoſitionibus, ut alia forma introducatur in materia, hęc maneret ſine omni forma, ſi non adeſſet forma corporeitatis, quæ remaneret in eadem materia, quando ab illa ſeparateretur anima.

QUÆSTIO V.

Quodnam ſit proprium, & adæquatum accidentium ſubjectum?

1 PRo hujus intelligentia quæſt. notandum eſt, illam non procedere de aliquibus accidentibus imperfectis, & incompletis; cujuſmodi ſunt, v.g. generatio ſubſtantialis, & unio, quæ non ſunt, niſi quædam via in terminum, hæc enim recipi in materia nullus dubitare poteſt. Neque etiam procedit hæc difficultas de accidentibus ſpiritualibus, uti ſunt ſcientia, error, charitas, intellectio, &c. nam iſta, certum eſt, ſubjectari in altera parte hominis, nempè in anima rationali, etſi totum compoſitum, ſeu totus homo denominetur ab his accidentibus in concreto ſumptis, unde dici poteſt ſubjectum denominationis illorum. Tantùm ergo procedit quæſt. de accidentibus perfectis, & completis, ut ſunt quantitas, albedo, frigiditas, & cætera hujuſmodi accidentia materialia præſertim abſoluta.

2 Notandum eſt 2. quòd cùm duplex ſit ſubjectum, aliud ſcilicet inhæſionis, illud nempè, cui forma proximè inhæret, & aliud denominationis, illud nimirum, quod in ſe immediatè non recipit formam, ſed tantùm illius denominationem, in quo ſenſu totum, ſeu compoſitum denominatur ab accidente inhærente parti, aut eſſentiali, aut integrali, homo enim & dicitur formaliter intelligens per intellectionem, quæ inhæret animæ, & criſpus per criſpitudinem, quæ ca-

pil-

pillis inhæret, quæſtio non controvertitur de ſubjecto denominationis, nam hoc eſſe totum compoſitum omnes fatentur, unde ſermo eſt de ſubjecto inhæſionis, & non de remoto, & inadæquato, ſed de adæquato, & proximo, nempè illo, cui accidentia proximè, & adæquatè inhærent. His ergo prænotatis.

3 Dicimus ad quæſt. proximum, & adæquatum ſubjectum inhæſionis quantitatis, & aliorum accidentium corporalium, quæ mediante quantitate inhærent ſubſtantiæ, non eſt materia prima, ſed totum compoſitum, qūod ex materia prima, & forma ſubſtantiali conflatur. Hanc concluſionem tenent Subtilis Doctor in 2. d. 3. quæſt. 4. & d. 15. qu. un. §. *Dico ergo, Verſ. Item*, ſub lit. A. & Angel. Magiſt. 1. p. qu. 76. artic. 6. & præſertim qu. 11. de ſpirit. creatur. art. 3. ad 18. & opuſ. 32. quos ſui Diſcipuli ſequuntur, contra aliquos oppoſitum ſentientes, quos citat, & impugnat noſter Illuſtriſſ. Merin. lib. 1. de ortu, & interitu diſp. 2. quæſt. 5. n. 2.

4 Prob. concl. 1. quia illud eſt proximum, & adæquatum ſubjectum accidentium, quod eſt proximum, & adæquatum ſubjectum motus, ſed compoſitum, ſeu corpus eſt proximum, & adæquatum ſubjectum motus: g. &c. Major patet, nam idem eſt ſubjectum motus, & termini motus, verb. grat. idem eſt ſubjectum calefactionis, & caloris, ſubjectum enim movetur propter terminum acquirendum, & terminus motus accidentalis eſt accidens. Prob. min. ex Ariſt. qui 5. Phyſic. 3. explicans ſubjectum proprium, & adæquatum motus cum ſuis terminis, ſic ait; *Alterum eſt, quod primum movetur, & in quod movetur, & ex quo, ut lignum calidum, & frigidum*; & explicans quodnam ex prædictis ſit ſubjectum motus, inquit; *Motus manifeſtum eſt, quòd in ligno eſt*: g. compoſitum eſt proximum,

& adæquatum ſubjectum motus, & conſequenter, &c.

5 Neque valet, ſi huic rationi reſpondeant Contrarii, quòd etſi ſubjectum motus ſit compoſitum, non eſt ſubiectum tale ratione totius, ſed ratione partis, ſcilicet materiæ primæ. Hoc quidem non valet, nam compoſitum ratione partis ſolùm eſt ſubiectum denominationis, non autem inhæſionis, ut patet, ſed Ariſtotel. ibi loquitur de ſubiecto inhæſionis, nam loquitur de ſubiecto, quod tranſit à termino *à quo* ad terminum *ad quem*, & hoc eſt ſubiectum inhæſionis. Deinde ipſa verba Philoſophi id apertè demonſtrant, inquit enim; *Motus manifeſtum eſt, quòd in ligno eſt*, ſed non dicitur, accidens ineſſe ſubiecto denominationis, ſed ſubiecto inhæſionis; g. &c.

6. Prob. 2. ratione deducta ex Scoto in 2. d. 18. quæſt. unic. ſi materia prima eſt proprium ſubiectum inhæſionis omnium accidentium ſequeretur, quòd nullus eſſet motus violentus in rerum natura, ſed hoc adverſatur omni rectæ Philoſophiæ; g. Prob. ſequela; motus dicitur naturalis, vel violentus iuxta inclinationem, vel repugnantiam ſubiecti ad formam recipiendam; ſed materia nullam formam recipit violenter, ad omnes enim dicit inclinationem; g. ſi ſubiectum motus, aut accidentis eſt materia prima, ſequitur nullum motum eſſe violentum. Patet conſequ. nam omnis motus eſſet naturalis, ſiquidem materia ad omnes formas dicit inclinationem, & ſic, cùm calefit aqua, talis motus eſſet naturalis, vel ſaltim neuter, non tamen violentus: quod nullus concedet. Nec valeat, ſi reſpondeant, quòd hujuſmodi motus, etſi in ordine ad materiam ſit naturalis, in ordine tamen ad aquam, quæ eſt ſubjectum denominationis, dici-

dicitur violentus, unde non ſequitur ex oppoſita ſententia, non dari motum violentum. Sed contra hanc reſponſ. argument. ſic: ergo ille motus eſt per ſe, & ſimpliciter naturalis, & tantùm per accidens, & ſecundùm quid violentus. Prob. conſeq. nam violentia, vel naturalitas in motibus per ſe, & ſimpliciter attenditur in ordine ad id, quòd per ſe movetur, non in ordine ad id, quod movetur per accidens, & ratione alterius, nam ſi mobile per ſe habet inclinationem ad illam formam, motus eſt naturalis ſimpliciter, ſi repugnantiam, eſt violentus, ſed mobile per ſe (ſecundùm adverſarios) eſt materia, non aqua, quia caliditas recipitur immediatè in materia, tamquam in proprio, & adæquato inhæſionis ſubjecto: ergo motus iſte erit ſimpliciter, & per ſe naturalis, non verò violentus, & conſequenter non dabitur aliquis motus per ſe, & ſimpliciter violentus, quod eſt abſurdum.

7 Dices, quòd etiam eſt violentus in ordine ad materiam, non nudè, & ſecundùm ſe præciſè conſideratam, ſed quatenus formæ aquæ, & huius qualitatibus ſubiacet, calor enim reperit in materia formam incompoſſibilem, nempè frigus, ideòque materiæ ſubjacenti frigori, calor eſt violentus. Sæd hæc reſponſio nullatenus vim rationis, qua præcedentem impugnabamus enervat. Primò, quia quod in illa dicitur eſt prorſus per accidens reſpectu motus, nam naturalitas, aut violentia per ſe, & ſimpliciter debet attendi ex eo, quod per ſe eſt in materia, non autem ex eo, quod eſt per accidens in illa, ut eſt eſſe ſub hac, vel illa forma, ſub his, vel illis diſpoſitionibus; ergo. Secundò, quia ſi hic dicendi modus eſſet verus, eodem utique modo dici poſſet, cùm ex aqua generatur ignis, ma-

teriam violenter ſe habere ad formam ignis, eo quòd hæc repugnat ei, quatenus eſt ſub forma aquæ, ſed hoc eſt falſum, quia materia naturaliter quamvis recipit formam, cùm omnes appetat; g. Tertiò denique, quia motus dicitur violentus propter repugnantiam intrinſecam ſubiecti, ſeu mobilis ad formam, non verò propter extrinſecam, & accidentalem, ut per ſe conſtat, ſed repugnantia, quam habet materia aquæ ad calorem, non eſt intrinſeca, ſed ſolùm extrinſeca, & accidentalis, utpotè proveniens ei à frigore, ſub quo actualiter eſt; ergo hoc non ſufficit, ut motus dicatur ei ſimpliciter, & abſolutè violentus; & conſequenter, &c.

8 Prob. 3. concl. ratione deſumpta ex actibus ſenſuum extremorum, uti ſunt viſio, auditio, &c. qui quidem actus, cùm ſint accidentia materialia, ſeu corporea inhærent (juxta adverſarios) materiæ primæ, tanquam proprio, & immediato illorum ſubiecto. Sed quòd huiuſmodi actus inhæreant toti compoſito ex corpore, & anima reſultanti, deducitur ex Ariſt. lib. 1. de anima, tex. 66. ubi docet, hanc verſari differentiam inter potentias ſenſitivas, tam cognoſcitivas, quàm appetitivas ex una parte, & intellectum, & voluntatem ex alia, nempè quòd intellectus, & voluntas non ſunt potentiæ organicæ, id eſt, organo corporeo inhærentes, ſed ſpirituales, immediatè inhærentes animæ rationali, ſenſus autem ſunt potentiæ organicæ, hoc eſt inhærentes cuidam determinatæ parti totius compoſiti ex corpore, & anima reſultanti, nimirum in oculo, in aure, &c. ex qua doctrina ſic pro noſtra concl. efformatur argumentum: actiones immanentes in hoc differunt à tranſeuntibus; quòd hæ, etſi procedant ab aliquo agente, non tamen in eo recipiuntur, ſed in alio ſubiecto diverſo ab ipſo agente,

te, illæ autem in eodem agente, à quo procedunt recipiuntur, & manent, ſed actiones potentiarum ſenſitivarum ſunt immanentes (ut omnes cum Philoſoph. fatentur) ergo tam ipſæ, quam ipſarum termini recipiuntur, tamquam in ſubiecto in eodem principio, à quo procedunt, ſed principium, a quo immedtatè procedunt, non eſt materia, neque anima (ut ſupr. dictum eſt ex Ariſt.) ſed potentia organica, quæ eſt quædam pars compoſiti ſubſtantialis viventis, nimirum oculus, auris, &c. g. actus potentiarum ſenſitivarum non materiæ primæ, ſed toti compoſito inhærent, conſequenter proximum accidentium ſubiectum eſt totum compoſitum.

9 Dices, quod ad hoc, ut prædicti actus dicantur immanentes, non eſt neceſſarium, quod in eodem organo adæquatè recipiantur, ſed ſufficere, quod in materia recipiantur, quæ eſt illius pars intrinſeca, nam ſic verè dicuntur manere in operante, & non in paſſum extra illud exiſtens tranſire, & hic tranſitus eſt, qui propriè facit actionem tranſeuntem, & hic non reperitur in actionibus ſenſitivis, ut per ſe patet. Sed contra argument. ſic: nam ex hac reſponſione ſequitur, quod operationes ſenſitivæ non dicantur immanentes cum omni proprietate: ſed hoc nequit admitti, ut ex dictis ſupra ex Philoſoph. patet: g. Prob. maj. nam etſi tales operationes non reciperentur in paſſo ab operante diviſo, reciperentur tamen in paſſo realiter ab illo diſtincto, nempè in materia, quæ ſingillatim ſumpta diſtinguitur realiter a toto, ſed hoc eſt non eſſe immanentes cum omni proprietate, ut eſt perſpicuum: g, &c. Deinde, quia oculus ipſe totus dicitur videns, non autem materia oculi; g. viſio non recipitur immediatè in materia oculi, ſed in oculo toto, alias ipſa materia oculi

diceretur videns. Patet conſeq. quia forma neceſſario denominat ſubiectum, in quo ipſa eſt tale qualis eſt ipſa: g. &c.

10 Dices ad hoc, verum quidem eſſe, quod oculus tantum denominatur videns, eo quod totum coniunctum eſt ſubiectum denominationis, materia autem oculi non ſic denominatur, eo quod dumtaxat eſt ſubiectum inhæſionis. Sed contra ſic: quod aliquid ſit ſubiectum inhæſionis alicuius formæ, non tollit, quod etiam poſſit eſſe ſubiectum denominationis eiuſdem formæ, etiamſi toti, cuius eſt pars eadem poſſit derivari denominatio: g. etiamſi materia ſit ſubiectum inhæſionis viſionis, & totus oculus denominetur videns, poterit ipſa materia videns denominari, ſed hoc eſt abſurdum: g. &c. Probat. maj. quia anima v. gr. eſt ſubiectum inhæſionis intellectionis, a qua etiam totus homo intelligens denominatur, & nihilominus ipſa anima intelligens dicitur immediatè. Et ſimiliter capilli ſunt ſubiectum inhæſionis criſpitudinis, a qua totus etiam homo dicitur criſpus, & nihilominus ipſi capilli immediatè criſpi denominantur: g. eſſe ſubiectum inhæſionis alicuius formæ, etiamſi eius denominatio derivetur toti compoſito, non tollit quod materia (ſi eſt ſubiectum inhæſionis illius) per ipſam formam denominetur.

11 Argument. 1. ſi accidentia ſubiectarentur in toto compoſito ſequeretur, quod ad quamcumque mutationem ſubſtantialem per deſtructionem ſubiecti omnia accidentia mutarentur, ac proinde fieret reſolutio uſque ad materiam primam, ſed hoc eſt contra Philoſ. qui 1. de Gener. 24. & 27. inquit, remanere ſæpè eadem accidentia in genito, quæ erant in corrupto, ut cum ex aere fit aqua, remanet eadem diaphaneitas, & 2. de Gener. 25. inquit, in elementis ſymbolis eſſe

faci-

faciliorem generationem, quam in diſſymibolis; quia quando elementum ſymbolum generatur ex ſymbolo, ut v. grat. aer ex aqua, non eſt neceſſarium, quod omnes qualitates corrumpantur, ſed illa tantum, quæ diſſimilis eſt; ad quando generatio fit ex diſſymbolo, omnes qualitates corrupti corrumpi, neceſſe eſt. Deinde etiam præjacta concluſio eſt contra rationem; nam ſi in inſtanti generationis remanet materia nuda: g. remanet indifferens ad omnem formam: unde non erit major ratio, cur hæc forma potius, quam illa inducatur: quod eſt omninò falſum. Denique eſt etiam contra ipſam experientiam, videmus enim, in homine mortuo remanere eandem quantitatem, figuram, colorem, cicatricem, &c. g. noſtra concluſ. opponitur Philoſopho, rationi, & experientiæ.

12 Reſpond. conceſſa ſequela majoris in compoſitis inanimatis negando minorem. Ariſtot. enim in primo loco non ſe explicat de qua identitate loquatur, an ſcilicet de ſpecifica, an verò de numerica, ideoque dicimus, quod cum generatur elementum ſymbolum ex alio ſymbolo manet eadem ſymbola qualitas, non numero, ſed ſpecie: nequit enim idem numero accidens tranſire de uno ſubiecto in aliud, ut ſæpè dictum eſt. Cum vero altero in loco Philoſoph. inquit, faciliorem eſſe generationem ſymboli ex ſymbolo, quam ex diſſymbolo; quia in illa non omnes qualitates intereunt, hoc intelligendum eſt de corruptione per ſe, quæ fit à contraria qualitate, ut cum ad introductionem caloris expellitur frigus, v. gr. ab aqua: in quo caſu non intereunt omnes qualitates aquæ, ſed tantum illa, quæ opponitur, qualitati, quæ inducitur, & hoc ſolum in gradu, quo inducitur iſta; ſi enim inducuntur tres gradus caloris totidem gradus frigoris ab aqua expelluntur, non autem omnes

nes aquæ qualitates intererunt, ut per ſe patet; non autem eſt intelligendum de corruptione per accidens, quæ ſcilicet fit ad corruptionem ſubiecti; in hac enim omnes præcedentes qualitates intereunt, cum totum præcedens compoſitum, cui inhærebant, deſtruatur: cum ergo facilitas, vel difficultas generationis attendatur penes qualitates per ſe corrumpendas, eo quod ratione iſtarum elementa inter ſe pugnant; non vero penes corrumpendas per accidens, non ratione iſtarum non pugnant, ſed conveniunt; ideo inquit Ariſt. facilius aquam generari ex aere, quam ex igne; quia in illa generatione una ſola qualitas corrumpitur per ſe, nempe calor aeris à frigore aquæ, in humiditate enim conveniunt, in altera verò generatione utraque ignis qualitas per ſe corrumpitur, quia ignis, & aqua in nulla qualitate conveniunt; unde abſolutè loquendo in quavis totali generatione omnes præcedentes qualitates uno, vel altero modo, neceſſariò intereunt propter rationem ſup. aſſignatam.

13 Ad ſecundum, quod addunt, reſpond. negando abſolutè, materiam in inſtanti generationis remanere nudam, ut ex dictis quæſt. 2 huius diſp. conſtat. Ad conſeq. dicimus, quod materia ſufficienter diſponitur pro receptione formæ, cum per prævias diſpoſitiones expelluntur oppoſita accidentia: unde diſpoſitiones per accidens concurrunt ad generationem novæ formæ, nimirum removendo impedimenta, ſi enim generans reperiret materiam nudam, generaret utique ſine diſpoſitionibus prę-viis, ut colligitur ex Scoto in 2. d. 3. quæſt. 4. Determinatur ergo materia ad hanc potiùs, quam illam formam recipiendam ex concurſu determinati agentis, cuius actioni ſubeſt, nec alia indigeret determinatione, ſi aliqua non præeſſent impedimenta, quæ per aliquas diſpoſitiones tolli debent, ut forma inducatur.

Ad

Ad tertium denique, quod dicunt, reſpondere debenti, qui pluralitatem formarum in compoſitis animatis negant, nos autem qui illam tuemur, reſpondemus concedendo libenter, eadem numero accidentia remanere, quæ ad formam mixti, ſeu corporeitatis ſequebantur, cuiuſdomi ſunt aſſignata in argumento; ex quo ſequitur, quod immediatum horum accidentium ſubiectum eſt totum conflatum ex materia prima, & forma corporeitatis, non autem ipſa materia.

14 Arg. 2. illud eſt ſubiectum inhæſionis accidentium, de cuius potentia hæc educuntur, educi enim nil aliud eſt, quam fieri dependenter à ſubiecto; ſed omnia accidentia ſolùm educuntur de potentia materiæ; g: ſolùm iſti inhærent. Prob. min. quandò ignis v. g. calefacit aquam, educit calorem de illius potentia. Modo inquiritur; vel educit illum de potentia aquæ, ut aqua eſt, vel de potentia materiæ, quæ eſt in aqua? Non primum, quia aqua, ut aqua eſt, nedum non habet potentiam ad calorem, ſed potiùs repugnantiam: g. dicendum eſt ſecundum, & conſequenter, &c. Reſp. conced. maiorem, & negando minorem. Huius ad probationem dicimus, quòd ſi per potentiam aquæ ad calorem intelligatur mera ejus capacitas ad illum, eſt quidem verum, calorem educi de potentia aquæ, ut aqua eſt, & eſt falſum, aquam, in hoc ſenſu, non habere potentiam ad calorem: quæ potentia ſufficit in ſubiecto ad eductionem formæ, ut conſtat ex dictis in 1. Phyſic. diſp. 4. loquendo de eductione formarum.

15 Inſtab. nihil aliud videtur eſſe calorem poſſe educi de potentia aquæ, niſi quòd aqua poſſit materaliter cauſare calorem; ſed aqua, ut aqua, nequit cauſare calorem; g. hic nequit de potentia aquæ, ut aqua eſt, educi. Prob. min. nam quævis cauſa debet continere

virtualiter effectum, ut illum cauſare poſſit: ſed aqua, ut aqua, non poteſt virtualiter continere calorem, potiùs enim continet oppoſitum, nempe frigus: g. &c. Reſp. conceſſa majori, negando minorem, ſi loquatur de cauſalitate in genere cauſæ materialis, in hoc enim genere cauſæ aqua, ut aqua, continet quidem calorem, ut ſup. manet dictum; concedimus tamen illam, ſi loquatur de cauſalitate in genere cauſæ efficientis, in quo genere cauſæ non calorem, ſed oppoſitum illius, nempe frigus, continet. Ex quo manet ſoluta probatio minoris, ut per ſe patet. Non ſic autem eſt reſpectu frigoris; quia hoc continet aqua non ſolum in genere cauſæ materialis, ſed etiam in genere cauſæ efficientis, videmus enim, quòd adhuc remoto calefaciente, aqua ad primam red t frigiditatem. Advertere tamen opportet formam non dici virtualiter contineri in ſubiecto, ſed tantùm potentialiter, eo quòd virtualis continentia ad cauſam efficientem propriè ſpectat..

16 Alia argumenta omittimus, & quia apud RR. poſſunt videri, & quia dictis benè perceptis haud difficulter ſolvi poſſunt. Notari tamen debet, quòd quando dicimus, totum compoſitum eſſe ſubiectum accidentium, non accipimus totum ſyncategorematicè, hoc eſt, pro quavis compoſiti parte, quaſi quælibet pars illius partem accidentium in ſe recipiat, vel utraque eamdem; ſed accipimus totum categorematicè, pro tertia ſcilicet entitate compoſita ex materia, & forma; aſſerimuſque, quòd cùm accidens exigat unum primum ſubiectum, cui primò, adæquatèque inhæreat, taliter quòd in pluribus primò, & adæquatè inhærere repugnet, hoc ſubiectum, cui immediatè inhæret, eſt totum conſtitutum ex materia, & forma, ab hiſque realiter diſtinctum. Qua doctrina plura argumenta, quæ contra

no-

noſtram concluſionem efformari poſſunt penitùs enervantur.

QUÆSTIO VI.

An in ſubſtantiali generatione, & corruptione fiat reſolutio uſque ad materiam primam?

1 HUjus quæſt. ſenſus non eſt, an in ſubſtantiali alicujus corruptione ſic totum compoſitum deſtruatur, ut ſola materia prima nuda ab omni ſubſtantiali forma remaneat: id enim naturaliter repugnare in lib. 1. Phyſic. manet dictum; ſenſus ergo eſt, an cùm aliquod compoſitum corrumpitur, & aliud ſub eadem materia de novo ſuccedit, maneat ſola materia prima, ita ut omnis forma tam ſubſtantialis, quàm accidentalis compoſiti corrupti in illo inſtanti deſinat eſſe; atque adeò nullus actus, ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis idem, qui præceſſit in compoſito corrupto, maneat in genito? Quæſtio igitur hæc, prout ad formas ſubſtantiales attinet, coincidit cum quæſtion. 4. hujus diſput. & prout ad formas accidentales ſpectat, eſt eadem, ac illa, quæ ſub his terminis ab aliquibus exagitari ſolet, an ſcilicet eadem numero accidentia poſſint remanere in genito, quæ fuerunt antea in corrupto? Pendet itaque præſentis quæſt. reſolutio ex duabus præcedentibus, unde ex his facilè ab illa nos expediemus.

2 Circa hanc difficultatem triplex eſt ſententia. Prima eſt Thomiſtarum, qui aſſerentes, pluralitatem formarum ſubſtantialium implicare in quovis compoſito, & etiam, non materiam primam, ſed ipſum compoſitum eſſe proprium, & immediatum accidentium ſubjectum; conſequenter dicunt, in omni gene-

ratio-

ratione, & corruptione fieri uſque ad materiam primam reſolutionem tam formarum ſubſtantialium, quam accidentalium. Sic omnes illi cum ſuo Angelico Doct. 1.p.quæſt.76.art.6. & 4. contra gentes, p.2. cap.58. Secunda eſt Averroiſtarum, qui cùm teneant, & dari pluralitatem formarum ſubſtantialium in eodem compoſito, & immediatum ſubjectum accidentium, præſertim quantitatis, eſſe materiam primam, dicunt conſequenter, non in omni generatione, aut corruptione uſque ad materiam primam fieri reſolutionem, neque quoad formas ſubſtantiales, neque quoad accidentales, imò quoad iſtas nunquam fieri; quia ſaltim quantitas ſemper eadem manet in genito, & corrupto, cùm iſta perpetuò inhæreat materiæ, tanquam illius paſſio. Pro hac ſententia citantur Aver. 1. de gener. com.24. & 2. de gen. com.25. & aliqui alii. Tertia denique eſt, quam ſtatim ſtatuimus. Pro qua

3 Dicimus ad quæſt. 1. in generatione, & corruptione viventium non fit reſolutio uſque ad materiam primam; nam remanet in corpore mortuo forma corporeitatis cum accidentibus, quæ illam conſequuntur. Sic Scotus alleg. qu. 4. hujus diſp & in 2.d.3. quæſt.4. & d.12. quæſt. 2. & d. 15. quæſt. unic. quem omnes ſui Diſcipuli ſequuntur. Hæc concluſ. facilè probatur ex his quæ in duabus immediatè præcedentibus qq. oſtendebamus: cùm enim ex prima conſtet, quod in omni viventi, ſeu compoſito animato ſunt duæ formæ ſubſtantiales, nempe forma corporeitatis, & anima, cui illa ſubordinatur, ac proinde ſint duo compoſita ſubſtantialia, unum incompletum, & imperfectum, ſcilicet corpus phyſicum, & organicum, & aliud completum, & perfectum, nimirùm vivens, ſeu animatum: & prætereà etiam ex ſecunda conſtet, quòd in diverſis partibus hujus compoſiti viventis organicis, ſeu etherogeneis inhæreant

accidentia, quæ ratione animæ illi conveniunt, ut ſunt viſio, auditio, &c. quantitas autem, & cætera accidentia materialia, quæ tam animatis, quàm inanimatis, ſunt communia, ſubjectentur immediatè in compoſito ſubſtantiali incompleto, corpore ſcilicet phyſico, & organico; conſequenter his principiis infertur neceſſariò, quòd in interitu, ſeu deſitione compoſiti viventis, in qua à corpore anima ſeparatur, etſi deſinant eſſe accidentia, quæ ratione animæ illi conveniebant, uti ſunt operationes vitales ſuprà dictæ, quia totum vivens deſinat eſſe, cùm tamen non deſinat eſſe compoſitum incompletum, nempe corpus organicum, conſequenter neque deſinunt eſſe quantitas, & cætera accidentia materialia, quæ illi, dum erat vivens, etiam immediatè inhærebant, quoadusque ipſum compoſitum corporeum paulatim corrumpatur, & ex ejus materia vermes, cineres, aut alia entia naturalia generentur, ac per conſequens in corruptione viventium non ſit reſolutio uſque ad materiam primam. Hæc concluſ. aliis non indiget probationibus præter eas, quibus dari in viventibus formam corporeitatis, quæſt.4. oſtendebamus; ſed quia aliqui Neoterici noſtram tertiam rationem ibi, numer.14. poſitam noviſſimè, & (ſuo videri) efficaciter impugnant, quæ impugnatio etiam directè tendit contra concl. hic ſup. ſtabilitam, ideò illam proponemus, eique pro viribus ſatisfaciemus. Itaque

4 Dicunt: ſi ex eo ponitur in viventibus forma corporeitatis, quia mortuo compoſito vivente, experimur manere in illo eandem formam, & figuram, aliaque accidentia ſenſibilia, quæ erant in illo, cùm erat vivens: g. ob eandem rationem debemus ponere in igne formam corporeitatis. Prob. conſequ. quia carbo accenſus, in quo jam eſt introducta forma ignis, ſive extinguatur aqua, ſive oleo calido, ſive cineri-

bus, ſive alio quovis modo, ſemper manet idem numero carbo cum eiſdem accidentibus, ut ocularis demonſtrat experientia. Quis ergo illam introduxit carbonis formam? Nec valet (inquiunt) reſpondere, in carbone non fuiſſe formam ignis, ſed adhuc permanere formam ligni, quia hoc ipſi ſenſui apparet improbabile; nam quænam eſt carbonis extincti cum ligno ſimilitudo? Magis quippè differt carbo à ligno, quam canis a lupo, ſi ex his, quæ videmus, indagare liceat diſtinctionem. Deinde hoc ipſum confirmand. nam certum quidem eſt, quod vinum ſpecificè differt ab aceto: ſed eadem forma aceti ſubſequitur, ſive calore nimio, ſive alia diverſa cauſa vinum aceſcat; g. ex eo quod videamus manere eadem, vel ſimilia accidentia in corpore mortuo, ac erant in ipſo, dum erat vivum, non infertur eamdem manere ſubſtantialem formam. Dicunt itaque qui ſic arguunt, dari aliquas formas, quæ exigunt diſpoſitiones valdè ſimiles diſpoſitionibus aliarum formarum, & ideo quando illæ diſpoſitiones corrumpuntur (a quacumque cauſa hoc proveniat) & a gradu pro formæ præcedentis conſervatione requiſito deficiunt, ſuccedunt aliæ formæ, quæ talem diſpoſitionem in proximo requirunt, & huiuſmodi, inquiunt, eſſe formam cadaveris, formam aceti, & carbonis ſuo etiam modo. Hæc tamen non ſunt magni momenti, & illam noſtram rationem haud in minimò infringunt, ideòque.

5 Ad primam inſtantiam adductam reſpond. negando conſequentiam, cuius ad probationem dicimus, ſolutionem ibi aſſignatam eſſe optimam; quando enim aliquod comburitur lignum, non ita perfectè in toto illo introducitur forma ignis, ut nihil formæ ligni remaneat, ſed propter reſiſtentiam, & pugnam contrariæ qualitatis, adhuc in quibuſdam partibus ligni forma illius perſeverat, qui-

quibus forma ignis non ſe intraneat ; ſed ſolùm extrinſecus adhæret ; verus itaque ignis ſolùm adeſt in poris ligni combuſti, in cæteris autem partibus dumtaxat adhærent qualitatates ignis in gradu valdè intenſo : ſic notat Scotus in 4. diſt. 47. quæſt. 2. § *de ſecundo, verſ. breviter ergo*, litt. B. unde in carbone extincto videmus remanere poros, & foramina quædam, in quibus ardebat ignis. Neque eſt ratio ad affirmandum, carbonem cum ligno nullam habere ſimilitudinem, ſiquidem ex quantitate, odore, & levitate, qua aquis ſupernatat, evidenter inferatur, carbonem eſſe lignum illud idem, quod ignis comburere cœpit, ſed non perfectè combuſſit, atque ideò adhuc eſt ſufficiens pabulum ignis. Ad ſecundam inſtant. reſpond. negando min. nam eſt quidem falſum ad quamcumque alterationem factam in vino ſubſequi formam aceti ; non enim cum corrumpitur vinum ſemper aceſcit, ſed aliis etiam diverſis modis marceſcit, & putreſit iuxta diverſitatem agentium & alterationum; ad corruptionem tamen viventis, undequaque, & quomodocumque talis fiat corruptio, ſemper ſequitur eadem forma, ut ſæpè oſtendebamus.

6 Ad illud, quod in fine addunt, reſpond. eſſe omninò falſum aſſumptum, nam prorsùs certum eſt, quamlibet formam ſibi connaturaliter determinare certam diſpoſitionem, & non poſſe indifferenter induci per quaslibet diſpoſitiones etiam inter ſe contrarias ; implicat enim contrarias diſpoſitiones eſſe eidem formæ connaturales, ut per ſe patet. Quæ ergo erit diſpoſitio certa, quam forma cadaveris exigit ad ſui introductionem? Vel enim eſt exceſſus caloris, vel exceſſus frigoris. Si primum : g. ab agente frigido induci nequit. Si ſecundum : g. ab agente calido non poteſt induci : ſed eadem indifferenter manet

poſt

poſt quamvis alterationem, ſive caloris, ſive frigoris: g. concedendum eſt, non produci de novo illam formam, ſed manere eandem numero, quæ extabat antea.

7 Nec valet, ſi ad hoc dicant, quod determinata diſpoſitio, quam forma cadaveris petit, ſunt eædem qualitates, quas anima requirit, in gradu tamen proximè inferiori, ad quem benè devenire poſſunt per actionem corruptivam diverſorum agentium. Hoc quidem non valet; quia anima expelli poteſt per exceſſum; aut defectum caloris, vel frigoris: g. ſi diſpoſitio, quæ animam expellit, non eſt determinata, neque unquam determinata diſpoſitio pro forma cadaveris poterit aſſignari. Eo vel maximè, tum quia cùm illæ qualitates defecerint à gradu pro anima requiſito, & ad illum inferiorem gradum devenerint, rogabimus quidem, cur inducatur potius forma cadaveris, quam forma embryonis, quæ etiam exigit diſpoſitiones, quæ animæ inſerviunt, tametſi in gradu inferiori? Nulla profectò eſt hujus diſcriminis aſſignabilis ratio. Tum etiam quia forma cadaveris eſt oppoſita formæ viventis, ut mors vitæ: g. eſt falſum, ſimiles petere diſpoſitiones, etiamſi in inferiori gradu; imò diſſimiles omninò, & oppoſitas potiùs exigere debet. Ad quid enim forma cadaveris petet materiam organizatam, ſi ipſa eſt forma ſurda, cæca, muta, & ad opera vitalia penitùs inepta? Ad nihil ſanè. Concludendum igitur eſt in compoſitis animatis non fieri reſolutionem uſque ad materiam primam.

8 Dicimus ſecundò: in corruptione entium naturalium inanimatorum, ut aquæ, ignis, &c. fit reſolutio uſque ad materiam primam. Hæc concl. eſt communis, & prob. 1. ex Ariſt. qui in lib. de ort. & inter cap. 4. text. 23. expreſſè docet, quod cùm aliquod totum tranſmutatur in aliud; nullum ſenſibile remanet, ut ſub-

je-

jectum idem, ut cùm aqua tranſmutatur in aerem: ſed ſi in genito de novo maneret materia prima cum aliquo accidente ex his, quæ erant in corrupto, illa materia ratione talis accidentis eſſet ſenſibilis, & hoc opponitur aſſerto Ariſt. g. &c. Deinde idem cap. de ſubſtantia, poſtquam oſtendit, primas ſubſtantias (per quas omnes intelligunt compoſita ſubſtantialia individua) eſſe ſubiectum, tam ſecundarum ſubſtantiarum, quam materialium accidentium, inquit, quod deſtructis primis ſubſtantiis, nihil aliorum poteſt remanere: g. juxta mentem illius, in corruptione ſubſtantiæ primæ nullum accidens illius remanet in compoſito noviter producto; ſed hoc non verificatur in compoſitis animatis, ut ſupra oſtenſum eſt; g. in inanimatis; ac per conſequens in his fit reſolutio uſque ad materiam primam.

9 Prob. 2. ratione ex ſup. dictis deſumpta; quia ideò in compoſitis animatis non fit reſolutio accidentium uſque ad materiam primam, ſed aliqua manent in corpore mortuo, quæ in ipſo vivo præfuerant, ut quantitas, color, &c. quia dum erat vivum, duo erant in illo compoſita, unum completum, ſcilicet vivens, & aliud incompletum, nempe corpus organicum, quorum unumquodque habet accidentia ſibi propria: unde etſi deſtructo compoſito vivente, etiam deſtruantur accidentia ſibi propria; cùm tamen maneat compoſitum corporeum, etiam manent accidentia, quorum eſt proprium, & immediatum ſubiectum; ſed in compoſitis inanimatis ſolùm dantur materia, & forma, ex quibus immediatè coaleſcunt; non enim in his præter totum completum, datur aliquod compoſitum incompletum, ut per ſe, & ex ſæpè dictis patet: g. in horum corruptione non fit reſolutio uſque ad materiam primam. Omnia, quæ contra hanc concluſionem obii-

obiici poſſunt, ex his quæ in quæſt. antec. dicebamus, facilè ſolventur.

DISP. III.

De alteratione entis naturalis.

POſtquam Ariſt. de generat. & corrupt. entis naturalis egit, de illius alteratione in cap. 4. huius lib. immediatè diſceptationem inſtituit, de qua & nos ipſum ſequentes præſenti in diſp. intendimus tractare.

QUÆSTIO I.

Quid ſit alteratio, & in quo differat à generatione?

1 MEritò huius titulus quæſt. ſupponit dari in rerum natura alterationem, hoc enim evidenter experientia demonſtrat, ſiquidem paſſim ſentimus, quod entia naturalia, jam calore, jam frigore, iam aliis qualitatibus alterantur. Qua veritate ſuppoſita, ad ea, quæ quæſt. inquirit, procedamus. Pro quorum intelligentia.

2 Notandum eſt, quod alteratio multifariam accipi ſolet. Primò, & valdè communiter pro mutatione rei ad quamlibet formam ſive ſubſtantialem, ſive accidentalem: in qua acceptione illam ſumit Ariſt. 2. Phyſic. cap. 1. ſecundùm Averrois expoſitionem: vel ſaltim ad omnem formam accidentalem ut in præſ. lib. 1. textu 10. ipſe illam uſurpat; hic enim omnem mutationem videtur dividere in generationem ſubſtantialem, & alterationem accidentalem. In quo etiam ſenſu docet Porphyr. in Prædicab. accidens facere alterum, differentiam verò eſſentialem facere aliud. Non igitur agi-

agimus in præſenti de alteratione in hac tam communi acceptione ſumpta.

3 Secundò accipi ſolet alteratio pro omni mutatione ad ſolam qualitatem terminata; quæ iuxta communem modum loquendi Philoſophorum, ſpecialiter habet reddere ſubjectum alterum, ſeu alterutrum. In hoc ſenſu Ariſt. lib. 2. de anima, text. 57. & 58. docet, quod ſpeculari, & ſapere ſunt ſpecies alterationis. Sed nec iſta acceptio ad præſens attinet inſtitutum; mutatio enim intentionalis ad lib. de anima ſpectat. Imò neque huc pertinet alteratio ſpecialius ſumpta, prò mutatione nempe phyſica terminata ad qualitatem, quæ non habet poſitivum contrarium, uti eſt lux, & hæc dicitur perfectiva ſubiecti; quia per illam ita ſubiectum perficitur, ut nil poſitivum amittat eorum, quæ ante à in ipſo erant, ad differentiam mutationis, quæ fit per qualitatem habentem contrarium poſitivum, uti eſt calor, vel humiditas; & hæc mutatio dicitur corruptiva, eò quod etſi per illam qualitatem perficiatur ſubiectum, hoc tamen non ſit abſque amiſſione alterius contrariæ ipſi. Illa ergo mutatio, ſeu alteratio nullatenus ſubſtantiali deſervit generationi, ideoque de ea hic non eſt ſermo.

4 Tertiò denique ſtrictè, & propriiſſimè ſumitur alteratio pro mutatione nempe, quæ nedùm terminatur ad qualitatem, quæ habet contrariam poſitivè qualitatem, verum & eſt diviſibiliter oppoſita ei; cuiuſmodi ſunt calor, & frigus; humiditas, & ſiccitas. In hoc igitur ſenſu accipitur in præſenti alteratio, & hæc eſt rigoroſa, & propriiſſima illius acceptio: nam ſic alterat ſubiectum, & immutat illud ab eo ſtatu, in quo antea erat, expellendo unam qualitatem, & inducendo aliam oppoſitam; ac proinde diſponendo materiam ad generationem novæ formę ſubſtantialis, & anti-

neratione eſt ſubſtantia, in alteratione verò eſt accidens. Secundò ex parte termini *à quo*, qui in generatione eſt privatio, ſeu non eſſe formæ; in alteratione autem eſt aliquid contrarium termino *ad quem*, & conſequenter quid poſitivum. Tertiò differunt penes ſubiectum; quia hoc reſpectu generationis eſt materia prima, modo alibi dicto; reſpectu autem alterationis eſt totum compoſitum, ut diſp. antec. qu. 6. num. 4. oſtendebamus. Quartò ex parte durationis, generatio enim ſuaptè natura fit in inſtanti, alteratio verò ex ſua natura in tempore fit. Quintò denique differunt ex parte ordinationis, quoniam alteratio ordinatur ad generationem, hæc autem ad illam non ordinatur.

7 Ex his rectè infertur, alterationem etiam differre à nutritione propter aliqua capita ex præaſſignatis, ut expendenti patebit, & etiam illam differre ab augmentatione: tum ex parte terminorum tam *à quibus*, quam *ad quos*: qui in augmentatione ſunt quantitas major, & minor, in alteratione autem ſunt duæ qualitates contrariæ, aut una penes minorem, & maiorem perfectionem: tum etiam ex parte realis ſeparationis, vivens enim toto tempore vitæ ſuæ alterari poteſt, & ſolet, adhuc in ætate devexa, & tamen tunc non augetur.

8 Dubitab. Utrùm alteratio (ſuppoſito, quod ut hic ſumitur: ad generationem diſponit) taliter fiat, ut ab agente extrinſeco non inducatur in paſſum qualitas in eo gradu, in quo eſt omninò incompoſſibilis cum forma corrumpenda, & eſt conſervativa formæ de novo introducendæ? Reſp. affirmativè. Ratio huius eſt; quia prior eſt generatio formæ advenientis, quam corruptio præexiſtentis, modo in ſuperioribus explicato: ſed hoc non ita eſſet, ſi gradus incompoſſibilis cum forma præexiſtente induceretur in paſſum ab ipſo agente: g. Prob. min. quia vel induceretur talis gradus ante inductio-

nem formæ ſubſtantialis, vel poſt huius inductionem, ſed neutro modo poteſt ab illo induci: g. Prob. min. nam ſi induceretur ante: g. cùm talis gradus ſit incompoſſibilis cum forma præexiſtente (ut meritò ſupponitur) hæc erit expulſa antequam adveniens ſit introducta: & conſequenter, &c. Prob. eadem min. quia agens poſtquam formam ſubſtantialem induxit, nihil aliud agit, cùm ſit totaliter completa, & terminata illius actio, ut per ſe patet: g. non inducit talem gradum poſt inductionem ſubſtantialis formæ: ac proinde vera eſt noſtra reſolutio.

9 Ex quo infertur, quod etſi ignis verb. gratia qui inducit calorem in aquam, poſſit expellere reliquos gradus frigiditatis aquæ, nequit tamen expellere (loquimur de expulſione efficienti) gradum illum, quem aqua determinat ſibi, & quo neceſſariò indiget, ad ſui conſervationem; hic enim deſinit eſſe ad deſitionem ipſius formæ aquæ. Ratio hujus illationis eſt: nam omnis potentia activa eſt propter agere, ſed de ratione formæ eſt potentia activa; g. nequit eſſe forma abſque actione, vel productiva reſpectu alterius, vel conſervativa reſpectu ſui ipſius; producendo nempe (liceat ſic loqui) id, quo ad ſui conſervationem indiget neceſſariò: ſed forma aquæ neceſſariò indiget illo gradu frigiditatis ad ſui conſervationem: g. nequit eſſe, quin illum in ſe producat; g. dum eſt ipſa, ſemper illum in ſe conſervat; & conſequenter talis gradus non expellitur immediatè ab igne agente; ſed tantum deſinit eſſe ad deſitionem formæ aquæ, quam conſervat. De reliquis autem gradibus frigiditatis non eſt par ratio ac de iſto; nam ſine illis benè poteſt (abſolutè loquendo) exiſtere forma aquæ, ideòque illos contingenter con-

ſer-

ſervat, iſto verò conſervativo indiget neceſſario ut ipſa exiſtat, ſicut dictum eſt. A quo igitur producitur talis gradus in forma? Producuntur quidem tam iſte, quam cæteri gradus ab ipſa ſubſtantiali forma, ſeu potius ab illa phyſicè dimanant: habet enim potentiam activam ad hoc, ut eſt perſpicuum, & ideo nullo alio indiget agente, quod illos producat.

10 Dubitab. 2. quotuplex alteratio ſit? Reſp. quod alteratio, prout in præſenti uſurpatur, nempe prout eſt productio qualitatis habentis contrarium diviſibiliter ei oppoſitum, modo explicato ſup. n. 4. quo pacto dicitur *alteratio*, ut ſic, ſeu in communi, eſt quadruplex. Prima eſt, quando non ſolum eſt productio huiuſmodi qualitatis, ſed etiam illam extendit in diverſas partes ſubiecti, & hæc mutatio dicitur *alteratio extenſiva*. Secunda eſt, quæ qualitatem productam per ipſam perficit in eadem parte ſubiecti. Hæc mutatio dicitur *alteratio intenſiva*. Tertia eſt, per quam producitur qualitas in ſubiecto non habente aliquam qualitatem eiuſdem ſpeciei cum illa, quæ per eam producitur. Hæc dicitur ſimplex alteratio. Quarta eſt, quæ per qualitatem productam per ipſam debilitat, ſeu remittit in ſua perfectione qualitatem illi contrariam & diviſibiliter oppoſitam in eodem ſubiecto. Quæ mutatio dicitur *alteratio remiſſiva*. Ex quibus patet quotuplex alteratio ſit.

11 Hinc duplex inſurgit dubium. Primum eſt; an alteratio remiſſiva ſit mutatio poſitiva, an negativa? Reſp. eſſe negativam mutationem, quæ conſiſtit in ſuſpenſione alicuius influxus, ſeu motus poſitivi. Hæc reſolutio ſatis conſtat ex dictis diſp. 2. quæſt. 1. num. 7. loquendo de corruptione ſubſtantiali; modo autem breviter oſtenditur ſic: etſi alteratio remiſſiva terminetur aliquomodo ad qualitatem minoris perfectionis; illius tamen terminus per ſe non eſt qualitas, quæ denominatur minus

perfecta, neque huius minoritatis relatio, ut per ſe patet; ſed terminus illius eſt privatio alicuius gradus perfectionis, quæ privatio eſt proximum fundamentum illius relationis minoritatis: ſed certum omninò eſt, mutationem per ſe terminatam ad privationem non eſſe aliquid poſitivum, ſicut neque terminus, ad quam per ſe tendit, aliquid poſitivum eſt: g. alteratio remiſſiva non poſitiva, ſed tantum negativa mutatio eſt.

12 Secundum dubium eſt: an aliæ prænumeratæ mutationes, ſeu alterationes, præter remiſſivam, inter ſe comparatæ ſint mutationes eſſentialiter diverſæ; an ſolum accidentaliter diverſæ; an ſolum accidentaliter diſtinctæ? Antequam huic dubio reſpondeamus, oportet prænotare, prædictas alterationes, ſeu mutationes bifariam attendi poſſe, ut ſæpè in præcedentibus dictum eſt. Primò in eſſe rei, ſeu materialiter, id eſt, pro fieri rei, ſeu in ipſa re, quæ producitur, dum eſt in fieri. Secundò poſſunt conſiderari formaliter, hoc eſt, prout ſunt actus entis in potentia, ſecundum quod in potentia: in quo ſenſu, prout ſunt actus entis in potentia paſſiva, dicuntur *paſſiones*; & quatenus ſunt actus entis in potentia activa, dicuntur *actiones*; & denique in quantum ſunt actus entis in potentia obiectiva, dicuntur *motus*. Hoc igitur prænotato.

13 Reſp. ad dubium, quod ſi præfatæ mutationes, ſeu alterationes primo modo conſiderentur, ſolum accidentaliter diſtinguuntur. Ratio hujus eſt: quia motus materialiter, & in eſſe rei ſumpti, per ſe non ponuntur in aliquo prædicamento; ſed reducuntur ad prædicamentum, & ad ſpeciem ſui termini, etiam in eſſe rei conſiderati, ut non ſemel in toto Phyſico tractatu manet oſtenſum: ſed id, quod terminat huiuſmodi mutationes, ſeu alterationes, in eſſe rei conſideratum, non eſt intrinſecè, &

eſ-

eſſentialiter diverſum, ſed ſolum penes diverſa connotata illi ſic conſiderato omnino intrinſeca, & accidentalia, diſtinctum: g. & ipſæ alterationes, ſeu mutationes inſpectæ materialiter, & in eſſe rei, tantum accidentaliter, & extrinſecè ſunt diſtinctæ, Si autem in ſecundo ſenſu tales mutationes ſumantur, ſunt eſſentialiter, & intrinſecè diverſæ. Cuius ratio eſt: quia ut ſic ſimplex alteratio neceſſario cõnotat in ſubiecto, per connotationem illi, ut tali, intrinſecam negationem qualitatis per ipſam producendæ, ideſt, negationem qualitatis eiuſdem ſpeciei cum illa, quæ per ipſam alterationem producitur. Hæc dicitur *ſimplex alteratio*, & diſtinguitur non ſolum a tribus enumeratis, ut patet, ſed etiam *ab alteratione ut ſic*, ſeu in communi; quia alteratio ut ſic tantum dicit productionem qualitatis, modo ſupra relato, abſque eo quod connotet in ſubiecto qualitatem eiuſdem ſpeciei, aut negationem huiuſmodi qualitatis, ab utraque enim connotatione præſcindit: at ſimplex alteratio connotat neceſſario talis qualitatis negationem. Deinde alteratio intenſiva neceſſario connotat in eadem parte ſubiecti qualitatem remiſſam eiuſdem ſpeciei cum illa, quæ per ipſam producitur, quæ qualitas per talem alterationem robuſtior, & intenſior fiat, modo poſtea explicando. Alteratio denique extenſiva connotat neceſſariò qualitatem etiam eiuſdem ſpeciei in una parte ſubiecti, quæ qualitas per ipſam alterationem continuè diffundatur, & extendatur ad alias ſubiecti prædicti partes: ſed hæ connotationes, etſi ſint extrinſecę prædictis alterationibus materialiter, & in eſſe rei conſideratis, ſunt tamen intrinſecæ eis conſideratis formaliter, & prout ſunt tales motus; g. &c.

QUÆSTIO II.

Utrum alteratio ſit motus continuus?

1 PRænot. eſt, alterationem propriè ſumptam eſſe motum, ut ex præcedentibus ſatis conſtat, cum enim huiuſmodi alteratio ſit, qua ſubiectum ſucceſſivè mutatur a qualitate in qualitatem diviſibiliter oppoſitam, ſeu contrariam, quod ſit mutatio; ſeu motus, neceſſe eſt. Cum tamen motus ſucceſſivus, ſeu conſumens tempus dupliciter accipi poſſit. Uno modo propriè, ut quando forma in tempore acquiritur, abſque eo, quod in eius acquiſitione aliqua quies, aut morula temporanea intercedat, ſed tantum morulæ (ſic loqui liceat) inſtantaneæ, quæ inter quaslibet temporis partes interponi debent. Alio modo impropriè, cum ſcilicet inter acquiſitionem unius partis qualitatis, & alterius partis acquiſitionem aliquæ morulæ, non inſtantaneæ, ſed temporaneæ intereſſent, ideo inquirimus modo an alteratio ſit motus continuus in primo modo; an tantum in ſecundo? Quo prænotato

2 Dicimus ad quæſtion. omnis motus alterationis ſtrictè ſumptæ eſt continuus. Sic Scotus in 2. diſtinct. 2. quæſt. 2. & D. Thom. in 2. diſt. 5. quæſt. 2. artic. 1, quos omnes eorum diſcipuli ſequuntur, contra Capreolum, & alios perpaucos, qui tenent, alterationem non fieri ſucceſſione continuata per totum tempus, quo producitur qualitas (ſive per alterationem extenſivam, ſive per intenſivam) contraria, ei quæ in paſſo præexiſtit. Itaque inquiunt, in quovis inſtanti produci aliquid qualitatis media alteratione, iſtamque omnino ceſſare in particula tempore immediatè ſequenti, quoaduſque aliud accedat inſtans, in quo per alterationem aliud

aliud aliquid qualitatis producatur. Diverſimodè hi AA. hanc explicant ſententiam, ſed in neganda alterationis continuitate omnes conveniunt. Quorum fundamenta, tamquam argumenta contra noſtram concluſionem, infra evertere conabimur.

3 Prob. 1. noſtra concluſ. ex Ariſtotel. qui poſtquam lib. 5. Phyſic. alterationem enumeravit inter tres ſpecies motus rigoroſè ſumpti, poſteà cap. 4. text. 39. hæc ſubdit: *Cùm autem omnis motus ſit continuus, ſi omnis eſt diviſibilis; eum, qui ſimpliciter unus eſt, & continuum eſſe, neceſſe eſt; & ſi continuus eſt, unus eſt*; ſed motus alterationis, ſive intenſivæ, ſive extenſivæ, eſt unus, ut per ſe conſtat; g. ex mente Philoſ. motus alterationis eſt continuus. Deinde ipſe paulò inferiùs expreſsè docet, non dari unicum motum, ſed plures, ubi deficit continuitas, ſeu ubi eſt aliqua interruptio, in qua mobile quieſcat; inquit enim text. 41. *Multi igitur, & non unus, ij motus ſunt, inter quos media quies cadit*: g. in motu alterationis nulla interponitur quies, ac proinde eſt continuus.

4 Probat. 2. ratione ex Ariſtotel. teſtimoniis deſumpta; omnis motus ſtrictè ſumptus eſt continuus; ſed alteratio (ut de illa loquimur) eſt motus ſtrictè ſumptus, ut omnes admittunt; g. eſt motus continuus. Probat. mai. omnis motus ſtrictè ſumptus eſt ſucceſſivus; nam exigit latitudinem inter duos terminos contrarios, quæ ideò, non in inſtanti, ſed in tempore ſucceſſivo, percurri poteſt; ſed quivis motus ſucceſſivus debet eſſe continuus; g. Probat. minnam motus, qui aliqua temporanea quiete interrumpitur, & continuationem amittit, non eſt unus, ſed multiplex, ut patet; g. quivis motus ſucceſſivus debet eſſe continuus; ac per conſequens, &c. Confirmat

quia plures motus per aliquas temporaneas quietes interrupti non ſufficiunt ad conſtitutionem alicujus ſpeciei, vel individui quantitatis continuæ, ſed ad ſummum quantitatis diſcretæ, cujuſmodi eſt numerus: ſed motus alterationis eſt quantitas continua, ut nullus negare audebit: g. nullis temporeaneis interrumpitur quietibus, conſequenter eſt continuus.

5. Prob. 3. nam ignis verb. grat. applicatus paſſo habenti aliquid frigiditatis, ut verb. grat. aquæ, per tempus continuum, continuè illam alterat, tum inducendo calorem, tum expellendo frigus ab illa: g. Prob. anteced. Primò, quia omne agens neceſſarium, quale eſt naturale, habens ſufficientem virtutem ad operandum, debitèque approximatum paſſo, ſtatim incipit operari in illo; ac proinde continuè, & abſque aliqua temporanea interruptione, ſi ſic applicatum ſit: ſed ſi pro aliqua temporis parte defineret operari (ut ajunt contrarii) eſſet ſic applicatum, & non operaretur: quod naturaliter repugnat agenti naturali, & neceſſariò, ut eſt perſpicuum: g. Secundò (& eſt obiectio ad hominem contra illos: nam ipſi aſſerunt, quòd calor ignis debitè approximatus, in eodem inſtanti, in quo eſt ſic applicatus, producit minimum calorem, & expellit minimum frigus: g. ſi debitè applicetur pro tempore continuo, continuè etiam inducet calorem, & expellet frigus. Patet conſequ. quia non eſt aſſignabilis aliqua ſpecialis ratio, ob quam, ſi ſtatim, ac applicatur, producit, non continuè producat, ſi continuè eſt applicatus.

6. Huic noſtræ rationi reſpondent Adverſarii, quòd ignis in parte temporis non producit calorem, nec imminuit frigiditatem in illa parte ſubiecti, cui immediatè applicatur; ſed dumtaxat producit diſpoſitionem ad producendum

dum poſteà in inſtanti huiuſmodi effectum. Cùm autem ab eis ſciſcitemur, quænam ſit hæc diſpoſitio, reſpondent eſſe rationem neceſſariam, ad hoc ut in ſequenti inſtanti aliquid caloris producatur. Sed contra hanc reſponſ. argument. ſic. 1. nam introductio prædictæ diſpoſitionis vel invenit aliquam reſiſtentiam in paſſo, vel illam non invenit? Si primum: g. non introducitur in inſtanti, ſed in tempore, conſequentque eius productio, quæ eſt vera alteratio, erit contiuua. Si ſecundum. g. fit in inſtanti, & hoc eſt contra doctrinam ipſius ſolutionis. Secundò; quia ſecundùm ipſos, illa diſpoſitio, quæ tempore continuò producitur, eſt raritas; ſed hæc materialiter ſumpta eſt qualitas, ut alibi, tamquam in proprio loco, dicemus; g. alteratio productiva talis qualitatis non eſt inſtantanea, ſed continua, & ſucceſſiva; ac per conſequens, &c.

7 Ar. 1. ex Ariſtot. 8. Phyſic. text. 23. ſic loquente: dicere rem continuè alterari, valdè manifeſtis adverſari eſt: g. præſtatuta concl. opponitur Philoſ. Reſpond. negando conſeq. ibi enim ſolùm docet Ariſt. motum alterationis non eſſe continum toto illo tempore, quo res in ſui exiſtentia durat; arguebat enim contra quoſdam Philoſophos, qui ſuſtineant, motus alterationis eſſe perpetuos, & numquam interrumpi, nullamque conſiſtentiam rebus tribuentes; hoc quidem eſt falſum; eſt enim proprium motus localis cœlorum, qui abſque ulla interruptione continuatur ſimul cum eorum exiſtentia. Unde, patet, non eſſe contra nos, qui non ſumimus in præſenti *continuum* in hoc ſenſu; ſed in alio valdè diverſo, ut ex hucuſque dictis ſatis apertè conſtat.

8 Arg. 2. quælibet res permanens debet, juxta Ariſtot. fieri in inſtanti, ſeu per *primum*

ſalſum) quòd res formaliter indiviſibilis, ſi ſit diviſibilis virtualiter, & recipiatur in ſubiecto materiali, nedum habenti latitudinem extenſionis percurrendam, verùm & exiſtenti ſub qualitate contraria illi, quam de novo recipit, debet fieri, & intendi tempore continuè, quomodocumque alteratio, ſeu intenſio fiat, juxta diverſa AA. placita, ut videbimus infra in proprio loco. Omnes quidem uniformiter ſentiunt, quòd qualitas eſt, ſaltim virtualiter diviſibilis, & cùm deinde communicetur ſubiecto extenſo (eſt enim in præſenti ſermo de qualitate corporea, quæ ſola poteſt fieri per motum alterationis ſtrictè ſumptum) habenti latitudinem percurrendam, & exiſtenti ſub qualitate contraria, ei, qua de novo alteratur, hinc eſt, quòd alteratio non inſtantaneè, ſed ſucceſſivè, & continuè fit: ſicut etſi terminus lationis, qui eſt ubicatio, & terminus nutritionis, qui eſt pars ſubſtantiæ, non ſint formaliter, ſed tantùm virtualiter diviſibiles, fiunt tamen ſucceſſivè, & continuè, ut præſertim de nutritione in illius diſp. dicemus. Plura alia argum. hic ſolent obiici, ſed quia apprimè illa ſoluta invenientur apud noſtros Ponc. in Phyſica diſp. 24. qu. 2. Maſt. tom. 3. Curſ. Philoſoph. diſp. 3. de alterat. quæſt. 5. à num. 64. & Merin. in lib. 1. de ort. & inter. diſp. 3. quæſt. 3. illa hic omittimus, ut prolixitatem vitemus.

QUÆSTIO III.

Quomodo fiat qualitatis intenſio?

1 HÆc quæſt. tamquam omninò certum, meritò ſupponit, dari in rerum natura veram intenſionem in qualitatibus. Hoc docet Ariſt. dum ait, eſſe proprietatem qualitatis recipere magis, & minus, ut & nos in logi-

logia dicebamus. Idem demonſtrat experientia, qua evidenter ſentimus, calorem, v. g. manus approximatæ igni magis, ac magis augeri, ſeu intendi, dum manus eſt igni approximata. Deinque hoc eſt certum, quia ex oppoſito ſequeretur qualitates ſpirituales non poſſe augeri, ſeu intendi, quod eſt contra fidem; nam prædictas qualitates intendi, nedum colligitur ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 9. verùm & expreſsè habetur Lucæ cap. 17. ubi dicitur. *Adauge nobis fidem*. Et ad Philipp. 1. *Oro, ut charitas veſtra magis, ac magis abundet* Et etiam Eccleſia canit. *Da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum*. Unde ſolùm reſtat difficultas circa modum, quo huiuſmodi intenſio qualitatis fiat.

2 Quam circa difficultatem, quàm plures ſunt ſententiæ, modique dicendi. Prima affirmat intenſionem qualitatis fieri per productionem novi gradus intenſionis qualitatis, & deſtructionem, ſeu corruptionem gradus remiſſioris præexiſtentis. Hæc ſententia tribuitur à Scoto in 1. d. 17. q. 3. Godfredo, quam & alii defendunt, meritò tamen hic dicendi modus ferè ab omnibus reiicitur, & impugnatur ſic; primò ex ipſa experientia, qua experimur, quod ſi ſpatio v. g. aeris illuminato ab aliquo luminoſo prius exiſtenti in aliquo loco, proximetur aliud luminoſum æqualis virtutis, lumen à priori productum magis proculdubio intenditur; ſed hoc non ſic eveniret, ſi gradus luminis productus à priori luminoſo non conſervaretur ſed ad adventū poſterioris luminoſi deſtrueretur: g. &c. Confirm. à paritate, nam in augmentatione per adventum novæ partis quantitatis non deſtruunt prçexiſtentes partes quantitatis, aliàs enim non daretur augmentatio, ut per ſe patet; g. in intenſione per adventum novi gradus qualitatis non corrumpuntur præexiſtentes, aliàs non daretur aliqua intenſio, aut maior perfectio.

3. Urgetur hoc amplius, quia ſi agens habens formam in gradu remiſſo adveniret ſubiecto habenti formam eiuſdem ſpeciei in gradu magis intenſo, illud agens intenderet quidem formam talis ſubiecti. Eſt dicere, ſi grave ut unum verb. grat. applicetur ſubiecto habenti pondus ut tria efficiet pondus ut quatuor, ut eſt perſpicuum: g. in intenſione non corrumpitur tota præcedens qualitas. Patet conſeq. nam tunc caſus adeſſet pondus ut quatuor, ſed hoc nequit provenire ab agente habenti tantùm gravitatem, ut unum, aliàs produceret effectum excedentem illius virtutem, quod repugnat: g. tantùm ab illo provenit pondus, ut unum, quod adiunctum ponderi ut tria facit pondus, ut quatuor, ac proinde non corrumpitur qualitas præcedens. Reſpond. quidam ex Contrariis, quòd minus perfectum benè poteſt continere magis perfectum virtualiter, etſi non ſecundùm gradum perfectionis, ſaltim ſecundùm virtutem activitatis, præſertim ſi producatur ex termino *à quo* perfectiori, quàm terminus *ad quem*. Sed hæc reſponſio rationem noſtram nõ ſolvit, nam in formis activis, tanta eſt virtus activitatis, quantus eſt gradus perfectionis illarum, agunt enim naturaliter, ac proinde uſque ad ultimum de potentia; g. nequit eſſe maior virtus activitatis alicuius formæ, quàm eſt gradus perfectionis illius, ſed gradus perfectionis prædicti agentis eſt gravitas ut unum; g. nequit eſſe maior virtus activitatis illius, conſequenterque nequit ab illo provenire pondus, ut quatuor quomodocumque hoc explicetur. Neque id, quod ſubditur eſt alicuius momenti, tum quia in caſu propoſito terminus *à quo*, nempè pondus ut tria eſſet imperfectior termino *ad quem*, ſcilicet põdere ut quatuor. Tum etiam quia ſi terminus *à quo* totaliter deſinit eſſe in motu, & dũ eſt terminus *ad quem*, non adeſt, nequit eſſe ratio productionis perfectioris effectus, ut eſt per ſe manifeſtum; g. &c.

Omitti-

Omittimus alias impugnationes huius ſententiæ, quia præpoſitæ ſufficiunt, ut appareat falſitas illius, cuius fundamenta, ſicut & aliarum noſtræ adverſantium poſtea proponemus, pro viribuſque diſſolvemus.

4. Secunda ſententia docet, intenſionem qualitatis conſiſtere in ablatione, ſeu deputatione qualitatis contrariæ; verb. grat. calorem magis intendi nihil aliud eſſe, quàm habere minus frigus admixtum, & remitti, eſſe habere admixtum maius frigus; negat ergo hæc ſententia dari verum, & reale qualitatis augmentum, & ſolùm per accidens illud admittit, quatenus ſcilicet ablatis frigore, aliiſque diſpoſitionibus contrariis, calor agit perfectius. Quia tamen non omnes qualitates habent contrarium dicunt aliqui, quòd formam intendi eſt formam magis recedere à contrario, vel à privatione, ut lumen, ut quatuor, & albedo, ut quatuor, quæ magis diſtant à tenebris, & nigredine, quàm lumen, & albedo ut duo. Hæc tamen ſententia meritò reiicitur, & ſic impugnatur. Primò, quia per intenſionem eſt una forma perfectior alia minùs intenſa intra eandem ſpeciem, ſed perfectio cognoſcitur per acceſſum ad ſummum; docet enim Ariſtot. 10. Metaph. 2. quòd unumquodque menſuratur per id, quòd eſt perfectiſſimum ſui generis; ergo intenſio non conſiſtit in receſſu à privatione, nam etſi acceſſus qualitatis ad terminum *ad quem* habeat conſequenter receſſum à termino *à quo*, ſpecificatio tamen intenſionis non ſumitur à termino *à quo*, ſed à termino *ad quem*; hoc enim ipſum nomen exprimit, quia intendere eſt quidem in aliud tendere. Secundò, quia forma eadem omninò manens nequit modò magis, modò minus recedere à privatione, hic enim receſſus neceſſariò præſupponit aliquam actionem poſitivam, ut per ſe patet; ergo aliquid de no-

vo habet forma, per quod magis a negatione recedit, ſeu elongatur.

5 Tertia ſententia (quæ eſt communis inter Thomiſtas ſequentes ſuum Angelicum Præceptorem in part. 2. quæſtion. 52. artic, 1. & 2.) aſſerit intenſionem non fieri per acquiſitionem novæ partis formæ, ſeu qualitatis (hanc enim eſſe indiviſibilem ſecundum intenſionem, communitertenet) ſed per novam radicationem in ſubiecto. Huiuſmodi tamen radicationem diverſimodè iſti AA. explicant, multumque in tali explicatione inter ſe diſcrepant, quorum ſingulos dicendi modos per ſequentes n. n. proponemus, ſimulque poſſibili brevitate, ac efficacitate impugnabimus.

6 Aliqui dicunt, qualitatem magis, vel minus radicari in ſubiecto, eſſe habere perfectiorem, vel imperfectiorem exiſtentiam in illo, ſive in adventu perfectioris exiſtentiæ maneat præcedens, ut quidam ex his volunt, ſive deſtruatur, ut alii intendunt: AA. pro hac ſententia citantur à P. Vazquez part. 2. diſp.82. Hinc tamen dicendi modus à nobis reiicitur, & ſic impugnatur. Primò, quia in communiori, & noſtra ſententia (quam in Metaph. proponemus, & propugnabimus) actualis eſſentia, & eius exiſtentia realiter non diſtinguuntur: g. implicat omninò, quod varietur exiſtentia, ſuſcipiendo magis, & minus, & quod actualis eſſentia maneat invariata. Secundò, quia adhuc hac admiſſa diſtinctione, exiſtentia emanare ponitur ab eſſentia: g. hæc invariata ſemper eandem cauſabit exiſtentiam. Confirm. quia exiſtentia non eſt ratio agendi, ſed ſolum conditio ad agendum (alioqui Adverſarii aſſerentes, quod humanitas in Chriſto D. exiſtit exiſtentia divina, deberent conſequenter affirmare, humanitatem eſſe infinitæ potentiæ, ſicut & divina

exi-

exiſtentia eſt infinita, quod dici nequit) ſed eſſentia eſt ratio agendi: g. ubi eſt perfectior ratio agendi, ibi perfectior eſt eſſentia, & non ſolum perfectior exiſtentia, atqui forma intenſior perfectius agit, quam remiſſior: g. non ob perfectiorem exiſtentiam, ſed propter perfectiorem eſſentiam, & conſequenter, &c.

7 Alii inquiunt, novam ſeu majorem radicationem eſſe, quod ſubiectum ſit magis diſpoſitum, minorem autem quantitatis radicationem eſſe, quod ſubiectum minus diſpoſitum ſit. Hæc tamen ſententia, ſeu iſte modus explicandi intenſionem, & remiſſionem ſuſtineri nequit, ideoque contra illam ſic argument. ex hoc enim ſequitur, formam ſubſtantialem etiam poſſe intendi, ac remitti, ſed hoc eſt falſum, ut patet: g. Prob. maj. nam ſicut calor, ſi hæret ſubiecto magis diſpoſito perfectius agit, ideoque dicitur intenſior, ita ſi anima v. gr. informat organum viſus magis diſpoſitum, perfectius operatur, quam ſi informaret organum minus diſpoſitum: g, anima eſſet intenſior, & remiſſior, conſequenterque, &c. Deinde quia apertè videmus, quod in eodem aere, & eodem modo diſpoſito producitur modo intenſius, modo remiſſius lumen: g. major, vel minor ſubiecti diſpoſitio nihil conducit ad intenſionem, aut remiſſionem advenientis qualitatis.

8 Alii autumant, majorem radicationem eſſe quod forma magis educatur de potentia ſubiecti, vel quod illi magis, firmiuſque uniatur, & ei majorem effectum formalem tribuat, ad modum, quo arbor dicitur magis radicari, cum firmius adhæret terræ, profundioreſque immittit radices. Hæc tamen majoris radicationis explicatio non ſatisfacit, & ideo ſit impugn. quia aliquid educi de potentia ſubiecti nil aliud eſt, quam fieri id, quod antea erat in potentia paſsiva ſubiecti, dependenter in genere cauſæ materialis ab ipſo ſubiecto, ſed implicat

qua-

qualitatem (quæ iuxta ſic opinantes tam ſecundum eſſe eſſentiæ, quam ſecundum eſſe exiſtentiæ indiviſibilis eſt) magis, ac magis educi de potentia ſubiecti, itique magis, ac magis uniri: g. major radicatio nequit eſſe major reductio, vel unio. Major patet ex dictis lib. 1. Phyſic. min. autem prob. quia illud, quod eſt indiviſibile tam ſecundum eſſe eſſentiæ, quam ſecundùm eſſe exiſtentiæ, ſtatim ac habet eſſe actu in ſubiecto educitur totum de potentia illius, non enim percipi poteſt, quod actu ſit in ſubiecto, & adhuc maneat in eius potentia, niſi vel dividendo indiviſibile, vel concedendo eidem ſecundùm eandem rationem ſimul duplex contradictorium, quorum utrumque repugnat: g. &c. Confirm. quia educi de potentia ſubiecti nihil aliud eſt quam ei uniri, hoc eſt, eademmet actio eductiva, eſt unitiva, ut in 1. lib. cit. dicebamus, ſed non poteſt qualitas magis, ac magis uniri: g. Prob. min. quia qualitas naturalis ſicut agit naturaliter, & ad ultimum de potentia, ita etiam unitur, ſeu informat naturaliter, & ad ultimum de potentia: g. cum eſt tota in ſubiecto, neceſſario unitur, ſeu informat illud perfectiori modo, quo poteſt, ac proinde nequit magis, ac magis uniri, nec educi.

9 Neque valet, ſi dicant noſtram confirmationem veram eſſe, quando ſubiectum eſt adæquatè diſpoſitum ad unionem, ſeu informationem qualitatis, non autem ſi non ſit ſic diſpoſitum, ut patet (inquiunt) in anima rationali, quæ forma indiviſibilis eſt, & tamen magis unitur, ſeu informat quaſdam partes corporis, quam alias, non enim in omnibus, ſeu per omnes ſua munera exercet. Hoc quidem non valet, quia diſpoſitio, quæ eſt ſufficiens in ſubiecto, ut ei qualitas ſemel uniatur, ſeu informet, neceſſario ſufficiens erit, ut talis qualitas in eodem inſtanti, quavis alia ſecluſa diſpoſitione, unia-

uniatur, & informet, ſi prædicta qualitas indiviſibilis eſt, ut patet ex ratione num. præced. poſita. Id, quod ſubditur de anima, non eſt ad rem, nam non loquimur in præſenti de unione, & informatione formæ indiviſibilis reſpectu diverſarum partium ſubiecti, ſed reſpectu eiuſdem partis (ut ex definitione intenſionis conſtat) quod longè diverſum eſt, ut manifeſtè apparet.

10 Similiter exemplum arboris ab his pro ſua explicatione num. 8. adductum non concludit intentum, ex illo enim videtur ſequi, quod ſicut radix, quo magis radicatur, eo difficilius evellitur, ſic forma, ſeu qualitas, quo intenſior, magiſque radicata, eo difficilius poſſet a ſubiecto removeri, quod eſſe omnino falſum oſtendit Scotus exemplo ruboris orti ex verecundia, qui quidem rubor eſt intenſior, quam rubor naturalis, ſed iſte rubor firmius manet in facie, quam ille, ut demonſtrat experientia: g. non benè explicatur qualitatis intenſio per radicationem ad modum radicum arboris. Idem oſtendi poteſt exemplo febris ethicæ, quæ (ſecundum Medicos) eſt magis radicata, quam ephimera, & tamen iſta eſt magis intenſa, quam illa.

11 Alii denique (ut prolixitatem vitemus, nam alii modi explicandi prædictam radicationem facilè impugnari poſſunt ex dictis, & infra dicendis) dicunt, qualitatem magis radicari nihil aliud eſſe, quam qualitatem magis reducere ſubiectum ad actum, magiſque actuare ipſius potentialitatem, taliter quòd ſi forma antea habebat in ſubiecto gradus perfectionis, v. gr. ut duo, poſtea habet ut tria, & per intenſionem corrumpitur terminatio ut duo, & acquiritur nova terminatio ut tria. Iſta tamen radicationis explicatio, ſicut & præcedentes, non videtur ſufficiens, ſicut enim in extenſione alicuius lineæ, cum acquiritur ſecun-

cundus palmus v. g. non ſolum acquiritur indiviſibile terminativum talis ſecundi palmi, ſed etiam tota quantitas illius terminata illo indiviſibili, ſic etiam in intenſione qualitatis non ſolùm acquiritur terminus ille ut tria, ſed etiam nova qualitas, & ſicut in illa extenſione non corrumpitur præcedens quantitas, nempè primus palmus lineæ, ita nec in iſta intenſione deperditur qualitas præcedens, ut num. 2. dicebamus, neque in hoc aliqua diſparitas eſt aſſignabilis. Prædictis ergo dicendi modis impugnatis facilè noſtræ concluſionis veritas eluceſcet. Igitur.

12 Dicimus ad quæſt. intenſio qualitatis fit per productionem, & additionem novi gradus ipſius qualitatis: v. gr. calor, ut quo intenditur per productionem, & additionem alterius gradus caloris in eadem parte ſubjecti, cui calor ut duo inhæret, unde per oppoſitum remiſſio qualitatis fit per ablationem, ſeu corruptionem alicuius gradus illius. Sic Scotus in 1. d. 17. qu. 4. §. *Contra iſtam poſitionem*. *Verſ. Ad quæſt.* TT. & quæſt. 5. §. *Ad quæſt.* lit. XX. & quæſt. 6. §. *Dico ergo*, lit. ZZ. & 8. Metaph. qu. 3. quem præter ſuos Diſcipulos ſequuntur Nominales, & ferè omnes Jeſuitæ, quos citat Echalaz tract. 1. diſp. 8. cap. 1. Prob. concluſio ex Ariſt. qui lib. 4. Phyſic. text. 8. ſic ait: *Ut ex frigido calidum, & ex calido frigidum fit, quod potentia ambo erat; ſic ex calido fit magis calidum*. Quibus in verbis apertè innuit, quod eodem pacto ex calido fit magis calidum, ac ex frigido fit calidum, ſed ex frigido fit calidum per eductionem novi caloris de potentia ſubiecti: ergo ſimiliter, ex calido fit magis calidum per eductionem novi gradus caloris de potentia ſubiecti, qui calor præexiſtenti unitur. Neque verba, quæ his ſubjungit Ariſt. nempe: *Nulla prorſus ipſius parte, tunc emergente calida, quæ non erat*

ante calida, cum calida minus erat, aliquid obſtant, nam per hæc tantum intendit Ariſt. fieri magis calidum ex minus calido, nullo emergente calore, hoc eſt, non accedente nova parte materiæ(id eſt ſubjecti) calidæ, quæ antea non eſſet calida, cùm calida, etſi minus erat, idem enim ſubiectum per novum gradum caloris magis calidum fit: g.&c.

13 Prob.2. rationis ſubiectum caloris v.g. per huius intenſionem fit magis calidum: g. cùm intenditur calor aliquis iſti novus additur gradus caloris. Prob. conſeq. ex illa maxima communiter recepta, nempè ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ſic magis ad magis, ſed ſubjectum non fit calidum, niſi per calorem: g. neque fit magis calidum, niſi per majorem, ſed calor nequit fieri maior, niſi per additionem, ſeu acceſſum novi caloris: g. intenſio qualitatis fit per additionem novi gradus illius ad gradum præexiſtentem.

14 Neque valet quod Adverſarii huic rationi reſpondere ſolent, nempè, quod calor habet quamdam latitudinem intenſivam virtualem ad calefaciendum, unde addita ei unione imperfecta cum ſubiecto, imperfectè calefacit illud, ſi verò perfectior unio illi addatur, perfectius calefacit, non quia unio ſit virtus calefactiva, ſed quia eſt conditio, ut virtus caloris ſe fortius explicet, ſeu communicet. Sed hæc reſponſio vim noſtræ rationis non enervat, & ſic contra illam ſic argum. poteſt dari perfectior calefactio abſque perfectiori unione caloris cum ſubjecto: g. intenſior calefactio non provenit ex perfectiori unione cum ſubiecto. Prob. antec. nam caſu, quo Deus conſervaret(ut fieri poteſt) vehementem calorem ſeparatum à ſubiecto, v.g. ab igne, tunc æquè benè calefaceret, ac ſi eſſet unitus igni, quod patet, & ex infra dicendis amplius patebit: g. perfectior calefactio non provenit

à per-

à perfectiori unione caloris cum ſubjecto, & conſequenter, &c.

15 Prob. 3. (& ſpecialiter contra aſſerentes intenſionem fieri per maiorem radicationem qualitatis in ſubiecto) nam etiam dato, quod qualitas poſſit magis, ac magis ſic radicari, tamen per hujuſmodi radicationem nequit qualitas intendi: g. intenſio qualitatis non fit per talem radicationem. Prob. antec. quia (ut ſupra innuebamus) rubor ortus ex verecundia (qui dicitur paſſio) cùm ſit qualitas citò tranſiens, non radicatur in ſubjecto tanta radicatione, ſicut rubor naturalis (qui vocatur paſſibilis qualitas) hic enim diu permanet in ſubjecto, ſed rubor ortus ex verecundia ſæpè eſt intenſior, quam rubor naturalis, ut eſt perſpicuum; g. iſta intenſio nequit à majori radicatione provenire, ac per conſequens, &c. Confirm. nam ſi Deus separaret albedinem nivis, & albedinem hominis à ſuis ſubjectis (quod Divina interveniente abſoluta potentia, fieri poſſe, dubitari nequit) tunc albedo nivis eſſet magis intenſa quam albedo hominis, ſed in iſto caſu albedo nivis non eſſet magis radicata in ſubiecto, quam albedo hominis (eſſent enim à ſuis ſubiectis ſeparatæ, ut ſupponitur) g. qualitatis intenſio non provenit à majori radicatione ipſius in ſubiecto.

16 Neque valet ſi dicant Adverſarii, quod in hoc caſu albedo nivis haberet majorem radicationem in ſubiecto aptitudinaliter, & hoc ſufficit ut eſſet intenſior etiam exiſtens extra ſubjectum. Hoc quidem non valet, quia radicatio, ſeu inhærentia aptitudinalis eſt propria paſſio, & intrinſecum prædicatum, etſi extra eſſentiale qualitatis, imò in ſententia ſic reſpondentium prædicatum quidditativum illius: g. dicere, quod albedo nivis in tali caſu haberet majorem inhærentiam aptitudinalem, non eſt aliud, quam dicere, quod albedo nivis in illo

caſu

caſu haberet maiorem perfectionem intrinſecam, & entitativam, quam albedo hominis; ſed hoc eſt noſtrum aſſertum, nam dicimus, albedinem nivis per latitudinem gradualem entitativam excedere albedinem hominis: g. maior radicatio nequit præſtare qualitatibus intenſionem.

17 Neque item valet, quod alii præjactæ confirmationi reſpondent, nimirum, quòd in dicto caſu albedo nivis non eſſet intenſior albedine hominis, quia qualitates in abſtracto magis, & minus non ſuſcipiunt, benè tamen in concreto, nam etſi unus homo poſſit dici magis albus, quam alius, una autem albedo magis albedo, quam alia, dici non poteſt. Sed iſta reſponſio non eſt alicuius momenti, ideoque ſic impugn. nam in caſu, quo conſecrarentur duæ hoſtiæ altera magis intensè alba, quam alia, illius profectò albedo eſſet adhuc poſt conſecrationem magis intenſa, quam albedo iſtius, ſed poſt conſecrationem hoſtiarum harum albedines manent ſeparatæ à ſubſtantiis panis, quibus inhærebant, ut docet fides: g. adhuc ſecluſo ſubiecto manet altera albedo intenſior alia. Conſeq. eſt legitimè illata, & majorem ipſa ocularis demonſtrat experientia. Urgetur hoc; nam ſubiectum dicitur tale, eo quod forma, cui ſubiicitur eſt talis; g. ſi albedo nivis, ſecundum ſe conſiderata, non eſſet intenſior, quam hominis albedo, ſequeretur quod nix non eſſet intenſius alba, quam homo, quod eſt abſurdum. Ad id, quod ſubdunt, tamquam ſuæ reſponſionis probationem, reſpond. eſſe quidem verum, quod, etſi unus homo poſſit dici magis albus, quam alius, non tamen una albedo magis albedo, quam alia, eo quod huiuſmodi propoſitio abſolutè prolata denotat diverſitatem, ſeu inæqualitatem in eſſentia utriuſque albedinis, poteſt tamen dici una albedo magis intenſa, quam alia, quia per hoc ſolum denotatur,

illam in graduali perfectione excedere iſtam, quod verum eſſe poteſt, cùm qualitas quomodocumque conſiderata magis, & minus ſuſcipere queat.

18 Arg. 1. pro prima ſententia num. 2. citata, in quovis motu terminus *à quo* deſinit eſſe & terminus *ad quem* acquiritur, ſed in intenſione (quæ eſt propriè motus, ut ſæpè manet dictum) terminus *à quo* eſt qualitas remiſſa, & terminus *ad quem* qualitas intenſa: g. iſta acquiritur, & illa deſinit eſſe in intenſione. Major patet ex Ariſt. qui in 5. Phyſic. docet, motum propriè dictum verſari inter contraria; quæ qua talia, in eodem ſubjecto ſimul eſſe non poſſunt. Prob. min. quia in motu hæc tria ſolum inveniuntur, ſcilicet terminus *à quo*, terminus *ad quem*, & ſubiectum utriuſque, ſed in intenſione requiritur qualitas remiſſa, & non ut terminus *ad quem*, neque ut ſubjectum, ut patet: ergo ut terminus *à quo*, & conſequenter, &c. Confirm. nam idem eſt terminus *à quo* intenſionis, qui eſt terminus *ad quem* remiſſionis, quia ſunt motus contrarii, ſed in remiſſione terminus *ad quem* eſt qualitas remiſſa: g. & iſta eſt terminus *à quo* in intenſione.

19 Ad hoc argum. reſp. concedendo majorem, & neg. min. terminus enim *à quo* formalis, & per ſe intenſionis non eſt qualitas remiſſa, quæ intenditur, ſed qualitas contraria, quæ expellitur, exempli gratia, in intenſione caloris facta in aqua terminus *à quo* per ſe, & formalis non eſt præcedens calor remiſſus, ſed frigus illud, quod talem calorem remiſſum comitatur. Ad probationem min. reſpond. quod in intenſione qualitas remiſſa per ſe requiritur, non ut terminus *à quo* formalis, & per ſe, ſed ut quid neceſſariò terminum *à quo* formalem, & per ſe concomitans. Ad ejuſdem min. confirm. reſp. conced. maj. &

neg. min. qualitas enim remiſſa non eſt terminus *ad quem* formalis, & per ſe remiſſionis, eſt ergo huiuſmodi terminus *ad quem* (ſi remiſſio ſumatur negativè, pro deſitione nempè gradus qualitatis intenſæ) privatio alicuius gradus talis qualitatis intenſæ, quæ eſt, quæ remittitur. Et(ſi remiſſio ſumatur poſitivè, pro actione ſcilicer poſitiva, qua producitur gradus qualitatis contrariæ qualitati, quæ remittitur) terminus *ad quem* formalis, & per ſe eſt gradus talis qualitatis contrariæ, qui producitur, unde qualitas remiſſa in nullo ſenſu rationem talis termini *ad quem* remiſſionis habere poteſt.

20 Ut alia huius primæ ſententiæ argum. facilè diſſolvantur, advertere oportet, quod in intenſione qualitas, ſeu gradus illius, quæ de novo producitur nedum non eſt ſpecie diſtincta à qualitate præexiſtenti, quæ intenditur (ut ex ipſa intenſionis definitione conſtat) verùm nec eſt numero diſtinctum accidens, ſi inſpiciatur (ut neceſſariò conſiderari debet) ut unita in intenſione cum præexiſtenti. Ratio hujus eſt, quia numerus eſt quantitas diſcreta, & gradus qualitatis intenſæ etſi ſint diſtincti (utpotè ab invicem ſeparabiles) non tamen ſunt diſcreti, ſed mediis indiviſibilibus continuati, ſeu copulati, & ſic gradus adveniens conſtituit cum præcedentibus unam numero qualitatem, licet magis perfectam, quam erat antea, unde quantumlibet qualitas intendatur, unum tantum numero accidens hæret ſubjecto. Ex quo infertur, quod ſi gradus, ſeu qualitas adveniens, non unitur qualitati præexiſtenti(ut contingit in qualitatibus ſucceſſivè tranſeuntibus, cujuſmodi eſt velocitas deſcenſus alicuius gravis) ſed potius corrumpitur præcedens remiſſa, & de novo producitur alia intenſa, non datur motus intenſionis, de quo loquimur, hic enim pro-

cedit

cedit à qualitate remiſſa ad qualitatem intenſam; illa remiſſa manente, ut evenit in calore, & aliis qualitatibus permanentibus.

21. Argum. 2. pro ſecunda ſententia ratione (auctoritates enim Ariſtot. quæ pro illa adduci ſolent, nec ei favent, nec noſtræ contradicunt) quam efformat Scotus, ſi in aliquo ſubiecto eſſent tot gradus frigiditatis, quot caliditatis, illud ſubiectum neque diceretur calidum, neque frigidum, ſed ſi remitteretur unus gradus frigiditatis, etiamſi nullus gradus caloris de novo introduceretur, illud ſubiectum diceretur calidum: ergo ideò eſt, quia caliditas (& idem eſt de alia quavis qualitate) intenditur per depurationem qualitatis contrariæ. Huic argument. reſpond. ipſe Scotus, quòd in hoc caſu (qui de potentia ordinaria dari non poteſt) non intenderetur caliditas, ſed ſolùm intenderetur denominatio ſecundùm caliditatem, eo quòd hæc tunc ſuperaret frigiditatem, & ſic ab illa deſumeretur in ſubiecto denominatio calidi.

22. Argument. 3. pro tertia ſententia, cuiuſcumque rei eſſentia conſiſtit in indiviſibili: g. qualitas non eſt diviſibilis in plures gradus, ſed hoc ipſo nequit fieri intenſio per additionem novi gradus advenientis ad gradum præexiſtentem, ut patet: ergo &c. Reſpond. diſting. anteced. eſſentia cuiuſcumque rei metaphyſicæ, concedo, phyſicæ, nego anteced. & conſequ. Itaque cùm eſſentia metaphyſica non componatur ex partibus integralibus, ſed tantùm ex partibus formalibus, hinc eſt quòd ſit integraliter indiviſibilis, at cùm eſſentia phyſica (cuiuſmodi eſſentia etiam gaudet qualitas) ex partibus integralibus coaleſcat, eſt phyſicè diviſibilis. Dices nulla forma phyſica habet partes niſi ratione quantitatis; g. qualitas ex ſe non habet partes. Reſpond. diſting. antec. nulla forma phyſica, habet partes, &c. extenſivè tranſeat

intenſivè, neg. antec. & ſimiliter diſting. conſeq. licet enim qualitas non habeat partes ex ſe extenſivè diviſibiles, ſicut quantitas, habet tamen partes, ſeu gradus intenſionis, per quorum additionem, aut ablationem intendi, aut remitti poteſt, ut dictum eſt. Unde qualitas poteſt dici, & eſt integraliter compoſita ex partibus entitativis, vel intenſivis tantùm, ſi eſt ſpiritualis, ut gratia, vel intenſivis, & extenſivis ſimul, ſi eſt materialis, ut calor. Alia argumenta brevitatis ergo omittimus, & quia ferè omnia cum præpoſitis coincidunt, & quia ex hic dictis, ſtatimque in quæſt. ſequenti dicendis haud difficulter enodari poſſunt.

QUÆSTIO IV.

Utrùm omnes gradus qualitatis intenſæ ſint ejuſdem rationis, ſeu perfectionis?

1 Senſus huius quæſt. (quæ tantùm habet locum ad controverſiam inter AA. qui nobiſcum aſſerunt, intenſionem qualitatis fieri per additionem unius gradus ad alium, modo præcedent. quæſt. explicato) iſte eſt, an partes qualitatis in intenſione additæ, quæ gradus nuncupari ſolent, ſint diſſimiles, & etherogeneæ in perfectione individuali, & taliter ſint iſti gradus naturaliter ſubordinati, quòd ſecundus præſupponat neceſſariò, & excedat in perfectione primum, & ſimiliter tertius ſecundum, quartus tertium, & ſic de reliquis? An verò omnes ſint eiuſdem, æqualiſque perfectionis, ac proinde homogenei, ſive primus ſit, ſive octavus, taliter, quòd non magis differat primus gradus ab octavo, quàm ab altero primo; Unde ſi primus gradus, caloris v. g. cum alio primo gradu, etiam caloris, in eodem

eodem ſubiecto coniungatur, efficiat illud calidum ut duo? Quam circa quæſt. duæ ſunt præcipuæ ſententiæ.

2 Prima aſſerit, quòd unus gradus qualitatis eſt perfectior alio, quem neceſſariò ſupponit præexiſtentem in ſubiecto, ita ut in intenſione neceſſariò procedatur à primo gradu ad ſecundum, ab iſto ad tertium, & ſic pariformiter uſque ad octavum, in remiſſione autem prius deperdatur, ſeu corrumpatur octavus, deinde ſeptimus, & ultimo corrumpatur primus: unde (inquit) ſi duo primi gradus ponerentur in eadem parte ſubiecti, non coaleſceret ex eis qualitas intenſior. Hæc eſt aliquorum Antiquorum opinio, quam poſtea ſecuti ſunt P. Suarez diſp. 46. Meth. ſect. 1. nu. 29. & ſeq. atque aliqui alii, quorum fundamenta infra apponemus, & pro viribus diſſolvemus.

3 Secunda ſententia affirmat, gradus qualitatis, ex quibus coaleſcit, & fit intenſior, inter ſe ad invicem comparatos eſſe homogeneos, omninò ſimiles, eiuſdem rationis, æqualiſque perfectionis, & nullatenus per ſe, & ſuaptè natura ita ſubordinatos, ut ſecundus præſupponat primum, & iſto ordine cæteri, nam qui eſt primus, poſſet ſecundùm ſe eſſe ſeptimus, & qui ſecundus poſſet eſſe primus, &c. unde in remiſſione non neceſſariò corrumpitur determinatè primò, octavus gradus, deinde ſeptimus, &c. ſed indifferenter quivis ex illis, cùm omnes ſint eiuſdem rationis, æqualiſque perfectionis. Sic noſter ſubtilis Doct. in 1. d. 17. quæſt. 5. §. *Ad iſtam quæſt. Verſ. Dico igitur*, ſub lit. XX. quem ferè omnes ſui Diſcipuli ſequuntur, & quamplures ex aliis. Pro qua ſententia.

4. Dicimus ad quæſt. gradus qualitatis ſunt homogenei eiuſdem rationis, æqualiſque perfectionis, & non aliquomodo inter ſe ſubordinati. Probat. 1. noſtra concluſ. quia

nulla eſt ratio, quæ urgeat ad ponendum gradus qualitatis heterogeneos, diverſæ rationis, & inter ſe ſubordinatos: g. concedendum eſt eſſe homogeneos, nullatenuſque ſubordinatos inter ſe. Prob. antec. nam ſi gradibus qualitatis præexiſtentibus alius de novo addatur gradus, quantumvis remiſſus ſit, in eadem ſubjecti parte, qui gradus præexiſtentibus medio aliquo indiviſibili uniatur, non eſt dubium, quin talis qualitas fiet intenſior: ergo ad intenſionem abſque ratione urgenti exigitur, quod gradus de novo adveniens ſit perfectior præexiſtenti, ſeu præexiſtentibus. Probat. antec. gradus de novo adveniens, quantumvis remiſſus ſit, gaudet propria perfectione realiter diſtincta à perfectione graduum præexiſtentium: ergo ſi iſtis ille addatur, & uniatur, eſt abſque dubio, quòd tota qualitas ex illis integrata evadet perfectior, & intenſior, quàm antea erat, dum ſolùm ex præexiſtentibus coaleſcebat. Eò vel maximè, quia includit omnem perfectionem, quam antea habebat, & ultra iſtam aliam diſtinctam gradus de novo advenientis, ex quo ortum, & vim habuit illud commune proloquium; *Virtus unita fortior eſt ſeipſa diſperſa*.

5. Confirmat. paritate augmentationis (augmentum enim ſecundùm quantitatem virtutis, quod intenſivum, ſeu intenſio nuncupatur, fit proportionaliter eo modo, quo fit augmentum ſecundùm quantitatem molis, quod extenſivum, ſeu augmentatio appellatur) in qua juxta omnium ſententiam, non requiritur, quòd pars, quæ de novo producitur in diverſa parte ſubjecti, ſit major, ſeu magis extenſa, quàm præexiſtens, cui de novo additur, ſed ſat eſt, ad hoc quòd quantitas ſit major, ſeu magis extenſa, quàm antea erat, quod in diverſa parte ſubjecti producatur nova pars quantitatis, & hæc uniatur medio aliquo indi-

Indiviſibili cum præexiſtente, ſive illa pars de novo addita ſit major, ſive minor, ſive æqualis præexiſtenti, ut eſt manifeſtum: g: pariformiter in augmento intenſivo, ſive intenſione qualitatis non requiritur, quod gradus qui producitur de novo ſit perfectior, ſeu intenſior præexiſtenti, ſive præexiſtentibus, ſed ſufficit, quod producatur in eadem parte ſubjecti, in qua ſunt præexiſtentes, & iſti medio aliquo indiviſibili uniatur, ſive ſit perfectior, ſive minus, aut æquè perfectus, quam tales gradus præexiſtentes, & conſequenter, &c.

6 Prob. 2. ratione, qua utitur Scotus ſupra citat. cont. Gotfr. circa augumentum habitus charitatis, ſeu gratiæ, nam ſi aliquis habens gratiam intenſam ut quatuor, eo quod elicuit actum meritorium ut quatuor intenſum, poſtea eliciat actum ut unum, tunc iſte abs dubio acquiret majorem gratiam, & novum gradum, nempè quintum: ergo ſi hic quintus gradus eſſet perfectior (ut fert oppoſita ſententia) omnibus gradibus præexiſtentibus, plus merebitur per actum intenſum ut unum, quam per actum intenſum ut quatuor, ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Prima conſeq: patet, nam per actum intenſum ut quatuor, tantum meruit gratiam ut quatuor, & per actum intenſum ut unum, meruit quintum gradum gratiæ, qui (juxta Adverſarios) eſt perfectior, quam gratia ut quatuor. Prob. min. ſubſumpta, quia gratia confertur juxta meritum actus boni in gratia eliciti, & juxta diſpoſitionem illius, qui meretur, & non eſt dubium, quin magis meritorius eſt actus intenſus, ut quatuor, quam actus intenſus ut unum: g.

7 Huic rationi reſpondet quidam ex Contrariis negando minorem, propter ſequentes rationes. Prima eſt, quia Deus ob ſuam maximam liberalitatem præmiat ultra condignum:

unde nil mirum, quod actui meritorio intenſo ut unum tribuat gratiam intenſam ut quinque. Secunda eſt,[a] quia præcipua ratio merendi augmentum gratiæ eſt ipſa gratia, & ideo plus gratiæ debetur illi, qui habet gratiam, ut quatuor, & elicit actum, ut unum, quam illi, qui non habens gratiam, elicit actum meritorium ut quatuor. Hæc tamen reſponſio nulla eſt, nec rationes pro ea adductæ aliquid convincunt. Non prima, nam quod Deus præmiet ultra condignum, non eſt verum in ſenſu, quo ſic reſpondens intelligit, nimirum ita ut ſemper actui ſequenti Deus tribuat præmium adeò ultra condignum, ut excedat omnium actuum præcedentium præmium, verum tamen eſt, ita Deum præmiare ultra condignum ultimum actum, ſicut præmiat ultra condignum actus meritorios præcedentes, videlicet gratis donando aliquid præmii ultra præmium debitum.

8 Quod illud commune Theologorum proloquium non ſit verum in ſenſu, quo à reſpondente intelligitur, oſtenditur ſic: nam ſicut Deus præmiat ultra condignum, ita punit citra condignum, id eſt, minus, quam peccator meretur, ſed ſtante illo ſenſu, ſeu intelligentia, hoc non eſſet verum, nam puniret Deus ultra condignum: ergo. Prob. min. homini elicienti peccatum ut unum, correſpondet pœna ut unum, & ſi deinde idem eliciat aliud peccatum etiam ut unum, ei correſponderet pœnam ut duo, ut ex prędicta intelligentia apertè infertur, ſed ſi ſecundus gradus pœnæ eſſet major, ſeu intenſior, quam primus correſpondens primo peccato, excederet profecto demeritum ſecundi peccati, ſiquidem peccato intenſo ut unum, tribueretur pœna intenſa ut duo: g. &c.

9 Ad ſecundam rationem pro reſponſione allatam, dicimus non amplius convincere, quam

præ-

Digitized by Google

præcedentem, nam etſi admittatur (eo quòd hæc controverſia non eſt præſentis inſtituti) gratiam eſſe magis præcipuam ratiouem augmenti meriti, negari tamen, nec dubitari poteſt, quin intenſionis actus aliquod gratiæ augmentum correſpondeat, plus enim gratiæ debetur homini habenti gratiam intenſam ut quatuor, & elicienti actum meritorium intenſum ut tria, quam ſi eliceret actum meritorium ut unum: g. aliquid gratiæ correſpondet intenſioni actus meritorii ut uuum eliciti ab homine habente gratiam intenſam ut quatuor, ſed hoc aliquid gratiæ, quòd tali actui correſpondet eſt quintus eſt gradus gratiæ, qui juxta Adverſarios eſt maior, & perfectior omnibus quatuor gradibus præcedentibus: ergo talis actus meritorius intenſus ut unum præcisè ratione ſuæ intenſionis plus gratiæ mereretur, quàm actus intenſus ut quatuor. Patet conſeq. quia iſte actus ut quatuor ſolùm meretur quartum gradum gratiæ, qui (in oppoſita ſententia) eſt imperfectior gradu quinto, quem meretur prædictus actus, ut unum etiam præcisè ratione intenſionis, ut patet.

16 Prob. 3. concl. ſi ſecundus gradus qualitatis eſſet magis perfectus quàm primus, ſequeretur quòd quando ille advenit ſubiecto, corrumpatur iſte, ſed hoc eſt falſum, ut manet oſtenſum quæſt. præced. num. 2. g. &c. Prob. ſequela, nam in ſecundo gradu contineretur primus formaliter, & eminenter: g. adveniente ſecundo, ſuperflueret primus: ac proinde deberet expelli. Prob. antec. nam ſecundus gradus eſt eiuſdem ſpeciei qualitatis, ac primus, ut eſt perſpicuum, & præterea habet gradum perfectionis, per quem excedit primum: g. per convenientiam ſpecificam continet formaliter primum, & per exceſſum perfectionis illum virtualiter continet. Nec

valet ſi reſpondeatur cum quodam ex Contrariis negando, quòd ſic primus gradus in ſecundo contineatur: non formaliter, quia quòd formaliter eſt in altero, eſt in illo per ſuum proprium formalem conceptum, quo pacto non eſt primus gradus in ſecundo, nam ſunt realiter diſtincti, non virtualiter; ad huiuſmodi enim continentiam non ſufficit exceſſus in perfectione ſed requiritur virtus activa in continente ad producendum quod continet, quia Angelus eſt perfectior homine & tamen illum producere nequit, ut eſt certum.

11 Non quidem valet hæc reſponſio, continentia enim formalis (in ſenſu, quo in præſenti uſurpatur), non eſt aliud, quàm convenientia, ſeu unitas in eodem ſpecifico conceptu, ita quod idem, quod facere formaliter unum, faciat formaliter aliud, & hoc quidem modo contineretur primus gradus, v. g. caloris, in ſecundo, nam idem quod ille poteſt formaliter facere, iſte etiam formaliter facere poſſet, ut fateri debet. Deindem etiam contineretur virtualiter, quia ad huiuſmodi continentiam non aliud requiritur, niſi quòd continens gaudeat propria virtute activa ad producendum id, quod in illo dicitur ſic contineri, & nulli eſt dubium, quin ſecundus gradus caloris poſſit producere calorem ut unum, qui eſt primus caloris gradus, quem ille ſecundus excedit perfectione intra eandem caloris lineam, non ſic Angelus hominem excedit, quia licet ſit perfectior illo, non eſt hic exceſſus eadem linea, ſeu ſpecie: g. contineretur formaliter, & virtualiter primus gradus in ſecundo, ſed ſupra hoc etiam haberet propriam ſui perfectionem, qua primum gradum excedit, ut fatentur Adverſarii: g. ad poſitionem illius corrumperetur gradus primus, ſiquidem ſuperfluè eſſet in eodem ſubiecto. Aliæ rationes, & quidem efficaces, quæ mi-

militant pro noſtra concl. ut prolixitas vitetur omittuntur, videri enim poſſunt apud RR. Scotiſtas, qui hanc difficultatem latè controvertunt.

12 Arg. 1. magis perficitur qualitas per intenſionem, quàm per extenſionem, ut in comperto eſt apud omnes, ſed hoc non ita eſſet, ſi intenſio fiat per additionem graduum homogeneorum, ſeu æqualis perfectionis: g. debet fieri per gradus heterogeneos. Prob. min. nam ſi intenſio conſiſtit tantùm in unione plurium graduum æqualis perfectionis, in eodem prorſus conſiſtit qualitatis extenſio; hæc enim eſt unio plurium graduum in eodem ſubiecto; g. &c. Reſp. neg. min. cujus probationis neg. ant. intenſio enim, cùm ſit unio plurium graduum qualitatis eiuſdem in eadem parte ſubiecti, plus perficit id, quod afficit, quàm extenſio; quæ eſt unio plurium graduum in diverſis ſubiecti partibus, virtus enim unita eſt fortior; & intenſior ſeipſa diſperſa, & cùm in extenſione virtus grad uum diſpergatur, & in intenſione uniatur, & coadunetur, hinc eſt, quòd iſta magis perficit quàm illa.

13 Arg. 2. ſi præiacta concl. eſſe vera ſequeretur, quòd agens remiſſum, v. g. calidum ut duo applicatum paſſo intenſo, v. g. calido ut ſex illud intenderet, & efficeret calidum ut octo, ſed hoc eſt abſurdum, ut patet, & contra ipſam experientiam: g. &c. Prob. mai. nam calidum ut duo habet virtutem ad producendum calorem ut duo, ſed calor ut duo unitus calori ut ſex, intendit illum uſque ad calorem ut octo, ut eſt manifeſtum: g. &c. Reſpond. neg. mai. ad cuius probationem dicimus, quòd calidum ut duo, nequit producere ſuum calorem in calido ut ſex, non quidem, quia gradus, qui ſuperveniunt qualitati præcedenti, & illam intendunt, debeant eſſe maioris perfectionis, ac præcedentes, ſed quia cùm (ut fert com-

mune Philoſophorum proloquium) nullum agens poſſit agere in omnino ſibi ſimile, & calidum ut ſex, ſit omnino ſimile calido ut duo (calidum enim ut ſex etiam ſupponitur eſſe calidum ut duo) ideò calidum ut duo, nequit aliquid caloris producere in calido ut ſex.

14 Replic. ſi hæc ſolutio eſſet vera, qualitas extenſa non poſſet producere aliam extenſiorem ſe, ſed hoc eſt falſum, nam militat contra rationem, & experientiam: naturale enim agens benè poteſt agere in plura ſubiecta, ac etiam in plures partes unius ſubiecti continui: g. &c. Prob. mai. quia eodem modo excedit qualitas extenſa qualitatem minus extenſam, ac qualitas intenſa qualitatem minus intenſam; uterque namque exceſſus eſt penes magis, & minus intra eamdem ſpeciem; ſi ergo qualitas minus intenſa qualitatem intenſiorem producere nequit, neque qualitas extenſa aliam extenſiorem ſe producere poterit. Reſpond. neg. mai. cuius probationis neg. paritas, cùm enim intenſio ſit in eadem parte ſubiecti, ſi qualitas minus intenſa produceret aliam ipſa intenſiorem, neceſſariò (ut oſtenſum eſt) ageret in omninò ſibi ſimile, extenſio autem cùm fiat in diverſis partibus ſubiecti, nihil obeſt quominus qualitas minus extenſa aliam ſed extenſiorem producat, eo quod quamlibet partem invenit ſibi diſſimilem, & carentem perfectione, quam ipſa tribuit.

15 Ar.3. ſi gradus qualitatis eſſent eiuſdem rationis, & perfectionis, ſequeretur, qualitatem non poſſe remitti, aut corrumpi ab alia ſibi contraria, ſed hoc contradicit experientiæ: g. &c. Prob. ſeq. mai. quia ſi gradus, ex quibus intenditur qualitas, eſſent ſic omnino ſimiles, & non per ſe ad invicem ſubordinati, non eſſet maior ratio, ob quam potius ab

uno

Digitized by Google

uno gradu, quàm ab alio inciperet remiſſio, ſeu corruptio, & ſic à nullo inciperet, cùm non eſſet major ratio unius, quàm alterius: g. &c. Reſpond. neg. ſeq. & huius ad probationem dicimus, ſolùm poſſe habere vim contra aſſertores oppoſitæ ſententiæ, qui in qualitate concedunt gradus nedum realiter diſtinctos, verùm & penes maiorem, vel minorem perfectionem actu ſignatos, ac determinatos, non autem contra nos, qui etſi in qualitate intenſa admittamus gradus realiter diſtinctos, non tamen actu ſignatos, aut determinatos penes maiorem, vel minorem illorum perfectionem, ſed dumtaxat in potentia aſſignabiles, ac determinabiles, vel ex voluntaria hominum aſſignatione, ut evenit quando in controverſis aſſignamus calorem, v. g. ut unum, ut quatuor, &c. vel per phyſicam ſeparationem alicuius gradus à cæteris, ut accidit, quando aliqua qualitas à contraria qualitate remittitur: in quo caſu tantus erit in ſua perfectione gradus expulſus, quantus actu ſignatè, ad determinatè fuerit gradus contrariæ qualitatis productus in eadem parte ſubiecti. Si autem inquiratur, quiſnam in individuo foret iſte gradus expllendus ex tot realiter diſtinctis? Reſ. quod ſicut cauſa prima determinat ſecundam ad hoc potius individuum, quàm aliud producendum, ſic ad introductionem alicuius gradus qualitatis, determinat illum in individuo ex tot qualitatis contrarię gradibus præexiſtentibus, qui expellendus eſt, ſicut etiam ſic determinat illum, qui eſt producendus, ex tot, quot numero efficiens producere poteſt. Quod etiam neceſſario faciendum eſt in condenſatione, in qua (juxta firmiorem ſententiam) aliqua pars quantitatis deperditur, non enim eſt maior ratio, ob quam una potius, quàm altera deperdatur, ut eſt manifeſtum.

16 Hic advertere oportet, ut clariùs percipiatur gradus, ex quibus qualitas coaleſcit, non

non eſſe actu ſignatos, & determinatos; ſed tantùm in potentia aſſignabiles, & determinabiles; quòd cùm remiſſio ſit motus ſucceſſivus, & continuus, non ſecùs ac eſt intenſio, ſicut in iſta actu non aſſignatur gradus v. g. frigiditatis productus ita exiguus in ſua perfectione, ut non poſſit aſſignari alius, & alius proportionalis minor, & minor uſque in infinitum; ita in remiſſione caloris nequit aſſignari gradus expulſus ita exiguus in ſua perfectione, quòd non poſſit aſſignari alius, & alius proportionalis minor, & minor uſque in infinitum. Hanc doſtrinam hic opponimus, ut procul pellatur quævis ambiguitas, aut æquivocatio, quæ circa intelligentiam partium, ſeu graduum qualitatis oriri poteſt. Alia argumenta, quæ contra ſupra ſtatutam concl. obiici ſolent, ex dictis in hac, & præcedenti quæſt. haud difficulter, ſi benè percipiantur, diſſolventur.

DISP. IV.

De nutritione, & augmentatione.

POſtquam Ariſtot. de generatione, & de alteratione in præcedentibus egit, ſtatim de nutritione, & de augmentatione, quæ generationem conſequuntur, ſermonem inſtituit: unde ipſius ordinem imitantes præſentem diſput. modo elucidare conamur, & de nutritione, ac de augmentatione ſimul in illa tractamus, ne motus inter ſe naturaliter connexos, & concomitantes, ſeparemus. Pro quibus ſit.

QUÆ

QUÆSTIO I.

In quo formaliter conſiſtat nutritio, & quomodo fiat?

1. PRo deciſione qæſt. (cujus ſecundæ parti ex hic præmittendi ſit ſatis, & iſta percepta, faciliùs prima intelligetur) notandum eſt 1. quòd nutritio, ſeu ſubſtantialis accretio, bifariam accipi poteſt. Primò propriè, pro converſione ſcilicet alicuius ſubſtantiæ in ſubſtantiam alterius facta à virtute vitali intrinſeca per intùs ſumptionem alimenti; ſecundùm omnes partes viventis, propter reſtaurationem deperditi ex propria virtute ab intrinſeco. Secundò poteſt ſumi impropriè, nimirum, pro quavis converſione ſubſtantiæ unius in ſubſtantiam alterius. Prima nutritio eſt propria viventium; ſecunda autem etiam non viventibus convenit. Hæc ſecunda differt à prima, eò quod ſecunda non eſt actio vitalis, & communiter non fit per intus ſumptionem, & ſecundùm omnes partes, ſed tantùm per juxta poſitionem, & ſecundùm aliquas partes, ut cùm igni v. g. ex aliqua ipſius parte apponitur pabulum, ſeu combuſtibile.

2. Advertere circa hæc oportet, quòd ſi aliquando prædicta ſecunda nutritio fiat aliquomodo per intus ſumptionem, ut cùm vinum augetur ex appoſitione aquæ (hæc enim commiſcetur ſecundùm omnes partes cum vino) huiuſmodi autem converſio aquæ in vinum non eſt propriè nutritio. Et ratio, quia non eſt propter reſtaurationem deperditi, ita ut vinum ideò in ſe convertat aquam, quia ipſum ſecundum aliquas partes fuerit corruptum; & hoc eſt neceſſarium ad nutritionem propriè ſumptam, ut ſup. præveniebamus. Deinde, etſi aliquando in non viventibus ex iſta converſione

ſione ſequatur reſtauratio deperditi, ut cùm ex appoſitione olei ignis augetur, & reſtaurat partes illas, quas propter olei contrarietatem amiſerat; non ob hoc huiuſmodi converſio eſt propriè nutritio. Ratio eſt, tum quia hæc ſubſtantialis accretio ignis non fit ſecundùm omnes ipſius partes; tum etiam quia huiuſmodi reſtauratio per accidens ſe habet ad converſionem olei; quia hæc converſio non eſt inſtituta à natura, ut partes illæ ignis reſtaurentur; illarum enim deſtructio provenit ex mutua actione ignis, & olei; converſio autem alimenti in halitum vivens eſt per ſe inſtituta à natura, ut reſtaurentur partes deperditæ ex actione caloris naturalis in humidum radicale: unde hæc eſt propriè nutritio, non verò illa.

3 Notandum eſt 2. quod ad viventis nutritionem plures actiones, ſeu alterationes circa alimentum præcedunt. Primò enim poſtquam cibus ore receptus dentibus eſt comminutus, pellitur deorſum, & in ventriculo, ſeu ſtomacho recipitur. Poſteà coctrix facultas, quæ in ſtomacho reſidet, toto conatu incumbit in cibi ſibi commiſſi decoctionem, & illum immutat, tum calore proprio, tum calore, quem vicinæ partes illi tribuunt: quo peracto perficitur prima coctio, ſeu digeſtio, ex qua, abiectis excrementis ad inteſtina, reſultat, & fit quædam maſſa alba, quæ à Medicis *Chylus* appellatur. Deinde hæc maſſa, ſeu chylus trahitur ex ſtomacho ad jecur per quaſdam ſtrictas venas, quæ communiter *Meſariacæ* vocantur, & ibi ſecunda coctio, ſeu digeſtio fit, per quam chylus melius expurgatur: ex hoc reſultat alia maſſa purior, quam Medici *Chymum* vocant, in qua quatuor humores ſimul inveniuntur, videlicet ſanguis, pituita, ſeu flegma, flava bilis, ſive colera, & atra bilis, ſeu melancholia.

lia. Hi quatuor humores quatuor correſpondent elementis, nam ſanguis, qui eſt calidus, & humidus, correſpondet aeri; flava bilis, ſive colera, quæ eſt calida, & ſicca, igni: pituita, ſeu flegma, quæ eſt frigida, & humida, aquæ; ac denique atrabilis, ſeu melancholia, quæ eſt frigida, & ſicca, terræ correſpondet.

4 Prædicti omnes humores, etſi in jecore procreentur, non ſunt tamen ad nutriendum corpus in tanta abundantia, qua in jecore ſunt, neceſſarii, & ideò natura id quod ex eis ſuperabundat, relegat a ſanguine, eiiciendo coleram in folliculum fellis, & melancholiam ad ſplenem immittendo; ex flegma autem nihil relegat à ſanguine, & quia hæc ſanguinem per totum evehit corpus, & quia per decoctionem facile in ſanguinem tranſit, & demum, quia ad humectandum omnes artus, ne ex continua areſcant agitatione, multum deſervit. Præterea in jecore aliud reperitur excrementum, quo ſanguinem expurgari oportet, & eſt quidam humor tenuis, & copioſus, in quo, tamquam in quodam vehiculo, è ventriculo defertur chylus per venas meſaraicas ad jecur. Qui humor, poſtquam in eo chylus eſt perductus, quia deinceps ad alia munera utilis non eſt, ſecernitur per quarumdam venarum ductus in renes, & hinc profunditur in veſſicam. Hoc idem ſimiliter contingit in flegma, quæ poſtquam ſua numera abſolvit, ſi aliquod eſt reſiduum illius, in veſſicam defluit.

5 Sanguis igitur poſtquam a prædictis ſuperfluitatibus, aut recrementis eſt expurgatus, excipitur in quadam ampla vena, quæ *cava* communiter vocatur; & ducit originem à jecore, dilataturque, tum in ſuperiorem, tum etiam in inferiorem animalis partem, & inde derivatur ſanguis ad omnes partes corporis per plures venas, alias majores, alias minores, & minutiſſimas alias (quæ ideo capi-

pilares ſolent dici) à vena cava originem ducentes, & receptus intra poros, ibi perfectè decoquitur, & recipit duritiem, aut mollitiem, innatique temperamenti modum, juxta membri, in cuius ſubſtantiam prædictus ſanguis eſt tranſiturus, naturam; ac denique virtute animæ aſſimilatur unicuique parti, & expulſa forma ſanguinis, convertitur in ſubſtantiam aliti, huiuſque partibus præexiſtentibus unitur. Hoc ergo modo fit ſubſtantialis aggeneratio, quæ propriè dicitur nutritio. Quibus prænotatis ſatisfit ſecundæ quæſt. parti. Ut autem primæ reſpondeamus, ipſius nutritionis, ſeu aggenerationis definitionem, ſeu deſcriptionem ſtatim præmittimus.

6 Sic ergo nutritio propriè ſumpta deſcribi poteſt: eſt mutatio ſubſtantialis, qua materia alimenti tranſit a privatione formæ viventis ad huius formam, & producitur partialis ſubſtantia vivens ex ſubſtantiali converſione alimenti. Hæc deſcriptio ſic explicatur. Ponitur ly *mutatio* vice generis; nam per hoc convenit nutritio cum aliis mutationibus, quæ nutritiones non ſunt, tam ſubſtantialibus, quam accidentalibus. Ly *materia alimentis* deſignat ſubiectum talis mutationis; ſicut enim pro generatione totali viventis (quæ a nutritione ſpecificè non differt) v. gr. equi, materia ſeminis eſt, quæ diſponitur, & tranſit ad formam equi, eſtque ſubjectum talis mutationis, ſic pro partiali viventis generatione, nempe nutritione, materia alimenti eſt, quæ diſponitur, ac proinde quæ tranſit a privatione formæ viventis ad ipſam formam, eſtque ſubiectum talis mutationis. Per ly *a privatione formæ viventis* exprimitur terminus *a quo* nutritionis. Per ly denique *ad huius formam*, denotatur terminus *ad quem* formalis, à quo huiuſmodi mutatio ſpecificatur, ſcilicet forma viventis. Cæteræ autem particulæ clarioris explicationis gratia appo-

po-

ponuntur, ut denotetur totalem terminum nutritionis eſſe partem ſubſtantialem viventem, quæ ex parte formæ viventis (ſi hoc anima diviſibili conſtet) & ex parte materiæ alimenti unitis coaleſcit.

7. Ex hoc infertur, quòd in illis viventibus, in quibus forma, ſeu anima eſt materialis, & diviſibilis (de quo in lib. de anim. agemus) producitur per nutritionem vera pars ſubſtantialis ipſius formæ, ſeu animæ, in hominibus autem, qui anima ſpirituali, & indiviſibili conſtant, prius fit converſio alimenti in corpus per productionem novæ partis formę corporeitatis in materia alimenti, & poſtea anima per ipſam unionem, qua partibus præexiſtentibus erat unita, extenditur (ut ſic loquamur) ad ſe uniendum cum illa nova parte, illamque informandum. Cujus ratio eſt, quia anima rationalis, eo quòd ſpiritualis eſt, abſque ſui diviſibilitate coexiſtit, & unitur pluribus partibus diviſibilibus, & extenſis, ſic ſimiliter unio, quæ ſe tenet ex parte ipſius animæ, cùm ſpiritualis ſit, caret omni partiali compoſitione, & abſque ſui diviſione animam unit pluribus partibus corporis, tam præexiſtentibus, quàm per nutritionem de novo advenientibus, ex parte verò ipſarum partium heterogenearum neceſſariò in nutritione datur partialis unionis productio. Ex dictis circa nutritionis definitionem non erit difficilè reſolvere in quo formaliter conſiſtat, quod eſt primum quæſt. quæſitum.

8. Dicimus ergo nutritio, licet in ſupra enumeratis concoctionibus alimenti virtute caloris naturalis factis diſpoſitivè conſiſtat, formaliter tamen, & eſſentialiter dumtaxat conſiſtit in actione ſubſtantiali, qua vi animæ partes alimenti tranſeunt, & convertuntur in ſubſtantiam haliti viventis, & hujus partibus ſubſtantialibus præexiſtentibus uniuntur. Hæc concl. eſt communis, & deducitur ex Ariſtot. qui lib. 2.

de

de Anima text. 41. explicans cauſas ad nutritionem concurrentes, calori naturali tantùm diſpoſitionem ad illam attribuit, animæ autem illius effectionem. Prob. concl. ratione: nam in illo nutritio formaliter, & eſſentialiter conſiſtere debet, quo poſito, quovis alio per intellectum excluſo, adeſt quidquid exigitur ad formalem, & eſſentialem rationem nutritionis, & quo ablato, etiam quovis alio manente, non adeſt: ſed poſita prædicta ſubſtantiali unione converſiva, qua vi animæ partes alimenti convertuntur, & tranſeunt in ſubſtantiam haliti viventis, & partibus ſubſtantialibus iſtius præexiſtentibus uniuntur, etiam excluſis prænumeratis coctionibus factis calore naturali, adeſt, quidquid ad formalem, & eſſentialem rationem nutritionis exigitur (ut ex ſupra data ipſius definitione conſtat) & tali actione ſublata, etiam manentibus prædictis coctionibus, non adeſt: g. dumtaxat in tali ſubſtantiali actione explicata in concluſ. conſiſtit formaliter, & eſſentialiter nutritio. Nihil, adhuc apparens, contra hoc objici poteſt.

QUÆSTIO II.

Quomodo fiat, & in quo conſiſtat formaliter augmentatio?

1 NOtandum eſt, quòd cùm augmentatio, quæ etiam dicitur accretio quantitativa, ſit æmula nutritionis, ſeu accretionis ſubſtantialis, iſtaque illam naturaliter conſequitur, idem, quod de nutritione in anteced. quæſt. notabamus circa illius nomen, idem in præſenti circa nomen *augmentatio*, venit annotandum. Augmentatio ergo, prout modò de illa agimus (relicta illa, qua corpora abſque additione alicujus ſubſtantiæ augentur, quæ

quæ eſt propriè rarefactio, & de qua erit ſermo in diſput. ſubſequenti) dupliciter uſurpari poteſt. Primò latè, pro acquiſitione ſcilicet majoris quantitatis facta à cauſa extrinſeca per juxta poſitionem, ut evenit in inanimatis, cùm ignis verb. gratia accreſcit per applicationem combuſtibilium, & quantitas aquæ per conjunctionem novæ partis aquæ ad partes illius præexiſtentes. Secundò ſtrictè, nempe pro acquiſitione maioris quantitatis facta à cauſa intrinſeca, & per intus ſumptionem, ut contingit in viventibus, cùm eorum quantitas accreſcit. Ad quam augmentationem ſtrictè ſumptam tres ab Ariſt. 1. de generat. text. 33. exquiruntur conditiones. Prima eſt, quod id; quod augetur, ſecundùm omnes ſuas partes augeatur. Secunda, quod augeatur per partes qnantitatis diſtincta à partibus quantitatis præexiſtentibus; ſive (& eſt idem) quod fiat majus ex adveniente materia. Tertia denique, quod id, quod augetur, idem numero permaneat ante, & poſt augmentationem. Quas conditiones eſſe ad ſtrictam augmentationem neceſſarias, apertè ex dictis patet, apertiuſque ex dicendis in tota diſp. patebit, ſed ſpecialiùs tertia, de qua in quæſt. ex profeſſo agemus. Quibus prænotatis.

2 Dicimus ad quæſt. pro primo, quod in ea inquiritur, augmentatio ſic fit. Primò enim datur quædam diſtenſio partium viventis versùs omnem dimenſionem, qualis diſtenſio fieret in aliqua re, quæ ab omnibus lateribus traheretur: quæ diſtenſio fit ab anima, & ab ejus potentia augmentativa principaliter; inſtrumentaliter verò à calore: qua diſtenſione dilatantur omnium partium pori, in quos deſinunt venæ, quæ vocantur capillares, & per harum oſtiola exit ſanguis ad illas partes reſtaurandas. Poſt hanc diſtenſionem ſanguis ex venis illis ingreditur poros præ-

di-

dictarum partium, ubi decoquitur, & convertitur (juxta communem Medicorum ſententiam) in cambium, rorem, vel glutem, & ſtatim in ſubſtantiam haliti, quæ converſio eſt nutritio, quam ſequitur acquiſitio partialis quantitatis, & ultimò extenſio ad majorem locum occupandum. En igitur modus, quo fit augmentatio propriè ſumpta. Ex quo conſtat prima quæſt. pars, ut ſecundæ autem ſatisfaciamus.

3 Dicimus 2. augmentatio formaliter, & eſſentialiter conſiſtit in illa actione, per quam nova partialis quantitas de novo producta, & præexiſtenti quantitati viventis unita, acquiritur, in cæteris autem anterioribus motibus ſupra explicatis tantum diſpoſitivè conſiſtit. Hæc concl. eſt communis, & poteſt oſtendi eadem ratione, qua loquendo de nutritione, in præcedenti quæſt. num. 8. uſi ſumus. Præterea illius veritas patebit ex explicatione definitionis, ſeu deſcriptionis ipſius augmentationis, quam ſtatim damus, igitur augmentatio *eſt mutatio à minori ad maiorem quantitatem, vi animæ facta*. Qua in definitione ponitur ly *mutatio* loco generis, per hoc enim convenit augmentatio cum nutritione, aliiſque mutationibus, quæ rationem augmentationis non habent. Ly *de minori* denotat duplicem terminum *à quo* augmentationis, ſcilicet terminum poſitivum, qui eſt quantitas præexiſtens in viventi, & terminum privativum, nimirum carentiam, ſeu privationem maioris quantitatis per augmentationem acquiſitæ; uterque enim terminus *à quo* per ſe requiritur ad motum augmentationis ſtrictè ſumptæ; quia ſi non præcedat in viventi aliqua quantitas minor: non erit augmentatio, ſed prima, ſeu nova quantitatis productio, ut per ſe patet. Deinde, ſi non eſſet in viventi carentia, ſeu privatio majoris quantitatis, non poſſet per augmentatio-

nem

nem major quantitas acquiri, ut eſt manifeſtum: uterque ergo terminus ad augmentationem per ſe requiritur.

4 Per ly *ad maiorem quantitatem* exprimitur terminus *ad quem* per ſe augmentationis, quæ eſt maior quantitas, quæ reſultat in viventi ex nova parte quantitatis per augmentationem acquiſita, & ex quantitate in ipſo præexiſtenti: quæ maior quantitas eſt terminus *ad quem* per ſe, & totalis augmentationis. Per iſtam particulam, ac per præcedentem differt augmentatio nedum ab illis mutationibus, quarum terminus *ad quem* non eſt quantitas, cuiuſmodi ſunt v. g. generatio, & alteratio, verum et ab illa, quæ etſi pro tali termino habeat quantitatem, ſed non maiorem quantitatem cuiuſmodi eſt emanatio quantitatis in prima viventis generatione: quæ differentia etſi accidentalis ſit præfatis mutationibus materialiter, in eſſe rei attentis, eſt tamen eſſentialis illis formaliter conſideratis. Per illa denique poſteriora verba, videlicet, *vi animæ facta*, differt augmentatio ſtrictè ſumpta ab augmentatione latè accepta, qualis eſt, quæ convenit inanimatis (ut num. 1. dicebamus) quæ tantum fit per iuxta poſitionem, & non virtute animæ, ſed à cauſa extrinſeca. Ex hac igitur explicatione benè percepta, veritas præpoſitæ concluſionis apertè apparet, ut illam perpendenti patebit.

5 Dubitab. Utrùm mutatio, in qua tantum quantitatis deperditur, quantum de novo acquiritur, ſit ſpecificè eadem, tam in eſſe rei, & materialiter, quam in eſſe talis, & formaliter conſiderata, cùm illa, in qua plus quantitatis acquiritur, quam alia via deperditur? Ratio dubitandi oritur ex eo, quod nutritio, in qua deperditur tantum ſubſtantiæ, quantum de novo acquiritur, eſt ejuſdem ſpeciei cum illa nutritione; in qua magis ſubſtan-

tiæ

tiæ acquiritur,quam alia via deperditur,etiamſi tales nutritiones formaliter, & in eſſe mutationum conſiderentur; g. pariformiter de illis mutationibus penes quantitatem eſt philoſophandum. Hoc tamen non obſtante, reſpond. ad dubium negativè. Ratio,non ſolum poſitivè oſtendens iſtam reſolutionem; ſed & efficaciter ſatisfaciens rationi dubitandi ſup.adductæ, eſt: nam cùm de ratione nutritionis formaliter, & in eſſe mutationis conſideratæ, ſolum ſit, quod ſit mutatio ſubſtantialis, qua materia alimenti tranſit à privatione formæ viventis ad huius formam,&c.ut ex quæſt.anteced.n.6.& 8. conſtat omninò quidem per accidens erit, quod in ea magis ſubſtantiæ acquiratur, quam deperditur. Cæterùm,cùm de ratione intrinſeca augmentationis, formaliter,& in eſſe mutationis conſideratæ ſit eſſe mutationem à minori ad majorem quantitatem, &c.ut in hac quæſt.n.3.& 4.dictum eſt; non erit per accidens, ſed omnino per ſe requiſitum, quod in ea magis quantitatis acquiratur, quam deperditur, ut ex ipſis definitionis verbi patet. Quam diſparitatem inter nutritionem, & augmentationem docet Ariſtot. in hoc lib.cap.5. dicens, quod vivens, quamdiu vivit, ſemper nutritur, non tamen ſemper augetur; homo enim v.g. in ſecunda ætate, ſcilicet virilitate, tantum quantitatis deperdit, quantum acquirit; & in tertia, nimirum ſenectute, plus deperdit, quam acquirit, ut communis loquendi modus profitetur, qui ſi verus ſit, noſtram reſolutionem haud parum confirmat.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Utrùm augmentatio, & nutritio ſint motus realiter diſtincti.

1 SUpponimus, tamquam certum, augmentationem eſſe motum nedum realiter, ſed & eſſentialiter diſtinctum à generatione, & ab alteratione. Ratio primæ partis hujus ſuppoſitionis eſt; quia tam generatio, quàm alteratio poſſunt exiſtere, & exiſtunt in rerum natura abſque motu augmentationis, ut eſt certum; ſed nullum eſt evidentius ſignum realis diſtinctionis, quàm hoc: g. &c. Ratio pro 2. part. eſt; nam illi motus eſſentialiter differunt, quorum termini *ad quos* non ſolùm ſpecie, ſed etiam prædicamento ſunt diſtincti; ſed termini *ad quos* generationis, & alterationis ſunt ſubſtantia, & qualitas, quæ tam ſpecie, quàm prædicamento differunt à quantitate, quæ eſt terminus *ad quem* motus augmentationis; g. &c. Præterea etiam ſi certum, quòd augmentatio prædictis duobus modis diſtinguitur à motu locali. Ratio hujus eſt; quia datur in rerum natura motus localis abſque motu augmentationis; g. diſtinguitur realiter. Deinde, terminus *ad quem* motus localis eſt *ubi*: ſed *ubi* ſpecie, & prædicamento differt à quantitate, qui eſt terminus *ad quem* augmentationis; g. eſſentialiter diſtinguuntur, & licèt mutare locum conveniat etiam ei, quod augetur, diverſo tamen modo convenit ei, quod localiter movetur; nam iſti convenit *ubi* per ſe, & primariò; illi autem per accidens, & ſecundariò, ſeu concomitanter. His ſuppoſitis.

2. Dicimus ad quæſt. augmentatio viventium eſt realiter diſtincta ab ipſorum nutritione. Sic omnes interpretes Ariſt. in hoc lib. c. 5.

& alibi, contra aliquos tam antiquos, quam neotericos, qui etſi omnes oppoſitum noſtræ concluſioni teneant, non tamen omnes eodem nituntur fundamento, ut videri poteſt apud noſtrum Merin. lib. 1. diſput. 4. quæſt. 3. num. 4. & 5. Prob. breviter, & efficaciter noſtra concl. diſtinctio realis terminorum *ad quos*, arguit realem diſtinctionem in motibus ad illos terminatis, ut tenet Ariſt. lib. 5. Phyſic. cap. 4. ſed terminus *ad quem* nutritionis eſt ſubſtantia; & terminus *ad quem* augmentationis eſt quantitas (modo in præcedentibus explicato) quæ ſunt realiter diſtinctæ, ut nullus ignorat: g. ſunt motus realiter diſtincti. Deinde poteſt confirmari ex reali ſeparabilitate utriuſque; non enim repugnat, abſoluta interveniente potentia, quod facta converſione ſubſtantię alimenti in ſubſtantiam haliti viventis, quæ eſt formaliter nutritio, Deus impediat productionem novæ partialis quantitatis, unionemque iſtius cum quantitate præexiſtenti, quæ eſt formaliter augmentatio: g. &c. Ex quibus patet, etiam hos motus eſſentialiter differre, nam ſubſtantia, & quantitas non tantùm ſpecie differunt, ſed & prædicamento.

3 Dices pro oppoſita ſententia: Ariſt. in hoc lib. cap. 5. aſſerit expreſsè, augmentationem, & nutritionem eſſe eamdem actionem ſubiecto, hoc eſt, realiter eandem: ſi enim ſolum intenderet, quod augmentatio, & nutritio habent idem ſubiectum inhæſionis, idem utique de augmentatione, & nutritione poſſet affirmare, ut conſtat; g. &c. Reſp. quod Ariſt. ibi non loquitur de ſubjecto *in quo*, ſeu inhæſionis; ſed de ſubiecto *ex quo*, ſeu *circa quod*: unde intendit oſtendere, tam nutritionem, quam augmentationem fieri ex eodem alimento. Argumenta alia contra noſtram concluſ. quæ ſunt fundamenta pro opinione contraria, hic non apponimus, quia

valde

valde falſis nituntur principiis, quæ ex dictis, tam in logica circa prædicament. quantit. quam in hoc lib. diſp. 2. qq. 5. & 6. evidenter ſolvuntur; alii enim nituntur in eo, quod quantitas non eſt realiter diſtincta à ſubſtantia, quam afficit: alii autem in eo, quod quantitas non ſubiectatur immediatè in toto compoſito, ſed in materia prima: quæ quam falſa ſit ex præallegatis locis non obſcurè conſtat.

4 Dubit. an ſicut augmentatio eſt motus poſitivus, ita diminutio, quæ illi ex diametro eſt oppoſita, motus poſitivus ſit? Ante huius dubii reſolutionem oportet notare, quod ſicut acquiſitio quantitatis poteſt ſumi, & pro acquiſitione totius quantitatis, ut cum aliquid generatur, ſtatim tota ejus quantitas reſultat; & pro acquiſitione partialis quantitatis, ut contingit in augmentatione, de qua immediatè agebamus; & ita & quantitatis deperditio ſumi poteſt & pro deperditione totius quantitatis, ut quando compoſitum prorſus corrumpitur; & pro deperditione partialis quantitatis, ut contingit cum vivens diminuitur propter actionem caloris corrumpentis propriam ſubſtantiam: quæ mutatio vocatur diminutio, & poteſt ſic deſcribi; eſt mutatio à maiori quantitate ad quantitatem minorem defectu virium animæ. Quæ deſcriptio poteſt explicari eodem modo (ſervandis ſervatis) quo illam, qua augmentatio eſt definita, ſup. explicabamus; advertendo tamen, quod ly *ad quantitatem minorem*, denotat quantitatem remanentem, quæ dicitur minor per habitudinem ad quantitatem præcedentem, quæ erat maior, ut patet. Quo prænotato.

5 Reſpond. ad propoſitum dubium negativè, hoc eſt, diminutionem formaliter inſpectam non eſſe motum poſitivum, ſed negativum, ſeu deperditivum, terminatum ad non eſſe alicuius quantitatis, quæ præceſſit; & con-

ſequenter illam ab augmentatione diſtingui ſpecie, non poſitiva, ſed privativa. Hæc reſolutio poteſt probari eadem ratione, qua uſi ſumus in hoc lib. diſp. 2. quæſt. 1. num. 7. & 8. loquendo de corruptione ſubſtantiali. Et deinde oſtenditur ſic, aliquid diminui eſt eſſe minus, quam erat antea; ſed res non eſt minor, niſi per deperditionem, quæ eſt carentia alicuius, quod habebat: g. diminutio formaliter eſt quid negativum. Maior patet ex ipſa nominis *diminutio* etymologia. Prob. min. nam ſtatim, ac intelligitur, vivens aliquid deperdere de quantitate, intelligitur eſſe minus, quam erat antea: g. Confirm. nam diminutio eſt mutatio pertinens ad quantitatem, ut eſt commune, & tenet Ariſt. 3. & 5. Phyſic. ſed per illam non acquiritur quantitas, ut eſt certum; g. non pertinet ad quantitatem, ut motus poſitivus, ſed tantùm ut privativus, quatenus ſcilicet per eam acquiritur privatio alicuius quantitatis. Prob. min. quia per illam non acquiritur quantitas remanens; nam hæc jam antea præexiſtebat; g. &c.

6 Neque valet, ſi dicas, quod acquiritur quantitas remanens, non ut ſic, ſed uti habet eſſe completum, & totale, & prout dicit ordinem ad quantitatem præhabitam. Hoc quidem non valet, quia quantitas remanens vel conſtituitur habens eſſe completum, in quantùm terminat diminutionem, per ordinem, vel reſpectum ad quantitatem præcedentem; vel per illud indiviſibile terminans, & complens ipſam quantitatem remanentem in eſſe totius: ſed per neutrum ex his poteſt diminutionem terminare, g. &c. Prob. min. nam ſi per relationem terminaret, diminutio terminaretur ad relationem, ſed hoc eſt falſum; quia diminutio eſt motus pertinens ad quantitatem, ut conſtat ex noſtra confirm. g. Deinde neque per illud indiviſibile; nam hoc indiviſibi-

Digitized by Google

le tantum habetur, & exiitit in ultimo inſtanti terminativo motus diminutionis; ſed diminutio (utpotè ſucceſſiva) fit in tempore, in quo debet neceſſariò ſuum habere terminum, ut patet; g. per neutrum ex his poteſt quantitas remanens diminutionem terminare; & conſequenter, &c.

7 Argum. contra noſtram præjactam reſolutionem 1. ex Ariſtot. qui 5. Phyſic. text. 18. enumerat diminutionem inter motus poſitivos. Quod idem expreſſiùs aſſerit 1. de Generat text. 31. Secundò, quia terminus diminutionis neceſſariò eſt poſitivus, vivens enim tunc dicitur minui, quando non tantam acquirit quantitatem, quantam amiſit; ſed illa quantitas acquiſita eſt terminus diminutionis, & eſt quid poſitivum, ut patet; ergo. Tertiò denique, quia diminutio non eſt ſola deperditio quantitatis, alioquin non diſtingueretur à corruptione totius quantitatis; ergo diſtinguitur diminutio a corruptione totali quantitatis, eo quod in illa aliquid quantitatis retinetur; ac proinde terminus illius eſt aliquid poſitivum. Reſpond ad primum, quod Ariſtot. non enumeravit diminutionem inter ſpecies motus, quia ſit inter terminos poſitivos, ſed ſolum, quia pertinet ad quantitatem, tamquam motus deperditivus; & ſi aliquando explicat diminutionem per terminum poſitivum, non tamquam per terminum formalem, & per ſe: ſed tanquam per quid concomitans, & connotatum ab ipſa diminutione, cuiuſmodi eſt quantitas minor remanens.

8 Ad ſecundum reſpond. negando aſſumptum, & totum ſyllogiſmum, quo probatur: vivens enim dicitur formaliter minui per hoc ſolum, quod eſt carere, ſeu privari majori quantitate præcedenti, ut ſupra evidenter manet oſtenſum; concomitanter autem, & connotativè per quantitatem remanentem. Ad tertiũ

reſpond. diſting. conſeq. diſtinguitur diminutio a corruptione totali quantitatis, eo quod in illa aliquid quantitatis retinetur, tamquam per quid connotatum, conced. tamquam per terminum formalem ipſius, nego conſeq. Itaque, ſicut nutritio diſtinguitur a generatione eò quod hęc ad totam ſubſtantiam terminatur, & nil ſubſtantiæ ſupponit, illa autem terminatur ad partem ſubſtantiæ, & aliquid ſubſtantiæ præſupponit, & per hoc, tamquam per quid connotatum diſtinguitur nutritio a generatione: ſic diminutio per quantitatem remanentem à totali quantitatis corruptione diſtinguitur, tamquam per quid ab ipſa connotatum; non verò tanquam per aliud, quod formaliter importet, ut probatum eſt.

QUÆSTIO IV.

Utrum nutritio, & augmentatio ſint motus continui, atque ſucceſſivi?

1 PRæſentis titulus quæſt. bifariam intelligi poteſt. Primo, ita ut continuum ſit idem, ac perpetuum, & ſic præjactus titulus reddit hunc ſenſum; an nutritio, & augmentatio viventium durent abſque ulla intermiſſione toto tempore vitæ? Secundo, ita ut hunc faciat ſenſum; an nutritio, & augumentatio, etſi non toto vitæ tempore durent, durent tamen aliquo tempore continuo, & non fiant diſcretè, & in ſolis inſtantibus temporis: Et ut minus præcipuæ difficultati ſatisfaciamus, & ab illa breviter nos expediamus, principaliori poſtea latius diſcutienda, pro primo ſenſu ex duabus præaſſignatis.

2 Dicimus 1. ad quæſt. nutritio, ac proinde augmentatio non ſunt motus perpetui, ſed poſſunt interrumpi, & de facto ſic interrumpi contingit, dum animal vivit. Hæc concl. eſt

com-

communis; procedit tamen contra aliquos aſſerentes, ſaltem nutritionem eſſe perpetuam, & toto tempore vitæ ſine ulla interruptione durare. Prob. noſtra concl. primo ex Ariſtot. qui lib. 8. Phyſic. text. 23. tenet diminutionem viventis ita fieri, ut non ſit neceſſe, ipſum quolibet tempore aliquid ſubſtantiæ amittere, ſicut neceſſe non eſt, quod guttas aquæ deſurſum cadentes quolibet tempore aliquam partem lapidis excavare, ſeu extrahere: ſed modo, quo fit diminutio ſubſtantiæ, fit etiam nutritio, ut patet; ac proinde augmentatio: g. &c. Secundò prob. ratione: quia ad nutritionem duo requiruntur neceſſariò, nempè, & quod calor naturalis ſit benè diſpoſitus ad agendum circa alimentum, & quod hoc ſit aptum, & debitè approximatum, ut in ſubſtantiam haliti convertatur: ſed contingere poteſt, quod calor naturalis ſit non benè diſpoſitus (ſubditur enim morbis, ſicut cæteræ corporis partes) ac etiam poteſt evenire, quod alimentum non ſit loco debito approximatum, ut ſi vivens cibos non ſumeret, vel quod non ſit aptum ad converſionem: g. nutritio viventis poteſt, & de facto contingit, interrumpi, & conſequenter, &c.

3 Adverte (ut aliqua, quæ contr. hanc concluſ. obiici poſſunt, facilè ſolvas) quod cùm Ariſtot. in hoc lib. cap. 5. dicit, quod vivens, quamdiu vivit, ſemper nutritur; non tamen ſemper augetur, non intelligit per ly *ſemper* quamvis totius temporis vitæ partem, ſed ſolum quamlibet viventis ætatem, nempè tam adoleſcentiam, quam virilitatem, & ſenectutem; nam in quavis vivens nutritur; dicit autem, non ſemper augeri; non quia in quavis ætate non acquirat quantitatem; ſi enim in quavis nutritur, & novam acquirit ſubſtantiam, neceſſariò tunc augetur, & quantitatem novam, quæ illam ſubſtantiam neceſſariò afficit, acquirit:

rit: ſed quia, cum augmentatio terminetur ad acquirendam quantitatem majorem præexiſtentem (eſt enim motus a minori ad majorem quantitatem) & in virilitate, & ſenectute acquiſitio quantitatis non terminetur ad quantitatem majorem præexiſtentem (nam tantum, aut magis deperditur in his ætatibus, quam acquiritur) ideo dicitur, non ſemper vivens augeri, quamvis ſemper nutriatur in ſenſu ſupra explicato. Deinde etiam adverte, quod non quilibet ſanguis animalis eſt alimentum ad nutritionem ipſius, ſed tantum ille, qui de cibo aſſumpto in poris ad hoc præparatur, qui poteſt, & ſolet deficere, dum vivit (ut manet probatum) quamvis ſanguis neceſſarius ad conſiſtentiam ipſius animalis non deficiat. Pro ſecundo autem quæſt. ſenſu.

4 Dicimus 2. nutritio per ſe, & ſua intrinſeca natura eſt inſtantanea. Hæc concl. eſt communis; & prob. primò ex Ariſt. qui in log. cap. de ſubſtantia, aſſignat tamquam ſubſtantiæ proprietatem: per quam ab accidentibus diſtinguitur, non ſuſcipere magis, & minus per intenſionem, & remiſſionem, & lib. 5. Phyſ. text. 55. docet generationem ſubſtantialem indiviſibiliter fieri: ſed nutritio eſt eadem ſpecificè mutatio cum generatione; terminatur enim, ſicut iſta, ad ſubſtantiam, & ideo vocatur *aggeneratio* ſubſtantialis: g. ſi generatio indiviſibiliter, & inſtantaneè fit, eo quod ad ſubſtantiam terminatur; etiam nutritio ex ſua natura fiet in inſtanti, cum ad ſubſtantiam terminetur. Prob. ſecundo brevi, ſed efficaci ratione: ſucceſſio motus provenit ex latitudine intenſiva, vel extenſiva formæ, quæ per illum acquiritur: ſed ſubſtantia, quæ per motum nutritionis acquiritur, non habet latitudinem intenſivam, vel extenſivam: g. nutritio ex ſua natura fit in inſtanti. Major ab omnibus admittitur; & minor quoad 1. part. prob. quia latitudo intenſiva eſt ſuſcipere magis, &

minus

minus quoad intenſionem ; quod eſt proprium qualitatis ; ſed ſubſtantia ſic non ſuſcipit magis, & minùs, ut tenet Ariſt. nuper alleg. g. non habet latitudinem intenſivam ; ac per conſequens, &c. Probat. eadem min. quoad 2. part. nam latitudo extenſiva eſt habere partes extra partes quantitativè extenſas ; ſed ſubſtantia, ſecluſa quantitate, etſi habeat partes entitativè diſtinctas, non tamen habet partes extra partes quantitativè extenſas, ut in log. diſp. de quantit. latè manet oſtenſum ; g. ſubſtantia non habet latitudinem extenſivam, neque intenſivam ; ac proinde nutritio, per quam acquiritur, ex natura ſua non ſucceſſivè, ſed in inſtanti fit. In hoc nil, aut parùm difficultatis eſt, & ſic non ampliùs immoramur ; ſed pro principaliori hujus quæſt. difficultate.

5. Dicimus tertiò ; nutritio extrinſecè, & per accidens, id eſt, ratione quantitatis, quæ afficit alimentum, ex quo fit, & ratione qualitatum, quæ ab illo ſunt expellendæ, & aliarum in ipſum inducendæ, ut in ſubſtantiam viventis convertatur ; ac denique ratione quantitatis, quæ ad partem ſubſtantiæ viventis acquiſitam per nutritionem, naturaliter conſequitur, de facto ſemper eſt ſucceſſiva, fitque in tempore, & non in inſtanti. Sic colligitur ex noſt. Subt. Doct. aliquibus in locis, ſed præſertim in 4. d. 43. quæſt. 5. §. *Reſpondeo. verſ. de ſecundo*, litt. B. ubi inquit, quod ſi forma corporis in reſurrectione in inſtanti introducetur, hoc erit virtute divina. Hanc concluſ. tenent noſt. Merin. hìc diſp. 4. quæſt. 4. num. 13. Maſt. diſp. 5. de gener. & corrupt. quæſt. 5. art. 1. n. 116. & plures, quos ipſi citant, contra aliquos etiam ab illis citatos, qui dicunt, quod ante nutritionem (idem dicunt de generatione) alteratur mobile (nempe alimentum) & quia nulla pars ejus eſt æquè propinqua agenti, ideò priùs propinquior alteratur, & in ultimo inſtanti iſtius

alterationis introducitur pars formæ ſubſtantialis: deinde agens alterat aliam partem mobilis, in qua agens ſimiliter introducit in inſtanti terminativo aliam partem formæ, & ſic deinceps: unde fatentur hi AA. dici poſſe, nutritionem fieri ſucceſſivè, in hoc ſenſu, quatenus ſcilicet unum inſtans alteri ſuccedit, etſi inter illa mediet tempus, in quo non nutritio, ſed ſolùm alteratio, quæ eſt ſucceſſiva, fit. Rationes, quibus hanc ſententiam ſuadere conantur, infra examinabimus, & tamquam argumenta contra noſtram, diſſolvemus. Igitur.

6. Probat. noſtra concluſ. 1. ex Ariſtotel. qui in 4. Phyſic. text. 129. & in 7. Phyſic. text. 37. inquit, quòd generatio ſubſtantialis eſt velocior, & tardior: ſed hoc eſt proprium motus ſucceſſivi, ut eſt per ſe conſtans: g. item in 6. Phyſic. text. 59. ait, in generatione, & corruptione aliquid ſemper priùs factum, vel corruptum eſſe ante complementum ipſorum, ſicut in quolibet motu ſucceſſivo *mutari*, præcedit *mutatum eſſe*: ſed hoc non convenit ſubſtantiali generationi per ſe, & ſuaptè natura, ut ex num. 4. conſtat: g. convenit ei per accidens, modo num. præced. explicato; atqui nutritio eſt ejuſdem ſpeciei cum generatione; eſt enim ſubſtantialis aggeneratio; g. ſecundùm Ariſt. nutritio de facto eſt ſucceſſiva.

7 Prob. 2. ratione deſumpta ex duobus principiis jure ab omnibus conceſſis, quorum primum eſt, quòd agens naturale approximatum paſſo diviſibili priùs, fortiùſque agit in partes ipſi agenti proximiores, quàm in remotiores. Secundum eſt, quòd entia viventia, etſi in prima ſui generatione exigant terminum intrinſecum ſuæ parvitatis, id eſt, tantam materiam, quanta requiritur, ut in illa poſſit anima introduci, & ſuas exercere operationes; non verò in materia minori; attamen talem termi-

num

num in ſua nutritione non expoſtulant; nam cùm in hac iam ſupponatur anima intrroducta in corpore habente membra debitè diſpoſita ad hoc, ut per ipſa ſuas vitales exerceat operationes, ſolùmque detur extenſio juſdem animæ ad informandam novam partem materiæ, quæ de novo acquiritur pro conſervatione ſtatus naturalis perfecti, non adeſt ratio, ob quam tantam determinatè materiam exigat, ſed poteſt aſſignari alia, & aliam minor uſque in infinitum quæ in ſubſtantiam haliti convertatur, & ſic fiat nutritio. Quibus ex principiis ſic pro noſtra concl. efformatur ratio.

9. Calor naturalis viventis eſt agens naturale, & agit in alimentum ſibi approximatum, tamquam in paſſum quantum, & extenſum; g. priùs, & fortiùs agit in partes alimenti ſibi proximiores, quàm in remotiores; ac proinde priùs illas, quàm iſtas ad introductionem formæ viventis diſponit; ſed introductio formæ viventis in materia alimenti ſequitur immediatè ultimam diſpoſitionem ad ipſam; g. priùs introducitur talis forma in partibus proximioribus; ſeu prius iſtæ partes alimenti convertuntur in ſubſtantiam haliti, quam remotiores; ad proinde nutritio fit ſucceſſivè. Hæc conſeq. prob. ex ſecundo principio præadducto; nam ſicut in diſpoſitione alimenti calor naturalis continuè, & ſuceſſivè diſponit alimentum, ita ut quavis huius parte aſſignata, quantumvis minima, ultimatè diſpoſita, poſſit aſſignari alia, & alia minor, & minor, uſque in infinitum ultimatè diſpoſita, ut eſt perſpicuum; ſic in nutritione, quæ illam diſpoſitionem immediatè ſequitur, nequibit ſſignari pars alimenti converſa in ſubſtantiam haliti, ita parva, quin poſſit aſſignari alia, & alia, minor, & minor uſque in infinitum; ſed hoc ipſo pars alimenti, etſi minima, quæ eſt proximior calori naturali, prius diſponitur, &

convertitur in ſubſtantiam haliti quàm remotior: g. propter hoc neceſſariò fit ſucceſſivè nutritio.

9 Prob. 3. ut aliqua forma neceſſariò ſucceſſivè introducatur, duo ad ſummum requiruntur, nempe & quod forma introducenda habeat aliquam latitudinem percurrendam ſive extenſivam, ſive intenſivam; ſi enim terminus indiviſibilis eſt, nequit non totus ſimul acquiri, ac deperdi, & quod ſit aliquod impedimentum, quominùs in inſtanti ſecundùm omnes ſuas partes ipſa introducatur; lumen enim, etſi illam habeat latitudinem, totum tamen ſimul inducitur, eò quòd nullum adeſt impedimentum contrarium: ſed utraque conditio intervenit in nutritione: g. hæc de facto fit ſucceſſivè. Maior colligitur ex Ariſt. Phyſic. tex. 18. 33. & 94. & illam docet Scotus in 2. d. 2. quæſt. 9. §. *Ad quartum Argum.* Z. Prob. min. in primis enim forma ſubſtantialis habet latitudinem extenſivam ratione quantitatis, qua eſt affecta materia alimenti, in qua introducitur, & intenſivam ratione qualitatum ipſam comitantium (ut manet in concluſ. explicatum) ex quibus oritur impedimentum, quominùs introducatur tota ſimul, quia cùm in ſubiectum contrariis qualitatibus affectum inducatur, neceſſe eſt prius contrarium expellere, & huius reſiſtentiam vincere: quod ab agente naturali in inſtanti fieri nequit, ut eſt certum: g. utraque ſupra poſita conditio ad ſucceſſionem intervenit in nutritione, & conſequenter, &c.

10 Ex dictis pro nutrione manifeſtè infertur, etiam imò & potiori jure, augmentationem fieri ſucceſſivè. Sic docet Ariſtot. 5. Phyſic. text. 18. & in hoc lib. cap. 5. Et in tex. 25. expreſsè aſſerit, augmentationem non eſſe abſque motu locali. Ex quo ſic corolarium hoc prob. omnis mutatio, quæ ſecum affert

mo-

motum localem, eſt ſucceſſiva; nam motus localis eſt ſucceſſivus, utpotè habens adiunctam ſibi temporis ſucceſſionem; ſed augmentatio ſecum affert motum localem, extendit quippe quantitatem viventis ad ampliorem locum, quod abſque motu locali fieri nequit: g. augmentatio eſt ſucceſſiva. Unde propter eamdem rationem etiam diminutio ſucceſſivè fit.

11 Arg. contra præſtatutam tertiam concl. ex Scoto, qui in 4. diſt. 44. quæſt. 1. §. *Per hoc ad fundamenta*, *verſ. Sic ergo*, lit L, hæc habet verba: *Sed ex iſtis adhuc non habetur de modo augmentationis: quia illa aggeneratio, quæ fit in nutritione, eſt momentanea: augmentatio autem non eſt in inſtanti, cùm ſit motus*: g. ſentit Doctor, nutritionem nullatenus eſſe ſucceſſivam, ſed prorſus inſtantaneam. Reſp. Scotum in loco alleg. tantùm intendere, nutritionem ab augmentatione diſtinguere, non verò determinare modum nutritionis, nimirum an in tempore, vel in inſtanti fiat; & quia quoad ſucceſſionem nutritio, etiamſi in tempore fiat, adhuc diſtinguitur ab augmentatione; hæc enim intrinſecè, & per ſe exigit in tempore fieri; illa autem dumtaxat extrinſecè, & per accidens; nam intrinſecè, & per ſe petit fieri in inſtanti, ut in 2. concluſ. dicebamus; ideò Doctor aſſignavit differentiam inter nutritionem, & augmentationem penes hoc, quod intrinſecè, & ex propria natura petunt. Unde nihil contra nos concluditur, ut ex ſupra poſitis patet.

12 Arg. 2. ratione; ſi nutritio fit ſucceſſivè; g. incipit per ultimum ſui non eſſe, ita ut verum ſit dicere; nunc non eſt, & immediatè poſt erit, & tunc quæritur, an in eo inſtanti, quod eſt ultimum nō eſſe nutritionis, completa ſit diſpoſitio formæ huliti introducendæ in aliqua parte ſubiecti, nempe alimenti, vel non?

Si.

Si talis diſpoſitio eſt completa: g. neceſſariò in illomet inſtanti fit nutritio. Patet hæc conſeq. nam nequit materia eſſe ultimatè diſpoſita pro receptione alicuius formæ, & illam in illo *tunc* non habere. Si non eſt ſic completa diſpoſitio; g. falſum eſt nutritionem fieri in tempore immediatè ſequenti. Hæc conſeq. etiam patet; quia ſi in inſtanti antecedenti non eſt materia ultimatè diſpoſita: g. reſtat illi ulterior diſpoſitio acquirenda per motum in tempore immediatè ſequenti, forma enim non inducitur uſque quò ejus ultima diſpoſitio eſt introducta. Reſp. conced. primam conſeq. & ad quæſitum dicimus, quòd ſi per completam diſpoſitionem intelligatur aliquis gradus incompoſſibilis formæ præcedenti: verum eſt, quòd in illo inſtanti, quod eſt ultimum non eſſe nutritionis, diſpoſitio formæ haliti non eſt completa, & ultimata, huiuſmodi enim gradus non venit niſi cum tali forma; unde ultima diſpoſitio in hoc ſenſu non præcedit, ſed concomitatur ipſam formam; cæterùm ſi per diſpoſitionem cõpletam intelligatur illa, quæ immediatè præcedit gradum incompoſſibilem cum forma alimenti, verum quidem eſt, quod in illo anteriori inſtanti materia eſt ultimò diſpoſita, non tamen eſt neceſſe quod tunc adſit forma nova haliti; nã huiuſmodi diſpoſitio compatibilis eſt cum forma alimenti corrumpenda, ſiquidem ſubiectatur in toto ex hac forma, & materia conflato.

13 Replic. contrà: ſubiectum ultimæ diſpoſitionis ad formam novam haliti eſt ipſum alimentum: ſed tempore, in quo eſt nutritio, non eſt alimentum: alioquin eadem numero materia ſimul informaretur forma alimenti, & forma haliti, quod naturaliter repugnat: g. neque eſſe poterit ultima diſpoſitio. Reſp. ex immediatè dictis ad argum. præcedens, concedendo totum ſyllogiſmum, vel potiùs, maioris claritatis gratia, diſting. min. tempore, in quo eſt nutritio,

non

non eſt alimentum, in ſtatu perfectæ diſpoſitionis, concedo, in ſtatu corruptionis, nego; ad hoc enim, quòd alimentum ſit ſubjectum ultimæ diſpoſitionis, ſufficit, quòd ſit in ſtatu corruptionis. Neque ex hoc ſequitur, quòd materia duplici forma; ſcilicet viventis, & alimenti, ſimul informetur in ſtatu perfecto, ſed quòd pro illo tempore utraque forma ſit in ſtatu imperfecto, nempè altera in fieri, non abſolutè, ſed ſecundùm quid, quatenus ſcilicet tunc introducitur in materia, quæ eſt forma haliti, & altera in corrumpi, nimirum forma alimenti, & hoc in motu ſucceſſivo nullum eſt inconveniens, etſi ſit in motu inſtantaneo; quia in hoc idem eſt fieri, ac factum eſſe, & corrumpi, ac corruptum eſſe, aliàs duæ formæ naturaliter eſſent ſimul in eadem materia, ut patet. Iſte ergo ordo ſervatur in nutritione; ultima diſpoſitio eſt prior natura in genere cauſæ materialis diſpoſitivæ ipſa nutritione. Hæc autem eſt prior corruptione alimenti in genere cauſæ efficientis, vel formalis; & nova pars ſubſtantiæ, quæ per nutritionem aggeneratur, ſive unitur partibus præexiſtentibus viventis, eſt prior in genere cauſæ efficientis ipſa quantitate, qua vivens augetur.

14 Pro aliorum argumentorum ſolutione advertere oportet, quòd ultima diſpoſitio neceſſariò requiſita in alimento, ut hoc convertatur in ſubſtantiam viventis, conſiſtit quidem in indiviſibili, ſeu eſt quoad ſuam intenſionem indiviſibilis, conſtituiturque in eſſe ultimæ diſpoſitionis per certum, & determinatum gradum intenſionis; ac proinde per ſe, & ex natura ſua petit conſtitui in eſſe ultimę diſpoſitionis in inſtanti, non quia aliqua pars, ſeu gradus illius, quamtumvis minimus, poſſit in inſtanti produci, cùm enim ſit continua quoad intenſionem, conſequenterque ſemper diviſibilis, naturaliter nequit, non ſucceſſivè produci; ſed quia, ut ulti-

ma diſpoſitio ſit, exigit determinatè tantum intenſionis, id eſt, nec magis, nec minus; unde ex natura ſua peti poteſt compleri in inſtanti, etſi extrinſeco illi, in quo verificaretur, talem diſpoſitionem eſſe completam. Cæterùm cùm hæc ultima diſpoſitio inducatur in alimentum, quod ratione quantitatis, quam habet, eſt quid diviſibile, habenſque partes localiter extenſas, ideò nequit poni in inſtanti, ſed ſucceſſivè. Eò vel maximè, quia ſubjectum illius non habet terminum intrinſecum parvitatis, ſed poteſt talis diſpoſitio induci in minorem, & minorem partem alimenti uſque in infinitum, ut ſupra num. 7. manet dictum.

5. Deinde etiam eſt advertendum, quod alimentum (idem de quavis re materiali permanenti, quæ in tempore corrumpitur, eſt dicendum) duplicem habet ſtatum; nempè ſtatum perfectæ diſpoſitionis, & ſtatum actualis corruptionis. Inſtans deſitionis, prout ad illum tranſit res ab ſtatu actualis corruptionis (cùm hæc in tempore fiat) eſt extrinſecum actuali corruptioni, pro ipſo enim verum eſt dicere; nunc non eſt actualis corruptio alimenti, & tempore immediatè antecedenti erat. Inſtans autem deſitionis rei, prout hæc tranſit ab ſtatu perfectæ diſpoſitionis (cùm hæc in indiviſibili conſiſtat) eſt intrinſecum tali rei, quia pro ipſo verificatur; nunc eſt res in ſtatu perfectæ diſpoſitionis, & tempore immediatè ſequenti non erit in tali ſtatu; erit namque in ſtatu actualis corruptionis. Doctrina hic, & n. præcedenti appoſita ad plurium objectionum, ſi benè percipiatur, ſolutionem haud parum conducit.

QUÆ-

Q U Æ S T I O V.

Utrum vivens ſecundum omnes ſuas partes nutriatur, & augeatur; & an idem numero maneat in toto tempore, quo vivit?

1 PRo huius deciſione quæſt. prænotandum eſt, quod in vivente partes integrantes (de quibus in præſenti eſt ſermo) aliæ ſunt heterogeneæ, & diſſimilares, aliæ homogeneæ, & ſimilares. Et iſtarum aliæ ſunt aliquotæ, & non communicantes, aliæque proportionales, & communicantes, ut in lib. Phyſ. diſp. de continuo, manet explicatum. Et ſupponitur hic, tamquam certum, partes heterogeneas augeri mediatè, quippè ſcilicet augentur homogeneæ: nam ideo manus, v. gr. creſcet, quia caro, oſſa, venæ, & nervi, ex quibus illa componitur, augentur. Sic docet Ariſt. 1. de gener. tex. 35.

2 Deinde prænotandum eſt cum Scoto in 4. diſtinct. 44. quæſt. 1. §. *Per hoc ad fundamenta. Verſ. ad tertium dico*, ſub lit. K. quod in corpore dantur pori, qui ſunt quædam foramina, ſeu cavitates. Patet hoc experientia, nam ſudores egrediuntur è corpore, & è contra aer corpus ingreditur, & penetrat, quod nequit fieri niſi per poros. Qui quidem pori in corpore non ſunt infiniti, etſi per omnes corporis partes ſint diſperſi, alioquin totum corpus eſſet perforatum. Neque ſunt immediati, ſed inter unum, & alium intercedunt partes, quibus per eoſdem poros, alimentum, quo nutriantur, approximatur. Neque ſunt æqualis multitudinis, aut magnitudinis in omnibus, ſed datur unum corpus poroſius alio, & una pars alia, juxta propriam cuiuslibet naturam; imò idem corpus in juventute majores, ac plures habet poros, quam in ſenectute; quia

quia in illo ſtatu plus alimenti eget, & per majorem partium dilatationem majores fiunt pori. Neque denique ſunt vacui, nam ſi alimento non ſunt repleti (hoc enim per illos omnibus partibus proximè ſubminiſtratur) occupantur alio corpore facilè, cum eſt neceſſarium, cedente. His prænotatis.

3 Dicimus ad quæſt. pro prima illius parte: quando vivens nutritur, & augetur, etiam nutriuntur, & augentur omnes illius partes aliquotæ, non tamen partes proportionales immediatè nutriuntur, & augentur. Sic ſubtilis Doctor nuper citatus. Et probatur, concl. quoad 1. part. quia quævis pars vivens vivit: g. quævis pars nutritur, & augetur. Patet conſeq. nam nutritio, & augmentatio ſunt operationes propriæ animæ vegetantis. Confirm. quia in qualibet parte aliquota adeſt calor naturalis, ut eſt certum, & cuivis huiuſmodi parti eſt alimentum approximatum per poros: ergo in qualibet parte fit nutritio, & augmentatio, nam illud alimentum, quod per poros erat contiguum illi parti, v. gr. poſtquam eſt converſum in ſubſtantiam haliti, jam juxta ponitur per continuationem illi parti, cum ſit eiuſdem ſpeciei cum illa. Neque ex hoc ſequitur poros occludi, & deficere, nam idem calor naturalis, cuius virtute concoquitur alimentum, quaſdam eius partes reſolvit in vaporem, qui vapor quaſi impellens partes viventis verſus externum locum dilatat tam illas, quæ antea erant, quam illas, quæ de novo aggenerantur, & per iſtam dilationem novus fit porus.

4 Prob. quoad 2. part. eadem concl. nam ſi partes proportionales augerentur, aut minuerentur, poſſent fieri majores, vel minores: quod naturę partium proportionalium repugnat; quia ſic creſcendo per augmentationem fierent determinatæ quantitatis, ut patet, unde jam non eſſent proportionales, & indeterminatæ, ſed de-

determinatæ, & aliquotæ: g. immediatè non nutriuntur, nec augentur. Confirm. quia partes proportionales non minus ſunt infinitæ ſub parva quantitate, quam ſub magna, ut eſt certum: tunc ſic, creſcente quantitate, vel tales partes manerent indeterminatæ, ſicut antea, vel non? Si non; g. fiunt determinatæ, & aliquotæ, & cum tales partes ſint infinitæ, erunt infinitæ partes aliquotæ: quod idem eſt ac concedere, dari naturaliter infinitum in actu ſecundum extenſionem, & hoc lib. 3. Phyſ. diſput. 2. manet impugnatum. Si manent indeterminatæ, ſicut antea, habemus intentum, quia non erunt majores, quam antea erant, ac proinde immediatè non nutriuntur, nec augentur. Deinde, quia nutritio fit per converſionem alimenti in poris incluſi: ſed non quævis pars proportionalis habet porum, ſed inter duos poros mediant plures, imò infinitæ partes proportionales, eſt enim quoddam continuum: g non quævis pars proportionalis nutritur immediatè. Denique, quia (ut inquit Scotus in loco ſup. alleg. *Verſ. Eſto ego*) ſi vivens augeretur etiam ſecundum partes proportionales, ſequeretur, quod ſemper augeretur in duplo (non enim poſſet eſſe minor quantitas de novo adveniens, quam præexiſtens, cui uniretur) ſed hoc eſt manifeſtè falſum, ut oſtendit experientia. g. &c.

5 Argum. contra primam partem concl. augmentatio non fit ſecundum omnes dimenſiones æqualiter; plus enim creſcit vivens penes longitudinem, quam penes latitudinem: g. non augetur ſecundum omnes partes, adhuc aliquotas. Reſp. conceſſo antec. negando conſeq. vivens enim, ut manet oſtenſum, augetur ſecundum omnes ſuas partes, ſi autem magis penes longitudinem augetur, ideo eſt, quia corpus ut ſic eſt magis proportionatum animæ, ut ab illa poſſit moveri, & quia nutritio ſequitur regulam generationis, & ſicut hæc formavit corpus ma-

gis.

gis extenſum penes longitudinem, ita nutritio, & augmentatio iſtam conſequens magis illud penes longitudinem, quam penes latitudinem, protendit.

6 Argum. contra 2. concl. partem 1. ex Ariſt. qui in 1. de Gener. text. 33. docet augmentationem fieri ſecundum omnes partes viventis: ergo cum non diſtinguat de proportionalibus, & aliquotis, ſed generaliter de omnibus loquatur, in omnibus augmentationem concedat: Patet conſequentia; nam ſi proportionales non augerentur, cum hæ ſint etiam partes viventis, non benè, nec verè aſſereret, omnes partes augeri. Reſpond. neg. conſeq. & ad antec. dicimus, Ariſt. ibi ſatis diſtrinxiſſe inter partes aliquotas, & proportionales, cum ſic inquit: *Adhuc autem quodcumque ſignum ſenſibile aut majus, aut minus factum eſſe, & non vacuum eſſe corpus, neque duas magnitudines in eodem loco*. Quibus in verbis per ly *ſignum ſenſibile*, intellexit partes aliquotas, quæ ſunt ſignatæ, & ſenſibiles, non autem proportionales, quæ tales non ſunt, ut ex ipſis verbis patet.

7 Argum. 2. partes aliquotæ non habent entitatem diverſam a proportionalibus, ſed illæ immediatè augentur; ergo & iſtæ: Confirm. quia partes proportionales verè ſunt partes viventis, & ipſæ in ſe vivæ; ergo nequit vivens non augeri ſecundum illas, ipſæque virtute nutritiva, & augumentativa gaudebunt. Reſpond. ad argum. negando conſeq. etſi enim partes aliquotæ non habeant diverſam entitatem a proportionalibus, illæ augentur, & iſtæ non; quia augmentum fit accipiendo novum, & determinatum terminum magnitudinis; quod partibus proportionalibus, eo quod tales ſunt, omninò repugnat, ut in concl. manet oſtenſum. Ad confirm. reſp. concеſſo antec. neg. conſeq. propter rationem ſæpè attactam; nam licet partibus proportionalibus,

prout

prout ſunt partes viventis, & prout ipſæ viventes ſunt, non repugnet, imò convenire debeat, nutriri, & augeri immediatè; repugnat tamen eis, prout proportionales ſunt. Hic adverte, quod, cùm vivens augetur, additur quidem nova pars aliquota, & etiam adduntur plures, imò & infinitæ partes proportionales in illa incluſæ, huiuſmodi tamen iſtarum additio non eſt augmentatio proportionalium præexiſtentium, ſed plurificatio, neque per ſe immediatè terminatur ad partes proportionales, ſed ad aliquotas, in quibus illæ ſunt incluſæ.

8 Dicimus 2. pro 2. p. quæſt. vivens toto tempore vitæ, quo nutritur, & augetur, ſemper idem numero manet. Hæc concl. eſt commune omnium Philoſophorum aſſertum. Ratio pro illa eſt; nam hoc intereſt diſcrimen inter nutritionem, & generationem, nempè, quod hæc ordinatur ad conſervationem rei, non in proprio eſſe individuali generantis, ſed in alio individuo, illa verò, & augmentatio ordinantur ad perficiendum, & conſervandum eſſe vivens in proprio individuo: g. per nutritionem, & augmentationem non variatur individualiter vivens, ſed ſemper idem numero manet; alias unum corrumpetur, & aliud generabitur, & ita non erit nutritio, & augmentatio ejuſdem, ſed potius corruptio unius, & generatio alterius, quod eſt abſurdum. Confirm. quia nulla ſubſtantia poteſt numericè deſtrui per id, per quod ſuaptè natura conſervatur, & perficitur: ſed vivens ſuaptè natura conſervatur, & perficitur per nutritionem, & augmentationem, per illas enim pervenit ad ſtatum ſibi debitum, quo poſſit proprias operationes exercere, & in illo conſervatur: ergo vivens, etſi dum vivit, ſemper nutriatur; & augeatur, idem numero manet. Quamvis tamen ſit

omnium

omnium communis in hoc aſſerto conſenſus; non tamen omnes conveniunt in aſſignanda ratione, ob quam vivens dicatur manere idem numero, dum vivit. Et ratio dubitandi in hoc eſt; nam cùm per continuam actionem caloris naturalis, continuò deperdantur partes in prima generatione receptæ, & aliæ de novo loco illarum per nutritionem ſubſtituantur, neceſſariò eveniet, quod poſt longum vitæ tempus omnes illas partes in generatione receptas vivens deperdat, etſi alias novas prorſus acquirat, & ſic nulla illarum partium, quas in generatione recipit, in illo, dum vivit, remaneat; unde videtur non manere idem numero vivens ſuppoſito (ut eſt poſſibile) quod omnes partes, ex quibus conſtat, numero varientur.

9 Cui difficultati occurrit Magiſter ſentent. in 2. d. 30. dicendo, quod vivens ſemper, dum vivit, idem numero manet; eo quod partes ſpermaticæ, quæ immediate generantur ex ſemine, & quas primò habet vivens per generationem, numquam deperduntur, nec variantur; ſed prorſus integræ, & invariatæ permanent à principio uſque ad finem vitæ; etſi partes nutrimentales quotidie deperdantur, aliæque de novo acquirantur. Sed hic dicendi modus ſuſtineri nequit, nam non eſt aſſignabilis aliqua ratio, ob quam partes, quæ de novo acquiruntur, vi caloris naturalis minuantur, & deperdantur, non autem ſic partes ſpermaticæ, quippe tam iſtæ, quam illæ ſunt corruptibiles, imò eiuſdem ſpeciei, & omnes ſunt debitè tali calori approximatæ. Verum quidem eſt, quod partes ſpermaticæ in virtute operandi, & reſiſtendi contrariis excellunt nutrimentales, imò & iſtarum illæ, quæ prius acquiruntur, excellunt illas, quæ acquiruntur poſterius, ut docet Scotus ubi ſup. §. *quantum ergo, Verſ. Tertia concluſio*, litt. E. ſed ex hoc non ſequitur, partes ſpermaticas non augeri, nec minui, ſeu deperdi (ſic enim eſſet

ſim-

ſimpliciter incorruptibiles) ſed tantum ſequitur, illas non tam facilè minui, aut corrumpi, ac nutrimentales, ut per ſe patet: cum omnes abſolutè corruptibiles ſint. Deinde (ut conſtat ex Philoſ. in hoc lib. text. 38.) quoties vivens per nutritionem, augmentationemque creſcit, totum illud creſcit, & augetur, ac proinde quoad omnes partes, ſive duras, ſive molles: g. pariformiter, cùm decreſcit, ac minuitur: conſequenterque etiam partes, quæ in generatione primò recepit, minuuntur, ac deperduntur.

10 Aliter propoſitæ difficultati occurrit Henrichus quodl. 2. quæſt. 9. (cui hic dicendi modus tribuitur à Marginiſtis) dicendo nempè ideo poſſe dici, quod vivens ſemper, dum vivit, idem numero manet, quia licet partes materiales continuò varientur, ac deperdantur, non tamen partes formales, nam forma ſemper invariata manet, dum vivens vivit. Pro hac ſententia adducitur Ariſt. qui in præſenti lib. cap. 5. text. 36 & 37. expreſsè ait, carnem ſecundùm formam augeri, non verò ſecundùm materiam: pro quo hanc reddit rationem; quia caro ſecundùm formam manet, ſed ſecundum materiam fluit, & refluit: ſentit ergo Ariſt. quod in vivente ſolum partes materiales, non autem formales, deperduntur. Hoc tamen non obſtante.

11 Neque hic dicendi modus aliquo vero fundamento gaudet, ac proinde neque admitti poteſt: nam vel illa pars materiæ de novo per nutritionem acquiſita exiſtit in viventi informata ab aliqua forma, vel à nulla? Hoc ſecundum dici non poteſt, nâm repugnat, materiam naturaliter exiſtere ſine omni forma, ut ex dictis in Phyſ. conſtat: g. dicendum eſt primum: & ſic inquirimus, an illam novam partem materiæ informet forma, quæ præexiſtebat in vivente, an alia pars formæ de novo producta? Non

Non primum; nam eſt impoſſibile in formis materialibus (cujuſmodi ſunt formæ viventium, excepta anima rationali) quia vel hoc præſtaret forma relinquendo informationem partis materiæ præexiſtentis, & hoc naturaliter repugnat in hujuſmodi formis, nam cùm educantur de potentia materiæ, pendeantque ab illa in ſuo eſſe, fieri & conſervari, nequit eadem numero ex una materia tranſire in aliam. Vel præſtaret hoc informando ſimul partes materiæ præexiſtentes, & illam de novo acquiſitam, & hoc etiam fieri non poteſt, quia cùm formæ materiales (cujuſmodi ſunt, de quibus eſt ſermo) nequeant informare materiam, ex cujus potentia non ſunt eductæ (actio enim eductiva formæ ex potentia materiæ, & unitio ipſius formæ cum eadem materia, eademmet actio eſt, ut in 1. lib. Phyſ. dicebamus) hinc eſt, quòd illam partem materiæ de novo acquiſitam, ex qua talis forma non fuit educta, informare non poſſet; g. dicendum eſt ſecundum, ſcilicet, in nutritione, nedum novam partem materiæ, verùm & novam materialis formæ partem acquiri, conſequenterque, &c. Deinde etiamſi hic dicendi modus verus eſſet, propoſita difficultatis ratio perſiſtit, quia unitas numerica compoſiti non ſolùm ex parte formæ, ſed etiam ex parte materiæ deſumitur, ut in Log. oſtendebamus; g. utriuſque invariatio requiritur ad numericam compoſiti invariationem.

12. Ad Ariſt. dicimus, illum ibi vel loqui de nutritione animalium perfectorum, quorum animæ, ſeu formæ (ex ſuppoſitione ſententiæ aſſerentis, illas eſſe indiviſibiles, quam in lib. de anima examinabimus) non paterentur aliquod incrementum, vel decrementum; vel ipſum per partes formales intelligere partes ſecundùm rationem ſpecificam, per partes autem materiales, partes ſecundùm rationem individualem, quia cùm partes per nutritionem ac-

qui-

quiſitæ ſint eiuſdem rationis ſpecificæ, ac erant partes deperditæ, etſi ſint diverſæ numero ab ipſis, hinc eſt, quod vivens ſemper habeat eaſdem partes formales, non autem materiales eaſdem.

13 Ut propoſitæ autem rationi dubitandi num. 8. aſſignatæ fiat ſatis, oportet prænotare; trifariam poſſe aliquid dici, ſeu eſſe idem numero. Primò propriiſſimè, nempè cum res neque quoad formam, neque quoad materiam unquam ſubſtantialiter variatur, ſive in toto, ſive in parte: quo pacto quævis res incorruptibilis ſemper, dum eſt, eadem numero manet. Secundò propriè, cùm ſcilicet manet res ſecundum principaliorem ſui partem omninò eadem etſi quoad partem minus principalem ſucceſſivè, & paulatim immutetur per deperditionem aliquarum particularum, aliarumque acquiſitionem; hoc modo Franciſcus, v. gr. dicitur idem numero in infantia, in juventute, ac in ſenectute, quia ſemper eamdem numero animam retinet invariatam, etſi ex parte materiæ aliquam ferè imperceptibilem, patiatur deperditionem quarumdam particularum ex activitate caloris naturalis, & aliarum etiam acquiſitionem. Tertiò denique minus propriè, nimirum, quando res paulatim patitur mutationem tam ex parte materiæ, quam formæ; ut lapis, qui nedum quoad materiam, verum etiam quoad formam, paulatim, ac imperceptibiliter creſcit, ac decreſcit, & alia, quæ hujuſmodi incremento, & decremento variantur. Quibus prænotatis.

14 Ad præfatam rationem dubitandi dicimus, eſſe quidem verum aſſumptum illius, ex eo tamen tantum inferri, quod homo in ſenectute non eſt idem numero in primo ſenſu ex præexplicatis, hoc eſt propriiſſimè, ac in infantia, propter ibi dicta. Cùm hoc tamen benè ſtat, quod ſit idem numero in ſecundo ſenſu, id

eſt, propriè, dum vivit: tum propter numericam identitatem eiuſdem animæ rationalis, tum quia pro quovis inſtanti reali, imò & hora vitæ, tam modica, ac exigua eſt variatio ex parte materiæ, ut pro nihilo reputetur, eo quod, cum aliquid ſuperadditur alteri, id, quod ſuperadditur, ipſa continuitate fit unum cum præexiſtenti, & rurſum cùm aliud ſuperadditur, etiam ſic fit unum cum illo, ut patet; unde cum hac ipſa variatione optimè compatitur, quod materia cuiuſvis viventis eadem numero ſit in fine ac in principio vitæ, etſi non propriiſſimè illa nempè numericæ identitatis proprietate, qua materia rerum incorruptibilium gaudet; propriè tamen nimirum cum omni illa proprietate, quæ exigitur ad numericam identitatem materiæ viventium, ut manet explicatum. Neque contra hunc modum explicandi numericam viventium identitatem aliquid obiici poteſt, quod ex dictis non facilè ſolvatur.

DISP. V.

De rarefactione, & condenſatione.

Cum rarefactio, & condenſatio magnam habeant ſimilitudinem cum augmentatione, & diminutione, ideò, poſtquam de his præcedentibus egimus, de illis præſenti in diſp. diſceptare conamur. Pro qua ſit.

QUÆSTIO I.

Quomodo rarefactio, & condenſatio entium naturalium fiat?

1 SUpponit hujus titulus quæſtionis, & meritò quidem, dari in entibus naturalibus rarefactionem, & condenſationem. Quod plu-

pluribus patet experimentis; experimur namque eamdem materiam, & quantitatem præexiſtentem ſolere in majorem locum ampliari, & extendi, vel in minorem contrahi, & reſtringi, ut pulvis ſulphureus, qui inflammatus ſubitò in ampliorem locum, quàm antea occupabat, dilatatur. Id ipſum patet in cucurbitis vitreis, quibus Chirurgi utuntur, ut medeantur ægrotis: in harum quippè applicatione aſcendit caro, & ſanguis ad locum relictum ab aere frigeſcente, & compreſſo, qui antea ratione raritatis occupabat cucurbitam totam, & poſtea ratione denſitatis in ſtrictiorem ſe recipit locum. Patet deinceps in aqua frigida in vaſe vitreo contenta, quæ modico ſpatio continetur, ſi autem calefiat, majorem occupat locum: ſed hæc omnia, & alia hujuſmodi, nequeunt evenire, niſi ratione rarefactionis: g. datur hæc in entibus naturalibus.

2 Ariſt. in 4. Phyſic. tex. 84 ſic rarum, & denſum definit: rarum eſt, *quod habet parum materiæ ſub magna quantitate*: denſum eſt, *quod habet multum materiæ ſub parva quantitate*. Ex quo deducitur, quòd ſi ignis comparetur ad aerem in eadem quantitate, minus materiæ (hoc eſt, ſubſtantiæ) eſt in igne, quàm in aere; ac proinde quòd ignis reſpectu aeris eſt rarus, & aer reſpectu ignis eſt denſus. Propter hoc eſt incomperto apud omnes, ignem eſſe rariorem aere, aerem aqua, aquam terra, & è contra, terram eſſe denſiorem aqua, aquam aere, & aerem igne. Unde patet, raritatem, & denſitatem ſuſcipere magis, & minus, & id, quod reſpectu unius eſt rarum, reſpectu alterius poſſe eſſe denſum. Sed quamvis circa præcedentia nulla ſit difficultas, magna tamen eſt in aſſignando modo, quo entia naturalia rareſcunt, & condenſantur. Circa quam plures ſunt ſen-

tentiæ, quarum principaliores breviter proponemus, & impugnabimus, minus principalibus relictis. Igitur.

3 Prima aſſerit, rarefactionem fieri per acquiſitionem novæ quantitatis deſtructa præexiſtente, è contra autem denſitatem fieri per acquiſitionem minoris quantitatis, majori præexiſtente deſtructa. Sic aliqui quos citat, & impugnat Maſt. tom. 3. diſput. 4. de gener. quæſt. 3. num. 19. Hæc tamen ſententia (præterquam quod manet impugnata diſp. 3. præced. quæſt. 3. num. 2. & 3.) impugnatur ſic primò: nihil deſtrui, ſeu corrumpi poteſt, niſi vel per corruptionem ſui ſubjecti, vel per adventum ſui contrarii, vel per defectum cauſæ conſervantis, iſtiuſve concurſus, vel denique per ablationem alicujus termini per ſe connexi cum illo; ſed nullo ex his modis in rarefactione poteſt corrumpi quantitas præexiſtens; ergo. Prob. min. non per corruptionem ſubjecti, ut patet ex ipſis verbis Ariſt. quibus innuit, eandem materiam eſſe, quæ tranſit à parva ad magnam quantitatem in rarefactione, & è contra in condenſatione. Patet etiam ipſa experientia, quæ oſtendit, lac v. gr. ſive rarefiat, ſive condenſetur, eandem retinere ſubſtantiam. Denique, quia ſubſtantia per ſe non deſinit eſſe ex mutatione accidentali cujuſmodi ſunt rarefactio, & condenſatio, ſed ex ſubſtantiali. Non etiam per defectum cauſæ conſervantis, aut concurſus iſtius, ſi enim hic ſufficit ad conſervandam ſubſtantiam, cui quantitas inhæret, ad conſervandam iſtam etiam ſufficiet. Non per adventum contrarii, quia quantitas entitativè ſumpta non habet contrarium, ut ſæpè manet dictum. Non denique per ablationem termini per ſe connexi, nam quantitas eſt accidens abſolutum, ac proinde cum nullo alio per ſe connexum; ergo in rarefactione, & conden-

denſatione non deſinit eſſe quantitas præexiſtens.

4 Secundo impugnatur hæc ſententia ex inconvenientibus: quia cum quantitas ſit immediatum ſubiectum aliorum accidentium, deſtructa illa, neceſſariò deſinerent eſſe cætera accidentia: ſed in rarefactione, & condenſatione non deſinunt eſſe alia accidentia: ut patet in lacte, v. g. rarefacto, in quo manent eadem numero albedo, dulcedo, &c. ergo. Deinde ex hac ſententia ſequeretur, quod quando ſpecies ſacramentales rarefierent, aut condenſarentur, deſineret eſſe ſub illis ſanguis Chriſti D. ſed hoc adverſatur uniformi omnium Theologorum conſenſui: ergo. Patet ſequela: nam deſtructa quantitate, omnia alia accidentia, quæ in illa ſubiectantur, deſinunt eſſe, ſed deficientibus accidentibus Euchariſtiæ, deſinit eſſe ſub illis Corpus, & Sanguis Chriſti D. g. &c.

5 Secunda ſententia tenet, rarefactionem fieri, ex eo quod quædam corpuſcula ſubtilia, intromittantur in poros corporis, quod rarefit, & condenſationem fieri, ex eo quod talia corpora ab eo extramittantur. Sic aliqui, quos citat, & impugnat Merin. lib. 1. de ortu, & inter. diſp. 5. quæſt. 1. numer. 4. Contra hanc tamen ſententiam argument. ſic primo: nam etiam ſi corpora naturalia aliquando majorem occupent locum, quam antea, eo quod in ea aliqua ſubtilia corpuſcula ſunt intromiſſa, & etiam ad minus ſpatium contrahantur per horum corpuſculorum expulſionem, ut contingit in ſpongia, quæ in ſe plus extenſionis habet, majuſque occupat ſpatium, ſi autem manu conſtringitur, minus occupat ſpatii, eo quod ipſa in ſua naturali extenſione derelicta habet poros aere repletos, & cum manu conſtringitur talis aer ab eis expellitur, cæterum huiuſmodi extenſio, & contractio

ſpongiæ nimis impropriè rarefactio, & condenſatio appellantur; potius enim talis extenſio, tumefactio, aut repletio, & talis contractio, reſolutio, aut evacuatio, vocari debet. Ratio eſt, quia (ut ex Ariſt. num. 2. citat. conſtat) ad rationem rarefactionis requiritur, quod eademmet materia, ſeu ſubſtantia tranſeat à minori ad majorem quantitatem, & è contra ad rationem condenſationis, nulla de novo acquiſita parte materiæ, ſeu ſubſtantiæ, in quo hæ mutationes ab augmentatione, & diminutione diſtinguuntur, ſed juxta hanc ſententiam nedum adquireretur, aut deperderetur nova pars quantitatis, verum & nova pars ſubſtantiæ per intromiſſionem, aut extramiſſionem talium corpuſculorum, ut patet: ergo hæc ſententia adverſatur Ariſt.

6 Secundo argum. ſic; nam conſtat experientia; qua videmus, quod vas aqua plenum, & bene obturatum, ſi aqua in eo contenta ex nimio frigore condenſetur, proindeque minorem occupet locum, tale vas frangitur, ne detur vacuum, quod imminebat in loco relicto ab aqua poſtquàm fuit condenſata: ſed ſi eſſent illa corpuſcula, quæ extramitteret aqua in ſui condenſatione, nullum eſſet periculum vacui, nam talia corpuſcula implere poſſent quidquid ſpatii relictum eſt ab aqua; ergo ſi frangitur vas, ut experimur, ideo eſt, quia non dantur in aqua aliqua corpuſcula, quæ, poſtquam jam eſt condenſata, extramittat, & à quibus vacuum, ſeu ſpatium ab ipſa derelictum repleatur. Aliæ experientiæ, quibus hæc ſententia impugnari ſolet, videri poſſunt apud præcitatos Merin. & Maſt. alioſque RR.

7 Tertia ſententia affirmat entia naturalia rarefieri, & condenſari per quaſdam qualitates in illis introductas, quæ appellantur rari-

tas,

tas, & denſitas, quibus ipſum corpus extenditur, vel contrahitur ad majorem, vel minorem locum, ita quòd hujuſmodi extenſio, vel contractio ab ipſa raritate, vel denſitate cauſatur. Hæc ſententia eſt communis Thomiſtarum opinio; ab Scotiſtis tamen nullatenus admittitur, ideòque pro nunc ſic à nobis impugnatur. Primò, quia Ariſtot. in prædicam. qualit. expreſsè negat raritatem, & denſitatem (pro materiali) eſſe qualitates, & eas ponit in prædicamento ſitus. Deinde in 5. metaph. tex. 19. enumerans ſpecies qualitatis, de raritate, & denſitate nullā facit mentionem; g. ideò eſt, quia ad qualitatem nullatenus ſpectant. Denique, quia definiens rarum, & denſum illa definit penes magnas, vel parvas dimenſiones, ut ſupra vidimus; ſed dimenſio, quomodocumque ſumatur, pertinet ad quantitatem, vel ad ſitum, nequaquam autem ad qualitatem, quia ad hanc non attinet ordinare, aut extendere partes quantitatis in loco; ergo &c.

8. Secundò impugnatur ratione; nam ſi raritas, & denſitas eſſent qualitates; ergo raritas poſſet eſſe denſitas, & è contra; ſed hoc eſt falſum, quia eſſent contrariæ, ſicut caliditas, & frigiditas; ergo non ſunt qualitates. Probat. 1. conſequ. (ſuppoſito tamquam certo, quòd iſtæ qualitates haberent ſuas partes entitativas, ſicut quævis alia qualitas materialis, eſſentque extenſæ ad extenſionem ſubjecti) nam id poteſt eſſe denſum, cujus partes poſſunt eſſe magis ad invicem propinquæ, & illud rarum, cujus partes poſſunt ad invicem magis diſtare; ſed partes integrales raritatis, ſi eſt qualitas, poſſent eſſe magis propinquæ; g. poſſent eſſe denſæ, ac proinde raritas eſſet denſitas. Idem de denſitate ſuo modo dici poteſt. Sic impugnatur hæc ſententia à Maſt. ubi ſup. q. 5. nu. 33. An tamen efficaciter, ex ipſa conjici poteſt ratione; magis quidem efficaci fundamento manebit impugna-

ta ex infra pro noſtra, &-Scotiſta ſententia dicendis. Sed ut titulo quæſtionis planè ſatisfaciamus.

9 Dicimus; rarefactio, & condenſatio fiunt hoc modo; ſubſtantiæ materiales, etſi ex ſe non habeant partes quantitativè extenſas, habent tamen partes extenſas entitativè, ideſt, ſunt diviſibiles (ſeu, ut proprius loquamur, realiter diſtinguibiles) in partes entitativas; unde ſuaptè natura exigunt ad ſui conſervationem aliquam quantitatem, qua in genere cauſæ formalis extendatur ad majorem, vel minorem locum. Quia tamen contingere ſolet, ipſam ſubſtantiam materialem habentem quantitatem requiſitam ad ſui conſervationem in ſtatu perfectæ diſpoſitionis, propter aliquam alterationem corruptivam (ut cùm calefit aqua v. g.) exigere ad talem corruptionis ſtatum quantitatem majorem illa, ſub qua in ſtatu perfectæ diſpoſitionis conſervabatur, hinc oritur, quod à prædicta ſubſtantia, & à quavis ipſius parte cauſetur, ſeu emanet quantitas major, quàm illa, qua conſervabatur antea, cùm eſſet perfectè diſpoſita, & hoc modo rarefactio fit verè, & propriè, ſiquidem eadem ſubſtantia, ſeu materia ſine additione novæ partis, & abſque aliquorum corpuſculorum intromiſſione manet in ſtatu corruptionis ſub majori quantitate, ac erat in ſtatu perfectæ diſpoſitionis; ſed hæc eſt definitio raritatis tradita ab Ariſt. ut ſup. 9. &c. Similiter propter eamdem rationem, dicendum eſt fieri condenſationem, modò ipſi, tamquam oppoſitæ rarefactioni, convenienti. Doctrinam hic appoſitam clarius oſtendet immediatè ſequens.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Vtrum in rarefactione nova quantitas acquiratur, & in condenſatione deperdatur?

1 SUppoſito ex præcedenti quæſt. quod in rarefactione, & condenſatione corporis naturalis nullatenus tota illius quantitas præexiſtens deſtruitur propter rationes ibi nu.3. & aſſignatas, remanet difficultas, an in rarefactione nova pars quantitatis acquiratur, & in condenſatione deperdatur?

2 Dicimus ergo; in rarefactione eadem manet materia, ſeu ſubſtantia intrinſecè intacta remanente, nova pars quantitatis acquiritur, & in condenſatione deperditur. Sic Scot.in 4.diſt. 12.§. *Quantum ad iſtam opinionem*, ante lit. A. ubi inquit, quod in rarefactione, omnes tenentur novam partem quantitatis concedere, alioquin ſubſtantia rarefacta non eſſet tunc maior quàm anteà. Verum tamen eſt, Scotum in præcitata quæſtione problematicè procedere, nihilque omnino reſolvere, ut advertit Hugo Cavel. in Scholio ad §. *Ad queſtionem ergo*. Illum pro parte noſtræ concluſionis ſequitur major pars Scotiſtarum. Prob ergo concluſio 1. quia per rarefactionem acquiritur nova pars extenſionis localis, ut omnes fatentur, & per condenſationem deperditur: ſed extenſio localis eſt quantitas; g. in rarefactione acquiritur nova pars quantitatis, & aliqua in condenſatione deperditur.

3 Neque valet, ſi reſpondeant Adverſarii, ut communiter reſpondere ſolent, quòd quantitas non conſiſtit in actuali extenſione, ſed in aptitudinali; unde maior pars extenſionis maiorem quantitatis partem non infert: Non quidem valet hoc, nam, etſi verum ſit quòd

aptitudinalis extenſio eſt eſſentia, ſeu ſaltim propria paſſio quantitatis, negari tamen non poteſt, quòd cui ex ſe convenit extenſio actualis in ordine ad locum, etiam conveniat ex ſe aptitudo ad habendas partes ſic extenſas: ſed per rarefactionem convenit ex ſe materiæ extenſæ nova pars actualis extenſionis: g. convenit etiam nova pars extenſionis aptitudinalis; ac proinde quantitatis. Deinde, quia illud eſt formaliter quantitas, à quo aliquid eſt formaliter quantum; ſed ſubſtantia materialis eſt formaliter quanta ab extenſione partium; g. talis extenſio, quæ per rarefactionem acquiritur, quomodocumque ſumatur, eſt formaliter quantitas; conſequenterque, &c. Denique: nam ſi maior extenſio non eſt maior quantitas: g. neque magis extenſum erit magis quantum; proindeque non erit nobis certum medium ad cognoſcendum maiorem, vel minorem quantitatem: unde poſſet quis dicere, equum v.g. non eſſe magis quantum, quàm formica, ſiquidem ex maiori extenſione non certò infertur major quantitas, juxta ſic reſpondentes.

4 Prob. 2. concluſio; quia ſi in rarefactione nova pars quantitatis non acquiritur, ſed tantum præexiſtens extenditur ad maiorem locum; & in condenſatione nulla pars deperditur, ſed tota quantitas præexiſtens contrahitur ad minorem locum, ſequitur manifeſtè, quòd eadem quantitas ſine ſui augmentatione occupat in rarefactione duplicem locum, & in condenſatione duæ partes quantitatis in eodem penetrantur loco; ſed utrumque eſt abſurdum; g. &c. Prob. utraque ſequela: quia ſi corpus v. g palmare rarefiat uſque ad alterum palmum, abs dubio acquirit de novo locum palmarem: ſed non amittit primum locum palmarem: g ſi hoc fiat ſine novæ partis quantitatis acquiſitione, eadem quantitas palmaris erit in duplici palmari ſpatio; ſed hoc eſt duplex locus

adæquatus reſpectu illius. g. Prob. altera ſequela in condenſatione; quia ſi corpus palmare condenſetur, & reducatur ad ſpatium v. gr. ſemipalmare, quantitas quidem palmaris occupabit ſpatium dimidii palmi; ſed ſi hoc fiat ſine deperditione alicuius partis quãtitatis præexiſtentis, duplex pars quantitatis ſemipalmaris erit in unico ſemipalmari loco, ut patet; g. duæ partes quantitatis erunt naturaliter penetratæ in eodem loco; ſed hoc repugnat; g. &c.

5 Arg. 1. ex Ariſt. qui in 4. Phyſic. text. 84. hæc habet verba: *Magnitudine, & parvitate ſenſibilis molis, non inſuper accipiente aliquid, materia extenditur; ſed quia potentia eſt in matreria utrinſque*. Sed hic expreſsè aſſerit nullam dari in rarefactione totalem, aut partialem quantitatis additionem: g. Reſp. neg. min. & ad Ariſt. dicimus, tantùm ibi intendere, nullam partem materiæ, ſeu ſubſtantiæ de novo acquiri in rarefactione, ſicut neque huiuſmodi partem in condenſatione deperdi; in hoc enim hæ mutationes ab augmentatione, & diminutione diſtinguuntur, quia in iſtis ſimul cum parte quantitatis, quæ acquiritur aut deperditur, pars etiam ſubſtantiæ producitur, aut corrumpitur; docet ergo in præfatis verbis, materiam in rarefactione extendi magnitudine ſenſibilis molis, & in condenſatione contrahi parvitate ſenſibilis molis: quia licèt ſubſtantia ex ſe non habeat magnitudinem, aut parvitatem ſenſibilis molis (has enim habet ratione partis quantitatis de novo acquiſitæ, aut deperditæ) eſt tamen in potentia ut utrumque recipiat, iuxta varias alicuius qualitatis diſpoſitiones, abſque quavis ſubſtantiali accretione, aut diminutione.

6 Argum. 2. ex præpoſita concluſione ſequitur, quod in rarefactione ſpecierum vini conſecrati (quæ accidere poteſt) daretur creatio

alicuius partis quatitatis facta ab agente naturali; ſed hoc repugnat; g Prob. ſequela; quia in vino poſt conſecrationem nulla manet vini ſubſtantia, ex cuius potentia nova pars quantitatis educatur: g. fieret ex nullo præſuppoſito ſubiecto: ſed huiuſmodi productio eſt creatio; g.&c. Deinde ſequeretur, quòd in tali vino conſecrato, & rareſacto eſſet aliqua pars quantitatis ſine ſubiecto, & ſub qua ſanguis Chriſti non contineretur: ſed hoc adverſatur uniformi Theologorum conſenſui; g. Prob. ſeq. quia ſanguis Chriſti tantum continetur ſub ſpeciebus vini conſecratis; ſed illa nova pars quantitatis non eſſet conſecrata, ſiquidem tempore conſecrationis non erat: g. Reſp. ad 1. conced. ibi fore creationem novæ partis quantitatis: neg. tamen, quòd fieret ab agente naturali; non enim fieret niſi à Deo, qui ex ſuppoſitione miraculi, quo conſervabat accidentia ſine ſubiecto, ſupplet efficienter, quidquid faceret, ſi adeſſet, ipſum ſubiectum. Ad 2. neg. ſeq. cuius ad probationem dicimus, quòd, & ſi illa nova pars quantitatis non ſit conſecrata, qualitates tamen vini, quæ tunc rareſcerent, & extenderentur (ſicut rareſceret, & extenderetur ſubſtantia vini, ſi ibi adeſſet) eſſent ſpecies conſecratæ, & ſic ratione illarum eſſet ſanguis Chriſti ſub illa parte quantitatis, quæ in rareſactione de novo acquireretur.

7 Argum. 3. ſi in rareſactione nova pars quantitatis acquireretur, ſequeretur, vel quod daretur plurium partium quantitatis penetratio, vel aliqua pars quantitatis ſine ſubiecto: ſed utrumque eſt naturaliter impoſſibile; ergo. Prob. utraque ſeq. nam in rareſactione non acquiritur (ut hucuſque diximus) nova pars ſubſtantiæ, in qua ſubiectetur illa pars quantitatis de novo acquiſita; ergo vel talis pars manet ſine ſubiecto, vel inhæret ipſi ſubſtantiæ rareſactæ; atqui, cùm hæc ſit ſecundum omnes

ſuas

ſuas partes affecta quantitate, neceſſariò erit ſecundum aliquam partem affecta duplici quantitate, nempe illa, quam antea habebat, & illa, quam de novo acquirit, quod eſt penetratio plurium partium quantitatis, ergo, &c.

8. Antequam huic argumento, (quod maximè ponderant Adverſarii, in æquivoco quidem laborantes) reſpondemus, ut omnis procul pellatur æquivocatio, notare oportet, quòd ſubſtantia materialis, licèt habeat ex ſe partes entitativas, hæ tamen partes nullum ex ſe important ordinem circumſcriptivum ad locum, ſed hoc convenit eis ratione quantitatis, qua ſunt affectæ, ut in log. diſp. de quant. dicebamus. Fallunt ergo ſic arguentes, ſi, ut videtur, apprehendunt, quòd ſubſtantia ex ſe, & independenter à quantitate habet partes, quę ſuaptè natura dicant ordinem ad determinatum ſpatium, & extenſionem. Quo notato, reſpondetur ad argumentum neg. ſeq. & ad iſtius probationem dicimus, illam partem quantitatis, quæ de novo acquiritur per rarefactionem, non manere ſine ſubiecto, ſed ſubiectari in partibus præexiſtentibus ſubſtantiæ. Ex quo nullatenus infertur dari penetrationem plurium quantitatum; nam non remanet utraque quantitas in eodem ſpatio; ſed cùm ſubſtantia ex ſe non ſit localiter extenſa, ſed in potentia ad quamlibet extenſionem ſibi proportionatam iuxta varias diſpoſitiones, recipit maiorem, vel minorem extenſionem, prout eſt maior, vel minor quantitas, qua eſt affecta. Subſtantia v.g. lactis, quæ in ſtatu perfectæ diſpoſitionis gaudet extenſione (ſupponamus) palmari, in ſtatu corruptionis rareſit, & habet extenſionem (ſupponamus etiam) bipalmarem: unde illa quantitas palmaris, quam in rarefactiòne lac acquirit, adiuncta quantitati palmari præexiſtenti extendit lac in ordine ad ſpatium uſq; ad bipalmarem extenſionem, ita ut cuiuis parti quantitatis correſpondeat pars

ſubſtantiæ, non in ſtatu perfectæ diſpoſitionis iſtius, ſed in ſtatu corruptionis, ut dictum eſt. Eodem modo, & ſi per oppoſitum, philoſophandum eſt de condenſatione.

9 Argues 4. præiacta concluſio non cohæret, imò opponitur dictis præced. quæſt. g. non eſt ſubſtinenda. Prob. antec. nam ibi num. 3. impugnando ſententiam aſſerentem, in rarefactione, & condenſatione totam quantitatem præexiſtentem corrumpi, diximus, hoc non poſſe ſic eſſe propter rationes ibi aſſignatas, quas recolere oportet, ne ſemel dictum iterum repetamus; ſed eædem rationes militant contra iſtam concluſionem, in qua dicimus, aliquid quantitatis in condenſatione deperdi, ſeu corrumpi, ut illas benè perpendenti patebit: g. &c. Reſp. neg. antec. Cuius probationis negat. min. Ratio diſcriminis inter ibi dicta, & hic aſſerta (eſt), quia tota quantitas alicuius ſubiecti nequit corrumpi, niſi ipſum ſubiectum etiam corrumpatur; nam, cùm ſubſtantia ſuaptè natura exigat quantitatem, nequit naturaliter omni quantitate carere; & cùm neque in rarefactione, neque in condenſatione ſubſtantia ſubiecti rarefacti, aut condenſati corrumpatur, ſeu deperdatur, hinc eſt, quòd neque tota illius quantitas deperdi poteſt. Cæterùm, cùm in condenſatione (iuxta à nobis dicta) etſi aliquid quantitatis deperdatur, manet tamen quantitas, qua talis ſubſtantia condenſata ſit affecta, hinc eſt, quod poteſt aliquid quantitatis deſtrui, abſque eo, quod ſubſtantia rarefacta deſtruatur, ſiquidem manet affecta quantitate, quam ſuaptè natura exigit.

10 Si autem inquiratur a nobis, ſicut & nos ibi inquirebamus, à quo talis pars quantitatis in condenſatione corrumpitur? Reſpond quòd, ſi talis condenſatio tendat in corruptionem ipſius ſubſtantiæ condenſatæ, pars quantitats, quæ deperditur, corrumpitur efficienter ab

agente

agente inducente qualitates contrarias illis, quas talis ſubſtantia exigit ad ſtatum ſuæ perfectæ diſpoſitionis: ob quas contrarias qualitates cogitur tendere in ſui ipſius corruptionem, & exigere pro tali ſtatu minùs quantitatis, unde, quaſi conſequenter, aliquid quantitatis illius deperditur, & à tali agente corrumpitur. Si autem ſubſtantia condenſetur, ut acquirat ſtatum ſuæ perfectæ diſpoſitionis; veluti contingit cùm v.g. aqua calida frigeſcit, ut ſtatum ſibi connaturalem habeat, pars quantitatis, quæ in huiuſmodi condenſatione deperditur, corrumpitur; quaſi conſequenter, ab ipſa aqua; quia cùm ipſa in ſe producat frigus, quo formaliter expellitur calor, ob quem aqua erit in via corruptionis, & ſub maiori quantitate, ac illa, quam ad ſuum perfectum ſtatum exigebat, ipſa etiam corrumpit, quaſi conſequenter, aliquam partem quantitatis, ut ſuum perfectum acquirat ſtatum, in quo minus quantitatis exigit, quàm cùm erat calida, & in via corruptionis.

11 Dubit. quot motus in rarefactione intercedant? Reſpond. triplicem in illa intercedere motum, 1. eſt, quo ſubſtantia rarefacta tranſit ad habendam aliquam primam qualitatem, v. gr. calorem: qui motus dicitur cauſa remota rarefactionis, & ſi non per ſe, ſaltim per accidens. 2. eſt, quo tranſit ad habendam novam partem quantitatis, qua manet magis extenſa, quàm erat antea. 3. denique eſt, quo tranſit ad novam præſentiam localem, qua partes ipſius ſubſtantiæ rarefactæ fiunt formaliter præſentes maiori loco. Hi duo poſteriores motus dicuntur cauſæ rarefactionis, etſi per accidens, magis tamen proximæ, & immediatæ, quàm primus; nam iſtis poſitis, ſtatim reſultat raritas, quæ eſt forma, à qua ſubiectum denominatur formaliter rarefactum, & ad quam non datur per ſe motus.

Hæc

Hæc raritas ſi materialiter conſideretur, eſt qualitas ſecunda pertinens ad quartam ſpeciem qualitatis, quæ appellatur forma, vel figura; ſi autem formaliter inſpiciatur ad prædicamentum *ſitus* ſpectat.

D I S P. VI.

De actione, & reactione.

AGit Ariſt. de actione, & reactione in hoc libro cap. 6. uſque ad 10. eò quòd cùm acturus eſſet in ſequentibus de mixtione in qua actio, & reactio miſſibilium intervenit, oportebat de his, & de conditionibus ad eas requiſitis prius diſſerere; unde nos ipſius ordinem ſectantes, præſentem hic apponimus diſputationem. Pro qua

Q U Æ S T I O I.

Quomodo activitas, & reſiſtentia primis conveniant qualitatibus?

1 TItulus huius quæſtionis ſupponit, & meritò, dari in entibus naturalibus activitatem, & reſiſtentiam; illam, ut in alia agant; iſtam, ut aliis in ipſa agentibus reſiſtant. Et tamquam certum ſupponimus, activitatem nil aliud eſſe, niſi illam virtutem, media qua agens operatur. Activitas v.g. ignis ad calefaciendum nihil eſt aliud quàm calor; & activitas ipſius ad urendum eſt illa potentia ignefactiva, ſeu virtus urendi, quæ eſt realiter identificata cum ipſo igne. Deinde etiam ſupponimus, triplicem poſſe eſſe reſiſtentiam. Una eſt negativa, & eſt illa, qua aliquod ens naturale eſt incapax ad recipiendum qualitatem alicuius naturalis agentis: hac reſiſtentia, communiter dicitur, corpus cœleſte reſiſtere calefactioni, eò

quòd

quod calefactione incapax eſt. Alia dicitur reſiſtentia effectiva, cùm nimirum paſſum ſua actione expugnat agens, huiuſque vires, quibus in illud agebat, debilitat: ut quando paſſum frigidum reſiſtit agenti calido minuendo calorem, quo in ipſum agebat. Alia denique eſt reſiſtentia formalis, & eſt illa ratio, qua, abſque ulla actione paſſum actionem agentis retardat, ut ſtatim dicemus. In præſenti non eſt ſermo de reſiſtentia negativa; ſed, antequam concluſionem ſtatuamus, circa alias duas.

2 Prænotandum eſt, quod reſiſtentia activa eſt illa actio, qua paſſum reſiſtit agenti in ipſum reagendo: eſt dicere, reſiſtentia effectiva, qua aqua verb. gratia reſiſtit igni, ne tam citò, aut tam intensè in eam calorem inducat, eſt ipſius aquæ actio frigefactiva, qua virtutem activam ignis debilitat, vel ſaltim hujus actionem retardat. Ratio huius eſt; nam reſiſtere effectivè nil aliud eſt, quam activè impedire ne agens agat in paſſum, vel illud retardare ab actione, ut non tam citò, aut tam intensè in ipſum agat, ſicut alias ageret: ſed aqua per actionem frigefactivam reagit in ignem impediendo ne in ipſam agat, vel ſaltim illius actionem retardando: g. &c.

3 Præmittendum eſt etiam, quod reſiſtentia formalis eſt illa forma contraria, qua paſſum informatur, & eſt incompoſſibilis cum ea, quam in ipſum introducere conatur agens. Ratio hujus eſt, quia cum forma, qua paſſum informatur, ſit incompoſſibilis cum ea, quam agens in ipſum conatur introducere, neceſſariò talis forma reſiſtere in genere cauſæ formalis tali introductioni, vel ſaltim illam retardabit. Patet hoc cùm aqua calida ſe ipſam reducit ad priſtinam frigiditatem: in quo caſu calor, qui eſt in ipſa, reſiſtit tali frigiditati, ſed tunc non reſiſtit aliquid producendo, ſed tan-

tùm

tum ratione incompoſſibilitatis, quam habet cum frigiditate, quam aqua in ſeipſam introducere conatur; ergo reſiſtentia formalis eſt illa incompoſſibilitas unius formæ cum alia, quæ nihil producendo impedit, aut ſaltim retardat illius actionem. Aliqua contra dicta, tam in hoc, quam in præcedenti numer. obiici ſolent, ſed illa conſulto omittimus, & quia non multum urgent, & quia illa ſoluta invenientur apud Merin. diſp. 6 qu. 1. Sed ut titulo quæſt. fiat ſatis.

4 Præmittendum denique eſt, quod omnes primæ qualitates ſunt activæ; experimur namque, quod calor calefacit, frigus frigefacit; humiditas etiam humectat illa, quæ ſunt propè ipſam, ſiccitas denique ita ea, quæ juxta illam ſunt, ſiccat, ut facilè demoliantur. Licet tamen omnes prædictæ qualitates activæ ſint, non æquali activitate omnes gaudent; calor enim eſt magis activus, quam frigus, frigus, quam humiditas, & hæc, quam ſiccitas. Ratio pro hoc eſt ipſa experientia; nam ſentimus, calorem celerius agere, quam frigus, & ſic ordine prædicto de cæteris; ſed celerior actio, cæteris paribus arguit majorem activitatem; g. &c. Major difficultas eſt in aſſignando quomodo reſiſtentia conveniat primis qualitatibus, quod eſt idem, ac inquirere, quænam qualitates ſint magis reſiſtivæ formaliter. Active enim, ſeu effectivè illa eſt magis reſiſtiva, quæ magis activa eſt; quod primo convenit calori, deinde frigori, &c. ut numer. præced. dicebamus, ex quo fit ſatis primæ parti quæſt. Pro ſecunda autem.

5 Dicimus; reſiſtentia formalis non eſt æqualis in omnibus primis qualitatibus. Sic Ariſt. infra allegandus, quem ferè omnes Philoſophi ſequuntur contra aliquos oppoſitum aſſerentes, ſatis debili nitentes fundamento, ut videbimus infra. Prob. concl. ex ipſo Ariſtot.

qui

qui 4 Prior. cap. 8. text. 71. docet medium magis denſum, eo quod magis reſiſtit diviſioni, magis retardare mobile, quam medium rarum, quod minus diviſioni reſiſtit: unde velocius fit motus per aerem, quam per quam, ſed reſiſtentia medii eſt reſiſtentia paſſiva, & formalis, ut per ſe patet: ergo reſiſtentia formalis major eſt in aliquibus qualitatibus, quam in aliis. Confirm. quia experimur, quod magnum ſaxum v. gr. adeo reſiſtit illud movere conanti, ut illud movere nequeat; aliud autem non adeò magnum non ita reſiſtit, cum facilè quis illud moveat, ſed reſiſtentia ſaxi non eſt activa, ſed tantum formalis, cum nihil omninò agat; g. &c.

6 Dices (& eſt fundamentum opinionis oppoſitæ) reſiſtentia formalis conſiſtit in informatione qualitatis contrariæ; ſed omnes qualitates contrariæ æqualiter informant; ergo & æqualiter reſiſtunt reſiſtentia formali. Reſp. diſting. mai. conſiſtit in informatione qualitatis contrariæ, connotativè, concedo; formaliter, & per ſe, nego; & conceſſa min. neg. conſeq. Verum quidem eſt, quod ad hoc, ut calor v. gr. frigori reſiſtat, eſt neceſſarium, quod ſubjectum a frigore informetur; hæc tamen frigoris informatio non eſt ratio formalis, ob quam calor formaliter reſiſtit, ſed tantum connotativè ſe habet, cum calor ex ſe formaliter reſiſtat, ut dictum manet.

7 Dubit. quænam ex primis qualitatibus ſint magis formaliter reſiſtivæ? Reſp. quod illa qualitas, quæ fuerit minus activa, & magis reſiſtiva: unde ſiccitas eſt inter cæteras magis reſiſtiva formaliter, deinde humiditas, & ultimo loco calor. Ratio huius eſt, quia univerſum componitur ex elementis contrariis, ex quibus generantur mixta contraria, quapropter omnia ferè corpora ſunt in perpetua pugna & obſeſſa contrariis; ſed quædam prædictarum quali-

lita-

litatum ſunt magis activæ; g. opus eſt, quod aliæ minus activæ ſint magis reſiſtivæ, ut ſe defendere, & conſervare poſſint: alioquin ſi major activitas agentium non compenſaretur per majorem reſiſtentiam formalem illorum, quæ patiuntur, abs dubio facilè deſtruerentur ab eis, & machina univerſi citò rueret.

QUÆSTIO III.

Utrum actio ſemper procedat a proportione majoris inæqualitatis?

Senſus tituli huius quæſt. eſt, verſic. ut agens agat in paſſum, debeat eſſe major activitas illius, quam paſſi formalis reſiſtentia? Igitur

1 Dicimus ad quæſtion. actio ſemper procedere debet a proportione majoris inæqualitatis, ita ut ſit major activitas agentis, quam reſiſtentia formalis paſſi. Hæc concluſio deducitur apertè ex Scoto in 2. diſtin. 2. qu. 9. §. *Ad quartum argumentum*, ſub litt. Z. Quem ferè omnes ſequuntur contra aliquos, quos citat Merin. Prob. concluſio 1. ex Ariſtot. qui hic text. 3. 4. & 88. inquit, quod tunc fit augmentatio, quando multum agens excedit paſſum, & mixtio fit, quando quodammodo æquantur. Ubi adverti debet, non dicere abſolutè, *quando æquantur*; ſed *quando quodammodo æquantur*, expreſsè innuens, ſemper ad actionem requiri proportionem majoris inæqualitatis.

2 Prob. 2. ratione: nam agens agere in paſſum non eſt aliud, quam inducere in illud formam, quam ſua activitate producere intendit; & paſſum reſiſtere agenti, nil etiam aliud eſt, quam impedire formali reſiſtentia, ne agens formam contrariam in ipſum inducat: g. quamdiù paſſum actu reſiſtit majori reſiſtentia, quam eſt activitas paſſi, agens agere non poteſt; &

tunc

tunc agens actualiter agit, quando paſſum non magis reſiſtit; g. formalis reſiſtentia paſſi ſemper debet eſſe minor, quàm activitas agentis, ut detur actio. Prima conſequentia patet, quia nequeunt eſſe ſimul reſiſtentia paſſi major, vel æqualis cum activitate agentis, & æqualis actio; ſi enim tantùm, vel magis reſiſtit paſſum, quantùm agens agit, numquam ſuperabitur ab illo, ut per ſe patet. Secunda conſeq: prob. quia agere arguit potentiam in agente, non reſiſtere arguit impotentiam ad reſiſtẽdum in paſſo; g. quamdiù paſſum non reſiſtit, ſignum eſt, quòd non eſt potens reſiſtere, cùm ſit reſiſtens naturaliter, ac proinde neceſſariò; g. debet eſſe major activitas agentis, quàm formalis reſiſtentia paſſi.

3. Nec valet id, quòd communiter Adverſarii reſpondent, nempe, dari duplicem actionem, aliam victorioſam, ut cùm agens perfectè, & omninò tranſmutat paſſum, & aliam non victorioſam, ut cùm agens non ex toto paſſum deſtruit, ſed ambo ad invicem pugnant, & in ſe mutuò agunt. Verum quidem eſt (inquiunt) primam actionem procedere ex proportione majoris inæqualitatis, non verò ſecundam. Hoc utique non valet; quia ut agens agat in paſſum actione non victorioſa, debet in aliqua ſaltim illius parte introducere formam contrariam. g. ſaltim ſecundum illam partem, ſecundum quam fit actio, agens debet ſuperare paſſum: g. quævis actio, etiam non victorioſa, fit à proportione majoris inæqualitatis; ſiquidem paſſum, ſaltim ſecundum illam partem, ſuperatur ab activitate agentis.

4 Argum. 1. ſi eſſet major activitas agentis, quàm reſiſtentia paſſi, numquam poſſent dari mutua actio, & reactio inter agens, & paſſum; ſed hoc eſt falſum, ut videbimus infra; g. Prob. mai. nam ſi agens, ut agat in paſſum, neceſſariò ſupponit illud inferius, & in-

æqua-

æquale ſibi: g. paſſum non poſſet regere, tè inferius, in ipſum agens; vel ſi agit, erit aliqua actio, quæ à proportione majo æqualitatis non procedat. Reſpond. ne & diſting. antec probat. debet ſuppone ſum inæquale, in reſiſtentia paſſiva, mali, concedo; in reſiſtentia activa, n tec. & conſeq. Vel aliter diſting. ipſum a debet ſupponere paſſum inæquale, ab nego; ſecundum illum gradum, in qu vincit, concedo. Calidum enim v.igr. u etſi ſit agens ſuperius frigido ut quatuor lutè loquendo, ſi tamen conſideretur ta ſecundum illum gradum, in quo vincitu gido, eſt inferius ipſo: unde dari poteſ calidum, ut octo, & frigidum ut quatuor, reactio, & repaſſio.

5 Inſtabis: agens agit ſecundum omn dus ſimul, & per modum unius: g. pari ter paſſum reſiſtit reſiſtentia formali ſecu omnes gradus ſimul, & per modum uni proinde non ſecundum unum, vel alteru tùm. Reſp. neg. conſeq. Ratio diſcrimin quia cùm agens agat in genere cauſæ effic omneſque gradus illius ſint efficienter agit neceſſariò ſecundum omnes ſimul, modum unius; cæterum, cùm paſſum ſ reſiſtat formæ contrariæ in genere cauſæ lis, dumtaxat reſiſtit illi ſecundum illu dum, qui eſt incompatibilis cum illa fo quam agens inducere conatur: cùm g. diviſibiliter oppoſitę non inducantur ſin gradatim, & ſucceſſivè, hinc eſt, quòd contraria præexiſtens in paſſo non reſiſt maliter agenti ſecundùm omnes gradu tantùm ſecundum illum, vel illos, qui nec compati cum gradu, vel gradibus forma trariæ, qui de novo inducuntur. Ex q tet ſolutio ad commune argumentum d ptum ex experientiis formicæ collimanti ſ

dem ſuper quem ſæpè tranſit,& guttarum aquæ continuo cadentium ſuper lapidem, & illum excavantium, & aliis ſimilibus: nam etſi lapis excedat activitatem formicæ, & guttarum aquæ ſecundum totalem potentiam reſiſtivam, non tamen illam excedunt ſecundum illam tantùm partem, in quam agit talis activitas. Idem reſpondendum venit in aliis, in quibus videtur major reſiſtentia paſſi, quam activitas agentis.

6 Dubit. an exceſſus, quo activitas agentis ſuperat reſiſtentiam formalem paſſi, debeat eſſe determinatæ quantitatis? Reſp. cum Merin. negativè. Ratio huius eſt, quia (ut ex dictis in Phyſica conſtat) inanimata homogenea, ut ignis, aqua, & alia huiuſmodi non exigunt ex natura ſua terminum intrinſecum parvitatis, ſed poſſunt produci, & conſervari in minori, & minori quantitate uſque in infinitum; & idem conſtat de qualitatibus, ut ſupra in hoc lib. dicebamus; ſed hoc ipſo, quod agens poſſit produci, & conſervari in quavis, quantumvis minori, quantitate, poteſt etiam in illa agere; quia operari ſequitur eſſe, ergo ut hujuſmodi agentia agant, ſeu operentur, non exigitur, quod ſint ſub determinata quantitate. Hujus dubii reſolutio intelligenda eſt, attenta horum, & ſimilium agentium natura; ſi enim ob exiguam ipſorum quantitatem, ita diſtent à paſſo, ut hoc intra ſphæram activitatis illorum non ſit, verum eſt, quod in illud agere nequibunt, hoc tamen non erit ob defectum activitatis intrinſecè, & ſecundum ſe inſpectæ, ſed ob defectum approximationis ad paſſum, quod nullatenus præjactæ noſtræ opponitur reſolutioni, ut ex dictis in illa patet.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Utrùm agens naturale in aliud omninò ſibi ſimile agere poſſit?

1 PRo deciſione quæſt. prænotandum eſt, quod ſimilitudo inter agens, & paſſum, ut ad præſens attinet, poteſt eſſe duplex. Altera omnimoda, ut cùm ita ad invicem aſſimilantur, quod inter ſe conveniant, tam in gradibus intenſionis ejuſdem qualitatis, quam in aliis conditionibus agentis, & paſſi, ut v.gr. in denſitate, & raritate. Altera non omnimoda, ut quando, aſſimilentur in gradibus intenſionis eiuſdem qualitatis, in aliis tamen conditionibus diſconveniunt. Quo ſuppoſito, ut clarius procedamus, duplici concluſioni propoſitæ difficultatis ſatisfaciemus. Igitur.

2 Dicimus 1. nullum agens poteſt agere in ſibi ſimile omnimoda ſimilitudine præexplicata. Hæc concluſ. eſt ita communis Philoſophorum conſenſus, ut ſit axioma ab omnibus receptum. Prob. 1. ex Ariſt. qui in principio cap. 7. hujus lib. ſic ait: *Plurimi enim uno ore hoc affirmant, à ſimili, in quantum, ſimile nullum pati.* Quod idem toto ferè hoc cap. ex propria mente probat, & confirmat. Et prima ipſius ratio hæc eſt: omne agens naturaliter tendit ad aſſimilandum ſibi paſſum: ergo ſi paſſum ſit ipſi omninò ſimile, fruſtranea, imò nulla, erit illius actio. Patet conſeq. nam poſito fine, definunt naturaliter media, & fruſtra ponitur quævis actio ad conſecutionem illius. Antec. autem (præterquamquod eſt maxima ab omnibus recepta, eo quod non alio fine calidum v.gr. agit in frigidum, niſi ut illud calidum reddat) prob. ratione: omne enim agens univocum (de hoc tantùm in præſenti eſt ſermo) naturaliter tendit, ut ſe, quantùm poteſt, paſſo communicet;

hoc

hoc namque eſt de ratione illius: g. cùm nequeat ſe communicare paſſo per identitatem, tendit ad ſe communicandum illi per omnimodam ſimilitudinem: g. ſi hæc præſupponitur inter utrumque, inanis, & nulla erit ipſius actio.

3. Prob. 2. etiam ex ipſo: omnis determinata actio agentis in paſſum exigit in agente determinatam rationem agendi; ſicut enim nulla datur actio, ſine ratione agendi, ſic nec determinata actio abſque determinata ratione agendi: ſed quando agens, & paſſum ſunt omninò ſimilia, non eſt in agente determinata ratio, ob quam agat in paſſum: g. non poteſt agere in illud. Prob. min. nam cùm agens, & paſſum ſunt omninò ſimilia, non eſt major ratio, ob quam unum potiùs, quàm aliud in alterum agat, cùm in utroque ſit æqualis agendi ratio, ut per ſe patet: g. tunc non eſt in agente determinata ratio agendi, conſequenterque, &c.

4. Probat. denique 3. omne agens agit quatenus eſt in actu, & omne paſſum patitur quatenus eſt in potentia: ſed inter duo omninò ſimilia neutrum comparativè ad alterum eſt in actu, aut in potentia: g. neutrum in alterum, utpotè omninò ſimile, agere poteſt. Major eſt certa; quia agere tantùm convenit habenti virtutem activam, & pati ſolùm potentiam paſſivam habenti. Min. autem probat. 1. nam quod eſt in actu, prout in actu, eſt diſſimile ei, quod eſt in potentia, prout in potentia, ut eſt perſpicuum; ſed ex duabus omninò ſimilibus neutrum eſt alteri diſſimile, nec in potentia activa, nec in paſſiva; g. Probat. 2. eadem min. quia quod eſt in actu comparatur ad id, quod eſt in potentia, tamquam perficiens ad perfectibile: ſed neutrum duorum omninò ſimilium comparatur ad alterum, tamquam perficiens ad perfectibile; ſiquidem quidquid perfectionis poſſet reci-

pere ab altero, jam utrumque illorum in ſe habet, ut ſupponitur: g. ſimile in omninò ſibi ſimile agere nequit.

5 Argum. contra hanc concluſ. eo facilius agens agit in paſſum, quo minùs reſiſtentiæ invenitur in iſto, ſed quando paſſum eſt omninò ſimile agenti, nihil reſiſtentiæ eſt in illo reſpectu iſtius: g. agens facilè agere poteſt in paſſum ſibi ſimile omninò. Mai. eſt certa ex ipſis terminis, & min. apertè patet, quia reſiſtentia fundatur in contrarietate, quæ non reperitur inter omninò ſimilia. Reſp. quod reſiſtentia eſt duplex, una nempe poſitiva, quæ fundatur in aliqua contrarietate extremorum; alia negativa, quæ nititur in ſola repugnantia ad hoc, ut unum agat in aliud. Ad rem ergo: licèt unum extremum omninò ſimile alii careat reſiſtentia poſitiva, quæ fundatur in contrarietate, habet tamen reſiſtentiam negativam, ſiquidem incapax eſt recipiendi aliquid perfectionis ab agente omninò ſimili. Ex quo patet diſtinctio ad argument. ac ſolutio illius.

6 Arg. 2. quando aliqua ſunt magis ſimilia faciliùs ſe ad invicem conſervant: ſed ſe ad invicem conſervare eſt unum agere in aliud: g. unum ſimile in aliud omninò ſibi ſimile agere poteſt. Patet min. conſervatio enim abs dubio aliqua actio eſt. Prob. mai. nam duæ manus æque calidæ, ſi ad invicem conjungantur, mutuo ſe in eodem calore conſervant, ut ipſa experientia oſtendit: g. &c. Reſpond. quod conſervatio eſt duplex, altera poſitiva, quæ conſiſtit in continuata productione, & negativa altera conſiſtens in excluſione impedimenti contrarii. Quando igitur duo ſunt omninò ſimilia, verum eſt, quod ſe ad invicem conſervare poſſunt conſervatione negativa, ut contingit in duabus manibus viciſſim conjunctis, & ſe ad invicem in calore conſervantibus: eo quod

per

per approximationem unius ad aliam impeditur frigiditas aeris ambientis; non tamen ſe conſervant conſervatione poſitiva, ſiquidem unum in aliud, utpotè omninò ſibi ſimile, agere non poteſt. Ex qua doctrina manet perſpicuum, quomodo argumentum diſtingui, ac diſſolvi poſſit. Alia argumenta, quæ contra præfatam concluſionem militare videntur, non contra illam, ſed pro ſequenti ſtatim ſtabilienda ſtare apertè ex dicendis apparebit.

7 Dicimus 2. agens naturale agere poteſt in paſſum, quod etſi ſit ſimile illi in gradibus intenſionis ejuſdem qualitatis, eſt tamen diſſimile ei penes raritatem, denſitatem, aliaſve huiuſmodi conditiones. Hanc concluſionem videtur tenere Ariſt. quia 3. Phyſic. tex. 42. inquit, quod ſi unum elementum eſſet infinitæ molis, eſſet converſurum cætera alia in ſe; ſed hoc non eſſet propter majorem intenſionem qualitatum activarum, ut ex ipſa propoſita hypotheſi infertur; g. eſſet propter maiorem molem, ſeu addenſationem virtutis activæ.

7 Prob. aliquibus experientiis, quæ hanc ipſam veritatem evidenter oſtendunt. Prima eſt in duabus luminoſis æqualis intenſionis, quæ applicata eidem diaphano magis illud illuminant, quam quodvis eorum ſeorſim; ſed quodvis eorum ſeorſim eſt omninò ſimile alteri, ut ſupponimus; g. ſi ambo coniuncta plus illuminant, quam quodvis ſeorſim, ideò eſt, quia ſimile agit in ſibi ſimile; atqui non ratione majoris intenſionis virtutis illuminativæ, quæ in utroque ſupponitur æqualis; g. ratione multitudinis agentium. Idem patet in pluribus hominibus omnino æqualibus in fortitudine, qui portare poſſunt ſaxum magni ponderis, quod nullus eorum ſeorſim portare poteſt. Secunda eſt in radiis ſolaribus, qui tranſeuntes per globum chryſtalinum producunt in corpore ſub tali globo poſito calorem adeò intenſum, ut

ad ignis generationem ſufficiat; ſed adeò intenſum calorem non producunt, ſed longè remiſſiorem, quando per talem globum chryſtallinum non tranſeunt: g. ideò calorem adeò intenſum producunt, quia per medium adeò denſum tranſeunt, quale eſt chryſtallinus globus: & denſitas materiæ in agenti juvat ad fortiùs, & intenſiùs operandum; & conſequenter poterit agens agere in paſſum, & quod etſi ſit ſimile illi in intenſione ejuſdem qualitatis; diſſimile tamen eſt penes denſitatem, raritatem, al aſve conditiones ad intenſius agendum conducentes. Eò, vel maximè, quod virtus unita fortior eſt ſe ipſa diſperſa, ut omnes unanimiter fatentur. Omittimus plures alias experientias id ipſum probantes; nam apud RR. videri poſſunt.

9 Concluſio hæc ſecunda nullatenus opponitur primæ, ut utramque perpendenti patebit. Neque obſtat, quod quando aliquid convenit alicui per ſe, ejus opppoſitum neque per ſe, neque per accidens illi convenire poteſt: ſed ſimili convenit per ſe non poſſe agere in omninò ſimile; g. agere in ſic ſimile neque per accidens poteſt illi convenire. Hoc quidem non obſtat: quia eò ipſo, quod paſſum ſit diſſimile agenti penes raritatem, vel alias conditiones, etſi penes intenſionem ejuſdem qualitatis ſit ſimile, non verificatur, quod ſit omninò ei ſimile; ac proinde neque quod conveniat ſive per ſe, ſive per accidens, agenti agere in omninò ſibi ſimile.

10 Argum. contra hanc concl. neque major quantitas, neque major denſitas eſt in agentibus ratio formalis agendi, hæc enim ſolùm provenit eis à formis, per quas agunt: g. quando agens eſt ſimile paſſo in intenſione ejuſdem qualitatis, per quam agere debet, etiamſi ſit diſſimile illi penes quantitatem, aut denſitatem, nequibit agere in illud. Reſpond. conceſſo

ceſſo antecedenti , neg. conſeq. nam quamvis agens ſit æquale , aut ſimile paſſo ſecundum rationem formalem agendi , ſeu ſecundum intenſionem gradualem eiuſdem qualitatis, adhuc tamen poſſunt quantum ad modum eſſendi , ac proinde, & operandi eſſe inæqualia , & diſſimilia in ipſa ratione agendi formali non ſecundum ſe conſiderata, ſed prout his, vel illis circumſtantiis affecta , quæ circumſtantiæ ſufficiunt , ut per illam agens agere poſſit in id quod ſine illis agere non poſſet.

11 Dices : vel agens ob majorem denſitatem , aliaſve circumſtantias habet intenſiorem qualitatem , & activitatem , quam eſt in paſſo , vel omninò ſimilem , & æqualem ? non primum ; nam rueret ſuppoſitio , nempe , quòd ſint omninò ſimilia : ſed neque ſecundum , quia per extrinſecas circumſtantias nequit virtus activa intrinſecè intendi ; ergo &c. Reſpond. quòd agens ob maiorem denſitatem habet virtutem activam intenſiorem , non formaliter ; ſed virtualiter tantùm , & quoad modum eſſendi , ac proinde habet virtutem , ut cauſet in paſſo aliquem gradum qualitatis intenſiorem , & ſi illum formaliter non contineat , quam nec adhuc virtualiter contineret , ſi talibus circumſtantiis non eſſet affectum .

12 Inſtabis : g. agens denſum calidum ut duo poterit intendere paſſum rarum , etiam calidum ut duo , nedum uſque ad tertium gradum , verum & uſque ad quartum, quintum, &c. Patet conſeq. non enim videtur ratio, ſuppoſita concluſ. ob quam poſſit intendere uſque ad tertium , & non uſque ad ulteriores gradus . Reſp. neg. conſ. nam ad hoc , quòd agens denſum calidum ut duo poſſit intendere paſſum æquè calidum uſque ad tertium gradum ſufficit, quòd ratione denſitatis virtualiter contineat talem tertium gradum; ad tam modicū enim exceſſum il-

la virtualis continentia proveniens ex majori adenſatione ejuſdem qualitatis ſufficere videtur, ut noſtræ rationes evidenter probant, non verò videtur ſufficere ad tam notabilem exceſſum activitatis ſicut ponitur in argumento. Eo, vel maximè; quia ex eo quod aliquod agens poſſit ad minus, non ſequitur, quod poſſit ad magis.

13 Dubitabis 1. an agens poſſit producere effectum omninò ſibi ſimilem? Reſpond. ſub diſtinct. ſi enim ſit agens æquivocum, nullatenus effectum omninò ſibi ſimilem producit; nam de ratione huiuſmodi agentis eſt *producere* effectum ab ipſo agente ſpecificè diverſum. Si autem ſit agens univocum ſubſtantiale, effectum ſibi omninò ſimilem producit: nam de ratione agentis univoci, ſive ſubſtantiale, ſive accidentale ſit, eſt producere effectum ſibi ſimilem in ſpecifica perfectione: ut homo hominem, ignis ignem, calor calorem, &c. Si verò ſit agens accidentale agens media forma graduali, nimirum qualitate, adhuc eſt diſtinguendum; ſi enim tale agens non ſit penetratum cum paſſo, in quod agit, nequit producere effectum omninò ſimilem ſibi, benè tamen ſi ſit penetratum ſit. Ratio pro prima parte eſt; quia agens naturale agit uniformiter difformiter; hoc eſt producit formam ejuſdem ſpeciei in omnes partes, ſed magis intenſam in partes propinquas, quam in inſtanti: ſed ſi ſubjectum, in quod agit, non eſt ipſi penetratum, nulla eſt aſſignabilis pars ita propinqua, quod non poſſit aſſignari alia, & alia propinquior uſque in infinitum, ſiquidem eſt continuum, ac proinde diviſibile in ſemper diviſibilia: g. ſi agit in paſſum ſecum non penetrarum, effectum omninò ſibi ſimilem producere nequit. Ratio autem pro 2. p. eſt: nam agens eſt activum ſecundum omnem gradum ſuæ intenſionis, ſive ſecundum totam ſuam activita-

vitatem, ſi ratione diſtantiæ, ſeu ex alio capite, non adſit impedimentum; ſed poteſt impedimentum non dari, quando agens eſt penetratum (ut de potentia abſoluta eſt poſſibile) cum agente; ergo in hoc caſu effectum omninò ſibi ſimilem producet. Contra hanc reſolutionem ſic propoſitam nihil, quod alicuius ſit momenti, obiici poteſt.

14 Dubit. 2. an agens naturale (ſuppoſito ex tota quæſtione, quod in omninò ſibi ſimile agere nequeat) poſſit agere in ſe ipſum? Reſpond. ſub diſtinctione. Si enim ſermo ſit de agente operante actione æquivoca, affirmativè reſpond. Ratio eſt; nam idem poteſt eſſe in actu primo ad agendum per virtualem continentiam alicuius effectus, & in potentia paſſiva ad recipiendum, per formalem receptibilitatem eiuſdem effectus; ergo idem poteſt actione æquivoca agere in ſe ipſum. Patet conſequen. & anteced. probat. nam idem intellectus ſimul cum ſpecie impreſſa eſt in actu primo ad producendam intellectionem, & in potentia paſſiva ad illam recipiendam; ergo poteſt illam producere, & illam in ſe recipere; & conſequenter agens naturale actione æquivoca in ſe ipſum agere poteſt. Si autem ſermo ſit de agente operante actione univoca, reſpond. ad dub. negativè. Cuius ratio eſt, quia implicat, quod idem ſit agens, & paſſum ſecundum eandem formam; quod ſit ſimul in actu, & potentia reſpectu ejuſdem; ſed agens eſt in actu illius formæ, ſecundum quam operatur, & paſſum eſt in potentia ad recipiendam talem formam: ergo ſi agens ageret in ſe ipſum actione univoca eſſet ſimul in actu, & in potentia reſpectu eiuſdem; atqui hoc repugnat, quia ex illo immediatè verificatur duplex contradictorium; g. &c. Hoc ipſum poteſt confirmari ex dictis pro prima concl. ut illam perpendenti manifeſtè patebit.

15 Quidquid contra noſtram hujus dubii reſolutionem objici poteſt deducitur ab experientiis antiperiſtaſis (quæ vox eſt græca idem ſignificans, ut latinè obſeſſio contrariorum) quando enim unum agens obſidetur, ſeu circumdatur à contrario fortiori, tunc impeditur ab eo ne propriam activitatem extra ſe diffundat: ergo illam circa ſeipſum convertit; ac proinde in ſeipſum agit. Patet aſſumptum in aquis putealibus, quæ tempore hiemis calidæ ſunt, & frigidæ tempore æſtatis. Idem experimur in calore ſtomachi, qui tempore hiberno eſt major, quàm in tempore æſtivo, ut Galenus, & Hippocrates docent; unde tempore frigoris faciliùs decoquimus alimentum: ſed hoc nequit eſſe ob aliam rationem, niſi quia calor à frigore circumdatus ſeipſum magis intendit; nequit enim intendi à frigore, ut per ſe patet: g. idem agens poteſt agere in ſe ipſo.

16. Reſpond. breviter, pluribus aliis (ut prolixitatem vitemus) omiſſis ſolutionibus, quòd ideò aquæ puteales tempore hiemis ſunt calidæ, & tempore æſtatis frigeſcunt, quia in puteis, aliiſque ſubterraneis locis ſunt plures exalationes igneæ genitæ à ſole, quæ in æſtate facilè exalantur, eò quòd medium nimio calore caleſit, ejuſque pori ſunt magis aperti; tempore autem hiemis, cùm medium frigidum ſit, proindeque ejus pori comprimantur, adeſt impedimentum, ne prædictæ exalationes aſcendant, & à locis ſubterraneis egrediantur. Similiter ad illud de calore ſtomachi dicimus, quòd ideò tempore hiemis eſt intenſior, proindeque faciliùs hoc tempore decoquimur alimentum, quia cùm ob nimium frigus circumobſiſtens pori corporis conſtringantur, ſpiritus animales, qui ſunt calidi, intra ſtomachum retinentur, illumque calefaciunt; tempore tamen æſtivo, cùm nimio calore corpus circumobſi-

ſtente,

ſtente, cutis dilatetur, & pori magis aperiantur, ſpiritus animales exeunt, ſeu exalantur, propiereaque manent intra ſtomachum pauci, a quibus calefieri poſſit: ex quo ſequitur, quod minus caloris in ſe retineat. Si plura circa hoc deſiderentur, legatur Maſt. tom. 3. diſp. 2. quæſt. 2. ubi per duos art. ſatis latè de hoc agit.

QUÆSTIO IV.

Utrum omne agens in agendo repatiatur?

1 PRæmit. eſt, quod reactio eſt illa reciproca actio, qua paſſum producit aliquid in agente, quod directè agit in illud: ut quando paſſum frigidum producit frigiditatem in agente calido, a quo ipſum frigidum calefit unde repaſſio eſt illa reciproca paſſio, qua agens recipit aliquid a paſſo, in quod ipſum agens agit; ut quando agens calidum, v. gr. recipit aliquid frigiditatis a paſſo frigido, quod patiebatur, ſeu recipiebat calorem ab ipſo, ut ab agente calido. Et ut omnis abigatur æquivocatio, ſupponere oportet, quod ad hoc, ut paſſum reagat in ipſum agens, & hoc ab illo repatiatur, neceſſarium eſt, quod agens ſit capax recipiendi effectum formæ paſſi: ob quod inter Cœlum, & ſublunaria, neque datur reactio, neque repaſſio; etſi enim Cęlum agat in ſublunaria, hæc tamen non reagunt in illud, utpotè incapax recipiendi aliquid ab illis. Deinde etiam requiritur, quod agens ſit intra ſphæram activitatis paſſi, in quod agit, alioquin in illud reagere nequibit, ut evidenter patet. His ſuppoſitis.

2 Dicimus ad quæſt. omne agens in agendo repatitur ab ipſo paſſo, in quod agit, ſuppoſitis conditionibus ad id requiſitis. Sic Scotus

in 4. diſt. 44. quæſt. 1. §. *Quantum ergo. Verſ. Tertia concluſio*, lit. E. & cum eo omnes ferè Philoſ. Prob. 1. ex Ariſt. in hoc lib. text. 53. ubi ait: *Cibus autem faciens & ipſe patitur: aut enim calefit, aut infrigidatur, aut aliud quod patitur, ſimul faciens*; Et lib. 4. de Gener. animal. cap. 3. inquit: *Omne agens patitur etiam à patiente, ut quod ſecat, hebetatur ab eo, quod ſecatur, quod calefacit, refrigeratur a calefacto*; g. ex mente Ariſt. omne agens in agendo repatitur 2. prob. ratione experimentali; ferrum enim candens, ſi in aquam immittatur, infrigidatur ab illa, & illa ab ipſo ferro calefit. Item pomum frigidum calefit in manu hominis, & manus ab eodem pomo infrigidatur. Et circa hoc ipſum ferè innumera ſunt experimenta. Et ratio a priori pro omnibus eſt, quia agens frigidum applicatum paſſo calido habet virtutem inducendi frigus in illud, & illud paſſum calidum habet virtutem inducendi calorem in illud agens frigidum: g. quando ambo ſunt ſufficienter ad invicem applicata, agent in ſe mutuo, ac proinde, &c. Confirm. nam ſi hoc ita non eſſet, non daretur mixtio: ſe hoc eſt falſum, ut videbimus infra: g. Prob. mai. quia ideo fit mixtio, quia elementa in ſe mutuo agunt ſuas attemperando qualitates: ergo &c.

3 Arg. 1. ex præjacta concl. ſequitur, idem poſſe ſimul moveri motibus contrariis; hoc eſt abſurdum; g. Prob. mai. poteſt enim dari ignis v. gr. bipalmaris, cuius medietas dumtaxat agat in aliquod paſſum frigidum, & ab eodem paſſo repatiatur, altera verò medietas, ſeu pars ignis non ſit intra ſphæram activitatis paſſi frigidi, proindeque ab eo non repatiatur. Tunc ſic; illa medietas ignis, quæ repatitur a paſſo, movebitur ab ipſo ad frigus, & in eodem ipſo tempore ipſa ignis medietas movebitur ad calorem ab altera ipſius ignis medietate, quæ non repatitur; ergo eadem ignis medietas ſimul mo-

vebi-

vebitur ad frigus, & ad calorem, & conſequenter motibus contrariis. Reſp. neg. ſequel. majoris, & ad eius probationem dicimus, quòd priùs debet paſſum frigidum producere frigus in parte repatiente ignis, quàm quòd pars ignis non repatiens agat in partem repatientem: ergo pars ignis repatiens non patitur ſimul à paſſo frigido, & à parte ipſius ignis non repatiente. Ratio huius eſt, quia pars non repatiens nequit agere in partem repatientem, niſi hæc ſit diſſimilis illi; ſed pars ignis repatiens non eſt diſſimilis parti ipſius non repatienti, niſi per frigus inductum in illam a paſſo frigido; g. pars ignis repatiens debet prius frigeſieri à paſſo frigido, quàm quòd caleſiat à parte ipſius ignis non repatiente; non ergo talis pars repatiens motibus contrariis ſimul movetur, ut ex. iſta ſolutione apertè conſtat..

4 Arg. 2. vel illa agentia, inter quæ datur actio, & reactio, ſunt æqualia, vel inæqualia? Si æqualia: g. neutrum aget, omnis enim actio debet eſſe à proportione maioris activitatis. Si inæqualia: g. ſolùm aget fortiùs; proindeque non dabitur reactio. Reſp. quòd ad actionem non ſemper requiritur maior activitas in agente, quàm activitas in paſſo, ſed ſolùm maior activitas in agente, quàm reſiſtentia in paſſo, ad hoc enim, ut frigidum ut quatuor v. g. reagat in calidum ut ſex, non eſt neceſſarium, quòd activitas frigidi ſit maior, quàm activitas calidi, ſed ſolùm, quòd activitas frigidi ſit maior, quàm reſiſtentia calidi; quod quidem ſic eſt, quia, ut in ſuperioribus diximus, quo maior eſt activitas alicuius, eo minor eſt ipſius reſiſtentia.

5 Arg. 3. ſi ignis v. g. habens ſeptem gradus caloris applicaretur ſtupæ unum gradum frigoris habenti, ignis profectò ageret in ſtupam, & hæc non reageret in illum: g. agens in agendo non ſemper repatitur. Prob. antec. quia ille

unicus gradus frigoris nequit agere in ignem; nec ante, nec ſimul, nec poſtea; g. Prob. ant. non antea; nam unus gradus frigoris non eſt tam activus, ac gradus caloris. Non ſimul; quia tunc iam non eſt ille gradus frigoris, ſiquidem tunc producitur gradus caloris incompatibilis cum illo. Non denique poſtea, nam cùm iam ſit introductus in ſtupa calor in ſummo, certum eſt, iam eſſe expulſum ab ea talem frigoris gradum: g. nullatenus poteſt dari reactio. Reſp. breviter, quòd in eodem tempore expellitur frigus, & repatitur calidum, quia cùm quivis gradus ſit diviſibilis, ac proinde illius expulſio ſucceſſivè fiat, licet calidum incipiat agere in frigidũ, expellendo aliquid frigoris ab eo, aliquid tamen frigoris manet reagens in ipſum calidum. Dicens, quòd ſi frigus ſit maximè exiguum, & calidum illud expellere incipiat, totum frigus ſimul expelletur: ergo &c. Reſp. neg. antec. quia ſicut agens ad agendum, requirit multitudinem partium, ita paſſum ad patiendum; unde frigus quantocumque exiguum ſit, debet habere partes, proindeque alterationem ſucceſſivam terminare poteſt.

LIBER SECUNDUS

DE GENERATIONE, ET CORRUPTIONE.

AGit. Ariſt. in hoc ſecundo lib. tam de elementis, quàm de eorum mixtis, de quibus aliqui RR. adeò prolixam inſtituunt diſputationem, ut ſatis difficilem captu naturam proponant elementorum, quam nos maiori, qua poterimus brevitate, ac claritate per ſequentes diſputationes proponere conabimur. Pro quibus ſit

DISP. I.

De elementis, primiſque qualitatibus.

CVm omne mixtum ex elementis coaleſcat, ideò antequam quòd ad indagandam mixti naturam deveniamus, de natura elementorum prius diſceptationem inſtituimus. Pro qua ſit.

QUÆSTIO I.

Quid, quotuplexque ſit elementum?

1 ELementum bifariam accipi poteſt. Primò pro primis principiis, præſertim intrinſecis cuiuſcumque rei; quo pacto literæ ſolent dici elementa ſyllabarum, & orationis, & materia, & forma, elementa compoſiti phyſici. Secundò (& in propria, ſtrictaque acceptione) ſumitur elementum pro corpore completo, ſimplici, & apto, ut

ex

ex illo mixtum efficiatur, uti ſunt ignis, aqua, aer, & terra. Quo præmiſſo.

2 Dicimus 1. ad quæſt. elementum ſtrictè, & propriè acceptum ſic definitur ab Ariſt. lib. 3. de Cœlo tex. 13. *Elementum eſt corpus, in quod cætera corpora dividuntur, in quibus ineſt actu, vel potentia; ipſum autem eſt indiviſibile ſecundùm ſpeciem.* Ut hæc definitio plane percipiatur, ac proinde elementi natura clarè agnoſcatur, illius verba ſigillatim ſic exponuntur. Ly *corpus* ponitur loco generis per quod elementum convenit cum mixtis; ſumitur tamen hic completè, eo quòd elementum eſt corpus completum conſtans materia, & forma ſubſtantiali; ex quo excluduntur à ratione elementi prima principia, quæ ſunt corpora incompleta. Illæ particulæ *in quod cætera corpora dividuntur*, ut denotetur, quòd mixta per alterationem in elementa, reſolvi poſſunt, hæc autem in nulla alia corpora reſolvuntur. Illa deinde verba, nempè, *in quibus ineſt actu, vel potentia*, ponuntur ad denotandum, quòd elementa manent ſive formaliter, ſive virtualiter juxta varias opiniones in diſp. ſeq. examinandas, in mixto. Vltimæ denique particulæ, ſcilicet, *ipſum autem eſt indiviſibile ſecundùm ſpeciem*, innuunt, quòd eſt de formali ratione elementi non poſſe dividi, ſeu reſolvi in plura corpora ſpecie differentia, etſi enim aqua v. g. poſſit dividi in plures partes integrales, quarum quævis ſit corpus; tales tamen partes non ſunt corpora ſpecie diverſa. Item, etſi dividi poſſit in partes phyſicas eſſentiales, non tamen tamquam in duo corpora; quia materia, & forma ſunt quidem principia corporum, ipſæ tamen corpora non ſunt.

3 Dicimus 2. quadruplex datur elementum, nimirum ignis, aqua, terra, & aer. Hæc concl. ſæpè inſinuatur à ſubtili D. illamque docet

Ariſt.

Ariſt. quem ferè omnes Philoſ. ſequuntur contra aliquos excludentes ignem à ratione elementi. Verum quidem eſt, neutram ex his ſententiis aliquod robuſtum habere fundamentum à ratione deſumptum, nos autem præpoſitam concluſionem eligimus; ne à tam communi Philoſophorum conſenſu deviemus. Hanc concluſ. probat experientia, videmus enim dari ignem, aquam, terram, & aerem: g. &c.

4 Prob. 2. ratione à poſteriori ex Ariſtot. hic text. 16. in rerum natura tantum exiſtunt quatuor combinationes connaturales primarum qualitatum, nempè caloris, frigiditatis, ſiccitatis, & humiditatis: ergo tantum ſunt quatuor elementa, quibus hæ combinationes connaturaliter conveniant, ſed hæc ſunt elementa prænumerata: ergo. Prob. antec. nam iſtæ ſolum naturales combinationes inveniuntur, ſcilicet, calidum, & ſiccum, calidum, & humidum, frigidum, & ſiccum frigidum, & humidum, ſi quæ enim aliæ excogitari poſſunt, non naturales, ſed violentæ ſunt: ergo tantum dantur quatuor naturales primarum qualitatum combinatienes. Prob. prima conſeq. quia quævis connaturalis primarum qualitatum combinatio exigit aliquod corpus primum, ſeu ſimplex, cui naturaliter inſit, ſicut quævis naturalis temperies, ſeu mixtura harum primarum qualitatum exigit aliquod mixtum, in quo naturaliter ſit: ſed ſolum ſunt quatuor illarum combinationes, ut manet oſtenſum: ergo, & tantum quatuor dantur elementa.

QUÆSTIO II.

Quid ſint quatuor primæ qualitates, & quomodo elementis conveniant?

1 Dicimus 1. primæ qualitates ſenſibiles (de quibus in præſenti eſt ſermo) ſic in communi poſſunt definiri, *ſunt quæ neque ex ſeſe neque ex aliis, ſed ex ipſis omnes aliæ qualitates fiunt*. Hæc definitio deducitur à ſimili ex definitione primorum principiorum, quam in Phyſica expendebimus. Ex quo ſequitur, quod primæ qualitates tangibiles tantum ſunt illæ quatuor quæſt. præceden. numeratæ. Ratio eſt, quia tantum his convenit præjacta definitio, ut ſingulas illius particulas perpendenti patebit. Cuius circa primam conditionem dicimus, unam qualitatem non poſſe fieri ex alia contraria, nam cum inter ſe ad invicem pugnent, certum eſt, unam ex alia fieri non poſſe. Quod autem neque ex non contraria poſſit fieri, probatur: nam juxta Ariſtot. in hoc lib. ſiccitas coniungitur cum ſummo calore in igne, humiditas cum ſumma frigiditate in qua; calor cum ſumma humiditate in aere; frigiditas cum ſumma ſiccitate in terra: g. non fiunt, neque humiditas ex calore, neque ſiccitas ex frigore, neque frigiditas ex humiditate, ac proinde omnes prædictæ qualitates ſunt æquè primæ.

2 Circa 2. conditionem, nempè, quod non fiant ex aliis, non eſt dubium competere hoc prædictis qualitatibus, non enim aſſignari poteſt aliqua qualitas ex tangibilibus, ex qua aliqua ex quatuor prædictis oriatur, ſeu fiat. 3. conditio ſcilicet, quod omnes aliæ qualitates ex ipſis fiant, docetur ab Ariſtot. hic cap. 2. ubi inquit, tenue oriri ex humido,

craſſum ex ſicco, molle ex humido, durum ex ſicco, lubricum ex humido, aridum ex ſicco, lene ex humido, aſperum ex ſicco: quòd non eſt ita intelligendum, ut ex ſingulis primis qualitatibus proveniant ſingulæ ſecundæ; cùm certum ſit provenire ex combinatione, ſeu mixtione utriuſque qualitatis contrariæ; ſed aſſignatur ab Ariſt. illa, quæ prædominatur. Deinde, ſi prædictis addamus, ex calore oriri raritatem, & conſequenter levitatem; ex frigore denſitatem, ac proinde gravitatem, manet manifeſtum, omnes ſecundas qualitates tangibiles oriri ex quatuor prædictarum permixtione; conſequenterque, &c.

3 Dicimus 2. quatuor primæ qualitates ſic in ſpeciali definiuntur ab Ariſt. hìc, text. 8. calidum eſt; *quod congregat ea, quæ ſunt ejuſdem generis*. Frigidum eſt, *quod conjungit, & congregat ſimiliter, & ea, quæ ejuſdem generis, & quæ non ejuſdem generis*. Quæ ut benè intelligantur, advertere oportet, quòd ly *congregat* idem eſt in præſenti, ac ſimul unire, & coadunare; & ly *ejuſdem generis*, non accipitur pro his, quæ ſunt ejuſdem ſpeciei, ſed pro his, quæ aſſimilantur in aliquibus accidentibus, ſeu affectionibus, cujuſmodi ſunt fluxibilitas, liquabilitas, &c. Et eodem modo per oppoſitum intelliguntur illa verba, *& quæ non ejuſdem generis*. Bonitas prædictarum definitionum aliquibus patet exemplis; quando enim per calorem liquantur metalla, coadunantur inter ſe omnes partes conſimiles auri v. g. vel argenti, & ſegregantur ab impuritatibus, ſcoriis nempè, aliiſque partibus terreſtribus; ſimiliter pix, & cera per calorem liquantur; è contrario autem frigus congregat omnia, ut patet in congelatione, ubi ſimul adunantur in glacie aqua, & paleæ, ligna, lapides, &c.

4 Humiditas, & ſiccitas ſic ab Ariſt. ubi ſup. text. 9. definiuntur: *Humidum autem, quod inter-*

terminabile proprio termino, facile terminabile existens. Siccum autem facile terminabile proprio termino difficulter autem terminabile. Ex prædictis Ariſt. definitionibus ſat difficilibus captu, ſic omnes quatuor primas qualitates communiter Philoſ. definiunt. *Calor eſt qualitas, qua congregat homogenea, & ſegregat heterogenea. Frigus eſt qualitas, qua congregat homogenea, & heterogenea. Humiditas eſt qualitas, reddens corpus difficile terminabile termino proprio, facile alieno. Siccitas eſt qualitas reddens corpus facile terminabile termino proprio, difficile alieno.* Quod dicitur de humiditate patet in aqua, & aere, quæ difficulter terminis propriis continentur, cum omni ex parte effluant, & dilabantur; facilè autem ſe accomodant terminis alienis, ut vaſibus, &c. De ſiccitate patet etiam in lapide, aliiſque huiuſmodi, quæ facile, ac tenaciter proprias retinent figuras, difficulter tamen ad figuras alterius corporis accommodari patiuntur.

5 Dicimus 3. pro ſecundo, quod quæſt. inquirit; quatuor primæ qualitates hoc ordine conveniunt elementis, nimirum, igni calor in ſummo, & ſiccitas propè ſummum; aeri humiditas in ſummo, & calor propè ſummum; aquæ frigiditas in ſummo, & humiditas propè ſummum; terræ ſiccitas in ſummo, & frigiditas propè ſummum. Sic communiter Philoſ. Ratio, ob quam quodvis elementum duas qualitates habere debeat, eſt quia inter illa debent dari mutua actio, mutuaque reactio ad generationem mixti; ſed hoc fit mediis qualitatibus contrariis, tam activis, quam paſſivis; alioquin nequirent ſe per mutuam actionem, & repaſſionem ſeſe mutuo diſponere ad mixti generationem, ut per ſe patet; ergo &c. Deinde, cum elementa ſint taliter diſpoſita, quod unum ſic contiguum alteri, eſt neceſſarium, ut unum habeat qualitatem ſimilem, & eiuſdem ratio-

nis

nis eum qualitate alterius elementi ſibi contigui ſi enim ſolùm haberet qualitatem contrariam, elementa contigua eſſent in continua pugna; ac tandem univerſum ex eis conſtans facilè rueret; ſed per unicam qualitatem nequit unum elementum alteri contrariari, & aſſimilari; g. quod quodlibet duas habeat qualitates, neceſſe eſt. Rationes, quibus probatur, prædictas qualitates ſuprapoſito ordine convenire elementis, omittimus, quia apud RR. latè propoſitas videri poſſunt.

6 Hic advertere oportet pro quæſt. complementum, quod qualitas, quæ eſt in aliquo elemento in gradu propè ſummum non admittit ſecum aliquos gradus qualitatis contratriæ; v.g. ſiccitas, quæ eſt in igne in gradu propè ſummum, non admittit in illo aliquos humiditatis gradus. Cuius ratio eſt; quia alias elementum non poſſet dici tale ſimpliciter, & in ſtatu perfecto: ſed ſolum ſecundum quid, in ſtatu corruptionis, & in via ad mixtum, ſiquidem admitteret admixtionem qualitatis contrariæ ſibi. Deinde etiam adverti debet, quod dictæ qualitates non ſunt formæ eſſentiales elementorum. Huius ratio eſt; quia elementa ſunt corpora, etſi ſimplicia, ſubſtantialia tamen; ſed prædictæ qualitates ſunt accidentia, ut nulli eſt dubium: g. &c. Plura alia circa prædicta fortè hic deſiderabuntur, ſed quia parum controvertibilia, & quia ad noſtrum propoſitum præattacta ſufficiunt, illa brevitati conſulendo, ommittimus; eo, vel maximè, quia apud Noſtrates, & alios videri poſſunt.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Utrùm quodlibet elementum ex quovis alio generari poſſit?

1 PRo quæſt. intelligentia notandum eſt, quod in duplici ſenſu illa exagitari poteſt. Primò attenta ſolum propria, & innata natura, ſeu virtute, quam unumquodque elementum habet, tam ad agendum in aliud, quam ad patiendum ab alio. Secundò conſiderando non ſolùm prædictam virtutem, ſed etiam alias cauſas, ſeu circumſtantias, à quibus prædicta elementorum virtus diſponi, vel juvari poteſt ad agendum, & patiendum.

2 Notandum eſt 2. quod elementa alia ſunt ſymbola, diſsymbola alia. Symbola ſunt, quæ in aliqua qualitate inter ſe conveniunt. Cujuſmodi ſunt ignis, & aer, qui conveniunt in calore; aer, & aqua, quæ in humiditate conveniunt. Diſsymbola elementa ſunt illa, quæ in utraque qualitate, tam quæ eſt in ſummo, quam quæ eſt in prope ſummum, ut ignis, qui eſt calidus, & ſiccus, & aqua, quæ eſt frigida, & humida; aer, qui eſt humidus, & calidus, & terra, quæ eſt ſicca, & frigida. Præſens igitur quæſt. de elementis, tam ſymbolis, quam diſsymbolis, procedit, inquiritque, an quodvis illorum ex quolibet alio immediatè generari poſſit? Pro qua.

3 Dicimus 1. in primo ſenſu notab. 1. jam explicato, nequit unum elementum in aliud, ſive ſymbolum, ſive diſsymbolum immediatè converti. Prob. hæc concluſ. ex ipſa experientia; attenta enim ſolum innata elementorum virtute, numquam experimur, unum elementum in aliud immediatè converti, licet ſint contigua, ac proinde ad agendum, & pa-

patiendum ſufficienter approximata; aliàs per ſolam aeris applicationem verb. grat. ignis in ſuo eſſe conſervari poſſet, ſicut per applicationem combuſtibilium conſervatur: ſed hoc non ita evenit, ut conſtat: g. ideò eſt, quia unum elementum in aliud, attenta utriuſque innata virtute, immediatè converti non poteſt. Eò, vel maximè, quia etſi ignis verb. gr. habeat calorem in ſummo, & ſiccitatem propè ſummum, mediis quibus poteſt agere in aliud ſubjectum, ipſumque ultimò diſponere ad ignis generationem; in aliud tamen diſsymbolum, cujuſmodi eſt aqua (ſi aliunde ei juvamen non præſtetur) id agere non poteſt, eò quòd in aqua eſt frigiditas ſumma, & humiditas propè ſummum, quæ igni adeò reſiſtent, ut illas (ſi cætera paria ſunt) ſuperare non poſſit. Idem in elementis ſymbolis exemplificari poteſt. Contra hanc concluſ. ſolùm videntur poſſe militare ea, quæ adducemus pro ſequenti.

4. Dicimus 2. in ſecundo ſenſu ex duobus poſitis notabili 1. quodvis elementum in quodlibet aliud, ſive ſymbolum, ſive diſſymbolum, immediatè converti poteſt. Sic communiter Philoſ. cum Ariſtot. hìc cap. 4. contra aliquos, quos citat, & impugnat noſter Maſt. de gener. & corrupt. diſput. 6. quæſt. 2. numer. 7. probatur ergo hæc concluſ. aſſignando cauſas, ſeu circumſtantias, à quibus elementum juvari poteſt, ut aliud in ſe immediatè convertat. Prima eſt magnitudo elementi agentis, & parvitas illius, in quod agit. Ratione hujus ſæpè contingit, quòd unum elementum convertat in ſe aliud, non ſolùm ſymbolum, ſed etiam diſſymbolum, ut quando gutta aquæ injicitur in magnum ignem, quæ immediatè in ignem convertitur. Secunda eſt denſitas elementi agentis, & raritas contrarii, quod patet aliquo modo in

aqua

aqua, quæ magis humectat terram, quam aer, etſi iſte ſit humidus in ſummo, & illa tantùm in gradu propè ſummum, cuius non alia ratio videtur, niſi quod aqua eſt denſior aere. Et contingere ſolet: quod hoc iuvamine unum elementum in ſe convertat aliud, quod aliàs ſua innata virtute convertere non poſſet: patet hoc in terreſtribus exalationibus (quæ etſi valde raræ ſint, retinent tamen formam terræ in via tamen corruptionis) ſæpè converſis in aquam à vaporibus aqueis (qui adhuc etiam retinent, etſi in via corruptionis, formam aquæ) licet terra ſit ſicca in ſummo, & aqua humida propè ſummum: cuius cauſa alia eſſe non poteſt, niſi denſitas vaporum, & raritas exalationum. Aliæ cauſæ, ſeu circumſtantiæ aſſignari poſſunt ad hoc, ut unum elementum aliud in ſe immediatè convertat, quod aliàs propria innata virtute convertere non poſſet, ut illas indaganti patebit.

5. Arg. contra ſecundam concluſ. ut unum elementum diſſymbolum in aliud convertatur, verb. gratia aqua in ignem, neceſſe eſt, tam humiditatem, quam frigiditatem aquæ remitti uſque ad quartum gradum verb. gr. paulò plus, vel minùs, antequam ipſa aqua corrumpatur; hoc enim ſucceſſivè fit; g. & eſt neceſſarium, in ipſam aquam ante corruptionem induci calorem, & ſiccitatem in iiſdem gradibus; ergo etiam erit neceſſe, aquam, priuſquam ſit corrupta, ad talem diſpoſitionem reduci, ut ſimul conſtet quatuor primis qualitatibus in quadam mediocritate intenſionis; ſed iſtæ qualitates ita attemperatæ non ſunt diſpoſitiones ad formam elementi, ſed tantum ad formam mixti, ut eſt notum; ergo &c. Reſp. conceſſis antec. & duabus primis conſeq. neg. min. ſubſumptam, quia adhuc data illa mediocritate, non infertur materiam aquæ prius recipere formam alicujus mixti, quam ignis, quia non quævis

me-

mediocritas quatuor primarum qualitatum ſufficit ad conſtituendum mixtum ; aqua enim nimis fervens, etſi habeat tales qualitates in quadam mediocritate, non ideò habet rationem mixti; ſed elementi, licet impuri, & in via corruptionis. Cuius doctrinæ ratio eſt; quia elementa quamvis in ſtatu connaturali, ac proprio omne temperamentum extranearum qualitatum excludant; in via tamen corruptionis patiuntur permixtionem quatuor qualitatum, abſque eo quod deſinant eſſe elementa, etſi in via corruptionis, & in ſtatu violento maneant, ut conſtat ex præallato exemplo aquæ ferventis.

6. Replicabis: mixtum, ut diſtinguitur ab elemento conſtituitur proportione quatuor primarum qualitatum; ſed aqua antequam convertatur in ignem, habet proportionem talium qualitatum, ut nuper diximus: g. & habet rationem mixti, antequam in ignem convertatur. Reſpond. diſting. mai. mixtum, ut diſtinguitur ab elemento, conſtituitur proportione, &c. connaturali, & permanenti, conc. præternaturali, aut violenta, neg. Diſting. etiam min. aqua, antequam convertatur in ignem, habet talem proportionem, præternaturalem, & violentam, conced. permanentem, & connaturalem, nego min. ac proinde conſeq. ſolùm enim ex præmiſſis infertur, quod aqua, ut in ignem convertatur, tranſit prius à ratione puri elementi, & à ſtatu ſibi connaturali, ad rationem elementi impuri, & ad ſtatum ſibi præternaturalem, ac violentum: non tamen, quod tranſeat ad rationem alicuius mixti, priuſquam in ignem convertatur, ut ex data diſt. conſtat.

7 Arg. 2. ex aliquibus experientiis: nam, ſi titio, aut carbo accenſus in fluvium mittatur, non fit ex illo aqua, ſed ſemper manet titio, aut carbo, licet extincto calore: g. Prob. antec.

tec. nam ut ignis convertatur in aquam, debet in ſe recipere aliquam frigiditatem, qua ſummus illius calor remittatur: ſed ignis numquam frigeſcit, ut tenent Ariſt. in poſt prædic. cap. de oppoſ. & D. Auguſt. lib. 3. Geneſ. cap. 4. g. neque convertitur immediatè in aquam. Prob. etiam idem in ſymbolis: quia ut ignis convertatur in aerem, debet hic inducere in illum aliquod frigus cum illius calore pugnans: ſed aer non poteſt inducere frigus pugnans cum calore ignis; vel quia ex ſe nullum frigus habet, vel quia etſi aliquid frigoris habeat, illud, utpotè quid adventitium, in gradu valdè remiſſo habet, proptereaque nequibit vincere ſummum ignis calorem: g. aer non poteſt in ſe immediatè convertere ignem, conſequenterque, &c.

8. Reſ. ad 1. concedendo libenter titionem, aut carbonem accenſum miſſum in fluvium, manere talem, ſed tamen ſine igne; ignis autem, qui in ipſius poris erat, aut fuit converſus in aquam, aut in aliquid ejuſdem ſpeciei ſubſtantialis cum ipſa aqua, cujuſmodi eſt exalatio, ſeu fumus aqueus. Ad illud Ariſt. & D. Aug. dicimus, illos ibi loqui de frigore prædominante, quod in igne nullum obtinet locum; cùm hoc tamen ſtat, quod materia ignis poſſit ad formam aquæ diſponi per inductionem aliquorum graduum frigoris, & humiditatis, quibus intenſis, corrumpantur calor, & ſiccitas, quæ ad ignis converſionem requiruntur. Si enim aqua ex ſe frigida in ſummo, admittit in ſe calorem intenſum, dum eſt in via ad corruptionem; cur ignis, & ſi ex ſe ſit calidus in ſummo, non admittet in ſe frigus etiam intenſum, dum ipſe ignis in corruptionem tendit? Nulla profectò eſt aſſignabilis diſcriminis ratio. Ad 2. reſpond. quòd etiam aer ratione frigoris adventitii, & aliquando intenſi, ut contingit in hieme, ſimulque ratione humiditatis, quam ex ſe habet, poteſt corrumpere calorem, & ſicci-

ſiccitatem ad ignis conſervationem neceſſariam: ac proinde illum in ſe convertere: in quo nedum nulla apparet repugnantia, verum & efficax adeſt ratio ac perſuadens, ut ex ſupradictis conſtat.

9 Dubit. utrum facilior ſit converſio unius elementi ſymboli in aliud ſymbolum, v. gr. aeris in ignem, quam unius diſſymboli in aliud diſſymbolum, v. gr. aquæ in ignem? Reſpond. affirm. cum Philoſ. hic text. 4. ubi ait: *Quæ enim ſymbolum inter ſe habent, horum celeris eſt migratio: quæ verò non habent, tarda, quod facilius ſit unum, quam multa mutari*. Prob. hoc ratione: quia elementa ſymbola non ſolum habent convenientiam in primis qualitatibus, ſed etiam in aliis, quæ juvant ad modum habendi illas; ſicut aer non ſolùm convenit cum igne in calore, ſed etiam in raritate, ratione cuius facilius recipit impreſſionem ignis, quam aqua, imò & quam terra, quæ eſt elementum ſymbolum reſpectu ignis, eo quòd aer eſt rarus, aqua verò & terra ſunt denſæ: g. facilior eſt converſio unius ſymboli in aliud ſymbolum quam diſſymboli in diſſymbolum. Patet conſeq. quia in iis ambæ eorum qualitates pugnant, in illis autem tantum una.

10 Confirm. nam in elementis ſymboli tantùm opus eſt tranſmutatione unius qualitatis, in diſſymbolis verò duplicis qualitatis tranſmutatio eſt neceſſaria: ſed per ſe loquendo, facilius eſt, unam qualitatem, quam duplicem tranſmutari; erg. & converti ſymbolum in ſymbolum, quam in diſſymbolum Major patet inductione; quia ut igne fiat aer (quæ ſunt ſymbola) ſolum requiritur tranſmutatio ſiccitatis ignis convertendo illam in humiditatem aeris; in calore enim ambò conveniunt. Et, ut ex aere fiat aqua (quæ etiam ſunt ſymbola) ſufficit, quod per aquæ frigiditatem calor aeris corrumpatur, ſiquidem in hu-

humiditate conveniunt. Ut autem aqua convertatur in ignem (quæ ſunt diſſybola) neceſſe eſt, tam frigus, quam humiditatem aquæ corrumpi, & in materiam aquæ calorem, & ſiccitatem induci; & ſic in cæteris diſſymbolis; erg. Maior confirmationis eſt vera. Prob. autem min. quia ut elementum diſſymbolum aliud diſſymbolum in ſe convertat, neceſſe eſt, quòd per duplicem ipſius qualitatem ſimul operetur intensè: ſed hoc eſt difficiliùs, quam per unicam tantùm; agens enim naturale, dum vehementer conatur exercere operationem alicuius potentiæ, nequit adeò intensè alterius operationem exercere, unde ortum habuit, quod *pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*; ergo facilior eſt, per ſe loquendo tranſmutatio unius, quam duplicis quantitatis oppoſitæ.

11 Dices: non eſt difficilius, duo contraria vinci à duobus contrariis, quam unum ab uno, ut per ſe patet: ſed in converſione unius ſymboli in aliud ſymbolum una qualitas pugnat contra unam, & in converſione diſſymboli in diſſymbolum duæ contra duas pugnant, ergo non eſt difficilior hæc, quam illa. Reſpond. quod, etſi per ſe loquendo, & cæteris paribus, hoc verum ſit, non tamen quando cætera diſparia ſunt, ut in caſu propoſito contingit; quia, ut num. præced. dicebamus, facilius eſt, elementum ſymbolum intensè operari totas ſuas vires exercendo per unicam qualitatem, quam elementum diſſymbolum intensè per duas qualitates contra alias duas ſimul operari, ut exprimit præfatum axioma: *Pluribus intentus, &c.* ergo etſi per ſe loquendo, & cæteris paribus, non ſit facilior converſio unius ſymboli, in aliud ſymbolum, quam unius diſſymboli in aliud diſſymbolum, bene tamen, quando cætera ſunt diſparia, ut evenit in noſtro caſu.

12 Pro-

12 Pro aliorum ſolutione argumentorum advertere oportet, quod quando unum elementum ſymbolum aliud ſymbolum vincit, & in ſe convertit, per ſe corrumpit qualitatem oppoſitam qualitati ſibi connaturalem; & per accidens deſtruit etiam qualitatem qua ſecum convenit. Verb. gratia quando ignis vincit, & in ſe convertit aerem, corrumpit per ſe humiditatem aeris, quæ opponitur ſiccitati ipſius ignis, per accidens verò corrumpit etiam aeris calorem, in quo aer convenit cum igne. Ratio, ob quam non deſtruit per ſe qualitatem, in qua convenit cum illo, eſt, quia nihil per ſe deſtruitur niſi per ſuum oppoſitum; ſed calor aeris non eſt oppoſitus calori ignis, ut per ſe patet; ergo &c. Ratio verò, propter quam illam per accidens deſtruit, eſt, quia hoc ipſo, quod ignis corrumpit totam humiditatem aeris, totum aerem corrumpit, ut per ſe conſtat; ſed deſtructo toto compoſito, omnia illius accidentia deſinunt eſſe; nam ſubjectantur in toto compoſito, ut in lib. præced. dicebamus; ergo deſtructo aere, illius calor, qui eſt accidens ejus, etiam corrumpitur; ſed non corrumpitur per ſe ut ſup. oſtendebamus: ergo ſaltim per accidens corrumpitur.

13 Dubit. an ex duobus elementis aliud tertium ſpecie diſtinctum generari poſſit? Reſpond. ſub diſtinct. nam ſi ſint elementa ſymbola, nequit ex illis aliud ab eis ſpecie diſtinctum generari. Ratio eſt, quia ut ex duplici elemento aliud ſpecie diſtinctum generetur, debent in hoc manere aliquæ utriuſque qualitates; ſed in ſymbolis hoc nequit evenire; erg. Prob. min. exemplo duorum nempe ignis, qui eſt calidus, & ſiccus; & aeris, qui eſt humidus, & calidus; nam ut ex iis aliquod tertium ſpecie diſtinctum, generetur, debet manere in hoc, aut ſolus calor, in quo ignis, & aer

conveniunt; & hoc non ſufficit, ut generetur aliud elementum; nam unica ſola qualitas non eſt diſpoſitio ſufficiens, ut reſultet elementum quod eſt perſpicuum; aut manebunt ſiccitas ignis, & humiditas aeris; nihil enim aliud ex illis poteſt manere; ſed ſiccitas, & humiditas ſunt qualitates contrariæ, conſequenterque diſpoſitiones ineptæ ad quodvis elementum; g. ex elementis ſymbolis nequit aliud tertium ab eis ſpecie diſtinctum generari.

14 Si autem duo elementa diſsymbola ſint, benè aliud tertium ſpecie, ab eis diſtinctum (inſpecta natura qualitatum eorum, etſi aliunde non repugnet) ex illis generari poteſt, Sic videtur tenere Ariſtot. hic cap. 4. text. 27. Et ratio eſt; nam ſi duo diſsymbola, verb. gratia ignis, & aqua ad invicem æqualiter pugnent ignis ratione caloris deſtruet frigiditatem aquę & aqua ratione humiditatis deſtruet ſiccitatem ignis, ergo tertium ex utroque reſultans non poteſt accipere ab illis ſiccitatem, aut frigiditatem, iſtæ enim in pugna perierunt; ſed ſolam aquæ humiditatem, & ignis calorem; atqui calor, & humiditas ſunt propriæ diſpoſitiones aeris: ergo ex mutua pugna ignis, & aquæ, quæ ſunt elementa diſsymbola (attenta ſolum qualitatum natura) poteſt generari aliud ſpecie ab eis diſtinctum, nempè aer. Notanter hanc aſſertionem ſtabiliendo appoſuimus illa verba; *Inſpecta natura qualitatem eorum etſi aliunde non repugnet*, per quæ advertere intendimus, quod, ſi prædictæ qualitates diſsymbolorum, quæ per ſe non fuerunt corruptæ, maneant poſt pugnam, ſunt ex natura ſua ſufficientes diſpoſitiones, ut aliud elementum ſpecie diſtinctum ex eis reſultet, ut ibi patet. Si autem generatio talis elementi ſpecie diſtincti ex corruptione aliorum duorum, aliunde repugnet, ut v. gr. ex eo, quod ex elementis jam corruptis nihil poteſt genera-

ri,

ri, nam omnia illorum accidentia, ipſis corruptis, deſinunt eſſe, ut num. 12. dicebamus, vel ex eo, quod ex duabus qualitatibus æque intenſis alteram non videtur ab altera poſſe vinci, nam ſi hæc habet activitatem in ſummo illa in ſummo habet reſiſtentiam; vel ex aliquo alio repugnet capite, hoc non erit contra nos, qui loquimur de talibus qualitatibus (ex hypotheſi, quod maneant) quæ ex natura ſua ſunt ſufficientes diſpoſitiones ad alterius elementi reſultantiam, ut ſup. præveniebamus.

QUÆSTIO IV.

Utrum duæ qualitates contrariæ poſſint ſimul eſſe in eodem ſubiecto?

1 LOquimur in præſenti de qualitatibus materialibus; non autem de ſpiritualibus, ut ſunt aſſenſus, & diſſenſus; amor & odium circa idem obiectum; iſtæ enim ſunt indiviſibiliter oppoſitæ, propterea que in quovis gradu illius ſimul eſſe repugnat; quæ qualitates materiales ſucceſſivè acquiruntur, ut ſæpè diximus. Et pro hac circa illas difficultates, debet ſupponi (ut certa ab incertis ſeparemus) illas in gradibus ſummis non poſſe ſimul naturaliter compati in eodem ſubiecto. Patet hoc experientia; ſentimus enim, aliquid frigoris remitti in aqua verb. gr. quãdo ei applicatur agens calidũ: ſed hoc non ita eveniret, ſi poſſent naturaliter ſimul eſſe, ut patet: ergo. Huius experientiæ ratio eſt, quia huiuſmodi qualitates oppoſitæ in aliquibus gradibus exigunt effectus incompatibiles: ergo in aliquibus gradibus ſunt incompatibiles inter ſe; ſed non in remiſſis, ut ſtatim dicemus: ergo in ſummis. Quo ſuppoſito.

2 Dicimus 1. ad q. qualitates contrariæ poſſunt ſimul naturaliter eſſe in eodem ſubiecto, in gradibus remiſſis. Sic Scotus in 1. diſtinct. 17. quæſt. 5. §. *Contra iſtam opinionem*, ante lit. XX. Prob. nam idem agens, v. gr. ignis poteſt agere, & repati ſecundum eandem ſui partem; ſed non poſſet ſic agere, & repati, niſi duo contraria ſimul eſſent in eo, ſaltim in gradibus remiſſis; quia neceſſariò habet qualitatem, ſecundum quam agit, & qualitatem contrariam, ſecundum quam repatitur; g. habet has qualitates ſimul, ſaltim in gradibus remiſſis. Confir. quia experimur aquam tepidam calefacere, & frigefacere; calefacit enim manum minus frigidam, & frigefacit manum valde calidam; ſed hoc non poſſet facere, niſi ſimul calorem, frigusque haberet, ſaltim in gradibus remiſſis; g. &c.

3 Argum. contra hanc concluſ. magis opponuntur calor,, & frigus in quolibet gradu, quam majus, & minus frigus; ſed majus, & minus frigus nequeunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto; g. neque calor; & frigus adhuc in gradibus remiſſis. Confirm. quia eodem modo opponuntur duæ qualitates contrariæ in gradibus remiſſis, ac in gradibus intenſis; ſed, ut ſupr. diximus, nequeunt naturaliter ſimul eſſe in gradibus intenſis; ergo neque in remiſſis. Reſpond. ad arg. quod licet calor, & frigus magis opponantur, ſeu pugnent penes ſuas entitates, quam majus, & minus frigus; non vero in ratione compatibilitatis in eodem ſubiecto; cuius ratio eſt, quia etſi majus, & minus frigus non opponantur contrariè, opponuntur tamen relativè, de cuius oppoſitionis ratione eſt non poſſe verſari, tamquam inter fundamentum, & terminum, inter unicum tantum ſubiectum, ſed inter duo extrema realiter diſtincta; unde utraque ratio fundandi utramque hanc oppoſitionem eſt incompatibilis in eodem ſubiecto; non autem duplex

qua-

qualitas contraria in gradibus remiſſis. Et eo, vel maximè majus, & minus frigus ſunt incompatibilia in eodem ſubiecto, quia ſi hoc jam habet frigus majus omninò ſuperfluit aliud frigus minus, iſtudque nihil tali ſubiecto formaliter præſtaret, & cum repugnet, formam eſſe in ſubiecto, quin illud informet, repugnat etiam, quod ſubiectum habens majus frigus aliud frigus minus in ſe recipiat. Ad confirm. reſpond. conceſſis maj. & min. neg. conſeq. ex illis enim præmiſſis ſolum infertur, quod qualitates contrariæ in gradibus remiſſis nequeant eſſe in eodem ſubiecto in ſtatu quieto, & pacifico, non verò in ſtatu mutuæ expulſionis, & pugnæ; & cum huiuſmodi pugna, ſeu expulſio ſucceſſiva ſit, neceſſariò toto tempore, quo durat, ſunt tales qualitates in gradibus remiſſis ſimul.

4 Argum. 2. magis repugnat calor, & frigus in quocumque gradu, quam duo frigora, etiam in gradu quocumque; ſed nec duo frigora in ſummo, nec unum in ſummo, & aliud in remiſſo ſimul eſſe poſſunt in eodem ſubiecto; g. nec frigus, & calor in aliquo gradu. Reſpond. diſting. mai. magis repugnant calor, & frigus, &c. ex natura ſua intrinſeca, concedo; ex aliqua extrinſeca ratione, nego mai. Et ſimiliter diſtincta min. negat. conſeq. Duo igitur frigora in ſummo, & unum in ſummo, & aliud in remiſſo ſolum repugnant, quia nullum eſt agens, quod ea producere, nec paſſum, quod ea exigere connaturaliter poſſit; non vero ex eo quod ex natura ipſorum aliqua ſit repugnantia: quod omnè patet ex eo, quod numquam unum frigus aliud expellit, & ex eo, quod numquam poteſt produci frigus in ſubiecto habente aliud ſummè intenſum: cæterum calor, & frigus, & ſi habeant incompatibilitatem in gradibus intenſis, non tamen in remiſſis, ut oſtenſum eſt. Si autem, quaſi replicando, ex concluſ. inferatur,

 tur,

tur, idem ſimul moveri motibus contrariis; hoc libenter concedimus, nam in eo nullum eſt inconveniens; non enim eſt major incompatibilitas motuum, quam eorum terminorum: ſed termini, nempe qualitates contrariæ in gradibus remiſſis, non ſunt incompatibiles: g. neque motus ad illas.

5 Dicimus 2. qualitates contrariæ in gradibus intenſis poſſunt de potentia Dei abſoluta ſimul eſſe in eodem ſubiecto. Sic Scotus loco concluſ. præced. allegato. Prob. nam qualitas nullum effectum formalem actualem habet, qui ſit incompatibilis cum effectu formali actuali qualitatis contrariæ: g. poſſunt eſſe ſimul de potentia abſoluta. Patet conſeq. & antec. prob. quia effectus formalis actualis caloris eſt ipſiuſmet communicatio, media qua reddit ſubiectum calidum, & poteſt producere alium calorem; & eſt etiam effectus illius expellere frigus; & frigus per oppoſitum nullos habet effectus præter hos: ſed communicationes harum contrariarum qualitatum non ſunt incompatibiles, niſi quatenus effectus ab illis provenientes incompatibiles ſunt: ergo ſi iſti non ſunt incompatibiles, neque illæ: ſed iſti incompatibiles non ſunt: ſiquidem poſſe producere frigus non involvit incompatibilitatem cum poſſe producere calorem: idem enim ſimul poteſt habere potentiam ad oppoſita, ut voluntas ad velle, & nolle; g. neque ſunt incompatibiles ipſæ communicationes. Præterea, nam etſi actualis excluſio frigoris ſit incompatibilis cum ipſo frigore, excluſio tamen frigoris non connectitur indiſpenſabiliter cum calore, quia excluſio frigoris habetur formaliter per negationem concurſus conſervantis ipſum frigus, quæ negatio poſſet eſſe, etiam ſi calor non ineſſet ſubjecto, & quamvis calor exigat naturaliter frigoris expulſionem, poteſt tamen illi denegari de potentia abſoluta concurſus ad illam, ut contingit

git in pluribus, quibus ſupernaturaliter denegatur id, quòd connaturaliter exigunt, eo vel maximè, quia talis expulſio eſt effectus formalis caloris, non tamen primarius, ſed ſecundarius tantùm, ut dubitat nullus. Hæc concluſ. amplius corroborari poteſt ex dictis in lib. 1. Phyſic. circa ſimultaneam inexiſtentiam duarum formarum ſubſtantialium in eadem materia.

6. Argum. 1. ex Ariſtot. 4. met. text. 27. ubi ait, quòd ſi contraria eſſent ſimul, etiam eſſent contradictoria; ſed hæc omninò implicat ſimul coexiſtere circa idem; ergo & illa. Et confirm. ex Scoto, qui aliquibus in locis idem tenere videtur; ergo &c. Reſpond. ad arg. quòd Ariſtot. nullatenus potentiam Dei abſolutam agnovit, ideòque nil mirum, quòd eodem modo de contrariis, ac de contradictoriis loquatur, ſi enim effectus formalis ſecundarius contrariorum per talem potentiam abſolutam impediatur, non eſt dubium, quin ex illorum coexiſtentia, inferatur, conſequenter coexiſtentia duplicis contradictorii (*naturaliter loquendo*) ut patebit id ſcrutanti. Ad confirm. Reſpond. Scotum, vel locutum fuiſſe *juxta* mentem Philoſ. vel cùm dicit qualitates contrarias ſimul non poſſe compati in eodem ſubjecto, ipſum loqui in ordine ad poſſe agentis creati, non verò agentis increati de abſoluta potentia operantis, ut videri poteſt in ipſis Scoti locis, quæ ad hoc adduci poſſunt.

7. Argum. 2. nequit de potentia abſoluta impediri effectus formalis formæ inexiſtentis ſubjecto; ſed expulſio frigoris eſt effectùs formalis caloris; ergo nullatenus impediri poteſt. Reſpond. diſtingu. maj. ſi enim loquatur de effectu primario, eſt vera; falſa autem ſi de ſecundario loquatur, & eodem modo diſtincta min. negat. conſeq. Igitur effectus formalis caloris eſt reddere ſubjectum formaliter cali-

dum: qui effectus implicat, quòd à Deo impediatur, dum calor inhæret ſubjecto, expulſio autem frigoris eſt effectus formalis, ſed ſecundarius, & veluti extrinſecus ipſi formæ, & primario hujus effectui, qui optimè ſalvatur abſque frigoris expulſione, ut ex noſtra concluſ. conſtat.

8. Inſtab. effectus formalis ſecundarius formæ eſt expulſio privationis ipſius: ſed adhuc de potentia abſoluta fieri nequit, quòd forma non expellat ſui privationem: g. effectus formalis, etſi ſecundarius, nullatenus impediri poteſt. Reſpond. admiſſa maj. & conceſſa min. diſting. conſequens: ſi talis effectus ſecundarius habeat eſſentialem connexionem cum forma, concedo; ſi talem connexionem non habeat, nego conſeq. Itaque expulſio privationis formæ habet eſſentialem connexionem cum ipſa forma, unde nequit aliquomodo fieri, quòd poſita forma, ſui privatio non deſit, at expulſio frigoris talem connexionem non habet cum poſitione caloris. Quòd omne maximè patet ex eo, quòd poteſt fieri de potentia abſoluta, quòd frigus expellatur (ſuſpendendo ſcilicet concurſum conſervantem illud) abſque eo quòd calor introducatur, non tamen fieri poteſt, adhuc de potentia abſoluta, quòd abſit privatio, abſque eo, quòd forma, cujus eſt privatio, introducatur, ut eſt evidens. Quæ ratio haud inerter oſtendit non repugnantiam ſimultaneæ exiſtentiæ duplicis qualitatis contrariæ in gradibus intenſis in eodem ſubjecto. Alia argum. quæ contra hoc poſſunt fieri, ex dictis in Phyſic. pro ſimultanea coexiſtentia duplicis formæ ſubſtantialis in eodem ſubjecto, diſſolvi poſſunt.

DIS-

DISP. II.

De mixtione elementorum.

POſtquam jam de natura egimus elementorum, ad cognoſcendam mixti naturam, conſequenter accedimus; nam cùm hoc ex elementis componatur, clarius percipietur mixta natura, elementorum jam natura comprehenſa. Sit igitur

QUÆSTIO I.

Vtrùm mixtio ſit naturaliter poſſibilis?

1 PRo huius quæſt. totiuſque diſp. intelligentia notandum eſt, quòd mixtio poteſt eſſe duplex, alia impropria, & lata, alia propria, & ſtricta. Mixtio impropria eſt localis continuatio, aut coniunctio aliquorum corporum; in quo ſenſu vulgariter ſolet dici, guttas aquæ cum aliis aquæ partibus coniunctas cum illis miſceri, aurum miſceri argento, & farinam tritici, cum farina hordei. Mixtio propria phyſica, & perfecta eſt unio plurium corporum, ſeu partium ipſorum, quæ ita inter ſe confunduntur, & alterantur per actionem, & reactionem unius in alterum, ut ex tali mutua pugna reſultet aliquod aliud tertium ſubſtantiale ſpecie ab illis diſtinctum. De hac agimus in præſenti, inquirimuſque, an ſit naturaliter poſſibilis? Quæ ſic communiter ſolet definiri; *Eſt productio alicuius tertiæ ſubſtantiæ ex mutuo congreſſu, pugna, & alteratione corporum miſcibilium* Quæ definitio eſt conformis illi, quam tradit Ariſt. in hoc lib. cap. 10. per hæc verba: *Mixtio eſt miſcibilium alteratorum unio.* Ex qua infertur, quòd, etſi ad generationem mixti non

ſit neceſſarium plura elementa concurrere, ſed ſufficere unum, ex aqua enim generantur piſces; ad mixtionem tamen, non unum tantùm, ſed ſaltim duo elementa ſunt neceſſaria; eſt enim unio alteratorum.

2 Notandum eſt 2. eſſe omninò certum, corpora miſcibilia non poſſe eſſe cauſam productivam illius tertiæ ſubſtantiæ ex illis reſultantis, nempè mixti, vel quia illa ſunt imperfectiora mixto; vel quia in eomet inſtanti in qua forma mixti producitur, formæ miſcibilium deſinunt eſſe: unde cauſæ productivæ mixti ſunt cauſæ univerſales: nulla enim alia aſſignabilis eſt, & ipſa miſcibilia ſunt cauſæ diſpoſitivæ, quatenus quodvis eorum inducit in aliud qualitates diſpoſitivas ad mixtionem. Ad quam hæ conditiones (præter alias apud RR. videndas) requiruntur. 1. eſt, quòd miſcibilia ſint plura, ut nuper dicebamus: propter quòd, quando ex uno elemento, vel ex uno mixto aliud producitur mixtum, huiuſmodi productio non eſt mixtio, ſed generatio. 2. eſt, quod miſcibilia ſint ſpecificè diverſa; aliàs non poterunt ſe invicem alterare, mutuoque corrumpere, ac proinde nec dabitur vera mixtio, ut patet, cùm una pars aquæ coniungitur cum alia. 3. eſt, quòd miſcibilia ſint mutuò activa, & paſſiva, ut ex eorum actione, & reactione reſultet mixtum ſpecie ab eis diſtinctum.

3 Dicimus ad quæſt. mixti, tam ex pluribus elementis, quàm ex aliis miſcibilibus, eſt naturaliter poſſibilis. Sic Ariſtot. hic lib. 1. cap. 10. Prob. concl. quoad 1. Part. omnia elementa ſunt ſibi ad invicem contraria, aut penes alteram, aut penes utramque ipſarum qualitatum; ergo poſſunt ſe ad invicem infringere per mutuam actionem, & reactionem,

ita

ita ut deſtruantur diſpoſitiones, ſine quibus conſervari nequeunt: ergo omnia corrumpi poterunt in ea pugna, ita ut ex eis reſultet aliquod tertium ſpecie ab illis diſtinctum. Prob. hæc conſeq. nam tertium ex illis reſultans non poteſt eſſe ejuſdem ſpeciei cum aliquo ipſorum, eo quòd caret diſpoſitionibus ad formam elementi neceſsariis; ergo erit aliquid ſpecie ab eis diſtinctum, & conſequenter verum mixtum, ut ex eius definitione conſtat. Hæc ratio etiam probat 2. p. concluſ. quia in miſcibilibus diverſæ rationis adeſt diverſa virtus activa, qua ad invicem pugnent, & conſervativas utriuſque diſpoſitiones corrumpant; ac proinde utrumque miſcibile ab eis in ſuo conſervari dependens deſtruatur, ſed eo ipſo neceſſariò reſultavit aliquod tertium (non enim datur aliqua ſubſtantialis alicuius corruptio, quin ei ſuccedat alterius generatio) quod tertium neceſsariò erit ſpecie ab illis diſtinctum, propter rationem ſupra *hic* attactam: g. &c.

4 Argum. 1. *elementa*, ut *miſceantur*, *debent recedere à propriis locis*, & conſequenter neceſſe eſt, *illa pati contra propriam inclinationem*; ſed hoc non eſt eis naturale, ſed potius violentum: ergo repugnat mixtio naturalis. Confirm. quia ſecundum Ariſtot. lib. 1. text. 83. mixtio neque eſt generatio, neque augmentatio, neque alteratio: ſed ſi eſſet poſſibilis neceſſariò ad aliquam iſtarum ſpectaret; ergo poſſibilis non eſt. Reſpond. ad argum. quòd unio elementorum, quæ fieri ſolet per motum Cœlorum, aut per alia agentia, non eſt violenta, propriè loquendo; ſed eſt naturalis reſpectu communis boni totius univerſi. Et eſto, quòd in principio ſit violenta reſpectu elementorum inter ſe pugnantium, adhuc tamen eſt ſimpliciter naturalis reſpectu

mix-

mixti ex eis reſultantis, nam hoc naturaliter reſultat ex illis talibus diſpoſitionibus ad invicem corruptis. Ad confirm. reſp. quòd mixtio eſſentialiter eſt vera generatio, quia eſt vera ex aliquo ſubſtantialis productio, diſtinguitur tamen à generatione nudè ſumpta, quia hæc tantùm connotat, tamquam principia, materiam, formam, & privationem; mixtio autem ultra hæc intrinſecè connotat pluralitatem, tam materiarum, quàm formarum, & coniunctionem earum in loco, mutuamque alterationem ipſarum per reciprocam actionem, & reactionem inter illas.

5 Arg 3. in mixtione, aut unum ex miſcibilibus eſt fortius altero, aut ambo ſunt æqualia? Si primum; g. illud, quod fortius eſt, alterum in ſe convertet, ac proinde non dabitur vera mixtio, ſed ſolùm quædam aggeneratio. Si ſecundùm: g. neutrum illorum alterum vincet; conſequenter que nec ambo miſcebuntur; g. mixtio non eſt poſſibilis. Reſp. quòd alterum ex miſcibilibus debet eſſe fortius altero, non omninò, ſed aliquomodo in tali ſcilicet proportione, ut illud non in ſe convertat, ſed ſufficienter immutet, & ipſum ab alio immutetur, ut ex utriuſque pugna, & corruptione aliquod tertium ſpecie ab illis diſtinctum ſcilicet mixtum, reſultet.

QUÆSTIO II.

Quomodo elementa maneant in mixto?

1 Queſtio hæc communiter controvertitur, tam de ſubſtantialibus elementorum formis (materiam enim eandem omninò manere in mixto, ac erat in elementis corruptis, eſt prorſus abſque controverſia) quàm de illorum qualitatibus, & inquirit, an elementa maneant in mixto, quòd ex illis reſultavit formaliter,

liter, an virtualiter tantùm: Partem affirmativam prioris, ſcilicet manere formaliter, tenent aliqui cit. apud Maſt. diſp. 7. q. 3. Partem autem affirmativam poſterioris, nempè, non manere niſi tantùm virtualiter tenent ſubtilis D. in 2. diſt. 15. §. *Dico ergo ad quæſt.* lit. A. & Angelicus Mag. 1. p. qu. 76. artic. 4. quos ſui Diſcipuli ſequuntur, & alii, quos citat, & ſequitur Maſt. ubi ſup. Ut utrique autem parti quæſt. diſtinctè fiat ſatis.

2. Dicimus 1. formæ ſubſtantiales elementorum non manent formaliter in mixto. Hanc concluſ. probat Scotus pluribus, & quidem efficacibus rationibus, quarum unam, vel alteram, quæ illam evidenter oſtendat, hic apponemus. Prima eſt, nam vel formæ elementorum manent in mixto ita diviſæ, ut una ſit in una parte materiæ, & altera in alia, & hoc non; quia ſic non eſt mixtio, ſed quædam diverſarum formarum localis juſta poſitio, ut eſt conſtans, vel ita perfectè miſcentur, quòd in quavis, quantumvis exigua, portione mixti ſint plures formæ elementorum confuſè, & ſimul, & neque hoc; quia ſic eadem numero portio materiæ erit ſimul informata pluribus ſubſtantialibus formis adæquatis, & non ſubordinatis, nempè formis elementorum, & forma mixti, ſed hoc ſaltim naturaliter repugnat: ergo nequeunt ſubſtantiales elementorum formæ manere formaliter in mixto. Confirmat. quia mixtum generatur ex elementis: ergo eadem incompoſſibilitas eſt inter formam mixti, & formas elementorum, ac eſt inter terminos *à quo*, & *ad quem*, poſitivos generationis, ſed hujuſmodi termini non ſunt compatibiles in eodem ſubjecto: ergo neque illæ formæ. Probat. min. nam quando ex aqua, verb. g. generatur ignis, materia, quæ erat ſub forma aquæ, & tranſit ad formam ignis, non manet ſub utraque forma, eo quòd natura-

liter

liter repugnat; ſed tantùm ſub forma ignis, ut omnes fatentur: ergo quando ex elementis generatur mixtum, materia, quæ erat ſub forma elementari, & tranſit ad formam mixti, non manet ſub utraque forma, ſed tantum ſub forma mixti, conſequenterque, &c.

3. Probat. 2. nam pluralitas formarum non eſt admittenda, quando neceſſitas non cogit: ſed nulla urget neceſſitas, ut formæ elementorum maneant formaliter in mixto: ergo. Maj. patet; quia tales formæ formaliter in mixto non requiruntur, tamquam diſpoſitiones ad formam mixti, nulla enim ſubſtantialis forma non ſubordinata eſt diſpoſitio ad aliam, neque requiruntur, ut formam mixti conſervent, hæc enim ſuis propriis qualitatibus conſervatur, ſicut quævis alia ſubſtantialis forma; neque demum requiruntur ad hoc, ut mixtum operetur; quia hujus forma eſt potens mediis ſuis qualitatibus proprias elicere operationes: ergo formæ elementorum manentes formaliter in mixto nullatenus requiruntur; ac per conſequens, &c.

4. Quia tamen Ariſtotil. tum hic cap. 10. definiendo mixtionem, tum 3. de Cœlo 31. elementa definiendo, docet, elementa aliquomodo manere in mixto, ex conſequenti infertur, ipſa manere in illo (ſuppoſito, quod non formaliter, ut nuper allatæ rationes oſtendunt) virtualiter ſaltim, ita ut mixtum formas ſubſtantiales elementorum virtualiter, virtualitate ſubſtantiali in ſe contineat. Quæ virtualis continentia non eodem modo ab omnibus explicatur; nos autem (omiſſis aliis dicendi modis apud RR. videndis) hujuſmodi continentiam virtualem explicamus, ac ſimul probamus cum noſt./ Maſt. exemplo medii ſpecificè ab extremis contrariis diſtincti, quod dicitur participare de extremis, non quidem

quia

quia illa formaliter participet, ita ut albedo v. gr. & nigredo entitativè ſint actu, & formaliter in rubedine; hæc enim ſimplex entitas, ſicut illæ, quæ ſunt extrema; ſed dicitur medium participans, propter aliquam convenientiam, quam habet cum extremis, quam convenientiam ipſa extrema inter ſe non habent, ut eſt manifeſtum. Sic in propoſito eſt philoſophandum; nam mixtum eſt medium inter elementa, & dicitur participare illa, eo quod habet quandam naturalem convenientiam cum quavis forma cuiuslibet elementi, quatenus nempè ſuaptè natura, & radicaliter exigit pro diſpoſitione illam qualitatem, quam forma illius elementi expoſcit; quæ convenientia inter ipſa elementa ad invicem comparata non adeſt.

5 Quod, & ratio, qua nititur, ut clariùs percipiatur, advertere oportet, quod virtualis continentia eſt duplex, una in genere cauſæ efficientis: quo pacto illud, quod poteſt producere aliud, dicitur continere hoc aliud virtualiter; ſic Sol continet calorem; alia in genere quaſi cauſæ formalis, quæ etiam eſt duplex. Alia, qua forma perfectior dicitur continere imperfectiorem, eo quod illa perficit materiam perfectiori gradu, quam iſta, ac proinde in gradu iſtius, licet eminentiori modo. Alia, qua forma continens virtualiter aliam, poteſt illius operationes, & effectus formales cauſare; hoc modo anima rationalis dicitur (in probabili ſententia alibi examinanda) virtualiter continere ſenſitivam. Ad noſtrum ergo propoſitum dicimus, quod forma mixti non continet formas ſubſtantiales elementorũ continentia virtuali effectiva; nõ enim illas producere poteſt, ut nullus ignorat; continet tamen illas continentia virtuali ſecundo modo præexplicato, eo quod eſt illis perfectior, & etiam aliqualiter tertio modo; quia in aliquo gradu

cau-

cauſare poteſt effectus illarum, nempe qualitates elementorum. Quæ virtualis continentia eſt in ſe ſubſtantialis, quia per illam continetur ſic virtualiter in mixto principium exigitivum, & cauſativum illarum qualitatum; quod quidem principium eſt in elemento ipſa illius ſubſtantialis forma. Et aptior, clariorque (ni fallimur) explicatio modi, quo ſubſtantiales elementorum formæ virtualiter in mixto ex ipſis reſultante contineantur; contra quam (ſi benè percipiantur) nihil, quod alicuius ſit momenti, obiici poteſt.

6 Contra præjactam tamen concluſ. argum. 1 aliquibus Ariſtot. auctoritatibus, quæ illam infringere videntur. Prima eſt ipſa mixtionis definitio, ſcilicet, *miſcibilium alteratorum unio*: ergo alimenta tantum alterantur, non autem corrumpuntur, proindeque manent formaliter in mixto. 2. eſt ex 5. Metaph. ubi ſic elementum definit; *Eſt, ex quo inexiſtenti aliquid primo componitur*; ſed ly *inexiſtenti* denotat elementi permanentiam in mixto; ergo &c. 3. eſt ex 2. de Anim. text. 2. ubi docet, quod ſi in corporibus animatis anima non detineret elementa, hæc diſcederent ab eis versùs propria loca, nempe elementum grave deorſum, & leve ſursùm; erg. ſupponit, quod ſunt elementa formaliter in illis mixtis, ut eius exprimunt verba. 4. eſt ex 1. de gener. text. 84. ubi aſſerit, mixtum poſſe diſſolvi in elementa; ſed ſi hæc non eſſent actu, formaliter in mixto, hoc in illa diſſolvi non poſſet, ut eſt per ſe notum; ergo &c. Omittimus alias eiuſdem ad idem auctoritates, iſtæ enim ex præadductarum explicatione ſtatim danda, etiam explicari poſſunt.

7 Ad primam ergo Ariſt. auctoritatem reſp. quod ly *alteratorum* eſt præteritum paſſivum, denotatque elementorum mutuam alterationem neceſſariò præcedere mixtionem; hoc tamen non tollit, quod poſt illam alterationem,

& ante mixtionem fiat corruptio formarum ſubſtantialium elementorum; ly enim *unio* denotat actionem ſubſtantialem, quæ ſubſtantialem denotat elementorum corruptionem. Ad 2. reſpondeo ibi non definiiſſe Ariſtot. elementum, ſed materiam primam, quæ eo quod eſt principium entis naturalis, dicitur, etſi latè, elementum. Et adhuc dato, quod elementum definiat, ſolum intendit, quòd in mixto manet formaliter materia elementi, non autem ipſum elementum. Ad 3. dicimus, quod Philoſ. loco in ea allegato, arguebat contra Empedoclem, qui dicebat, elementa formaliter manere in mixto, & etiam affirmabat, operationes mixti non procedere a forma mixti; contra quem efficaciter arguit, dicendo, quod ſi anima in corporibus animatis nihil ageret, conſequenter nec detineret elementa; proindeque diſſolveretur mixtum, & elementa versùs propria loca migrarent. Ad 4. denique reſpond. quod cum ex mixto poſſint generari elementa vi alicuius naturalis agentis, etſi non eadem numero, quæ erant ante mixtionem, eadem tamen ſpecie, rectè inquit Ariſtot. quod mixtum poteſt in elementa diſſolvi, ex quo non ſequitur, elementa eſſe in mixto actu, & formaliter, ſed eſſe tantum potentia, & virtute, ut ipſe expreſsè docet.

8. Inſt. contra reſponſ. datam ad 2. authorit. quando unum mixtum ex alio generatur (idem eſt, quando unum elementum generatur ex alio) tale mixtum, ex quo fuit generatum, non dicitur manere in illo mixto genito; ſed quando mixtum generatur ex elementis, hæc dicuntur manere in illo; ergo ideo eſt, quia tantum ſecundum materiam, ſed etiam ſecundum formam in illo manent. Patet conſ. nam ſecundum materiam ſolum in mixto genito etiam manet aliud mixtum, ex quo illud genitum fuit. Reſpond. conceſſis majori, & min.

neg.

neg. conſequen. nam ideò dicitur (inquit Scotus) elementa manere in mixto, non autem mixtum in mixto: quia forma mixti (Ariſtot. atteſtante) eſt perfectior, & actualior formis elementorum; conſequenterque iſtæ ſunt virtualiter, & in potentia in mixto: at forma mixti non habet talem continentiam reſpectu formæ alterius mixti; nec forma elementi reſpectu formæ alterius elementi; ideoque dixit Philoſoph. elementa manere in mixto, non autem mixtum in alio mixto.

9 Argument. 3. ex ſilice ferro percuſſo exit ignis, & ex ligno viridi exeunt humores aquei; ergo ideo eſt, quia hæc elementa manent formaliter in illis mixtis. Reſpond. neg. conſeq. talis enim ignis producitur a cauſa univerſali, media illa forti ſilicis percuſſione, ſi enim ideo exit ignis è ſilice, quia in hoc formaliter continetur, etiam ex quolibet alio mixto a ferro percuſſo ignis exiret; ſed hoc nullus concedit; ergo &c. Ad illud de ligno reſpond. talem humorem aqueum non eſſe veram aquam, ſed quendam ſubſtantialem humorem ſpecie diſtinctum ab illa; qui humor deſerviebat ad arboris nutritionem, ſicut ſanguis deſervit ad nutritionem animalis.

10 Dicimus 2. qualitates elementorum, non ſolum numero eædem, ſed neque ſpecie, manent actu, & formaliter in mixto, ſed ſolum manet quædam qualitas media (quæ vocatur complexio, ſeu temperamentum) virtualiter continens illas. Sic videtur deduci ex Scoto ſupr. allegat. ibi enim, *verſ. Item Ariſtot.* ante litt. D. inquit: *Nec oportet dicere; quod maneant ſecundum qualitates ſuas, ſicut nec qualitates extremę maneant in medio:* procedit tamen hæc concluſ. communiter contra Thomiſtas aſſerentes, ſimul cum mixto produci qualitates eiuſdem ſpeciēi cum illis, quæ antea fuerunt in elementis, ex quibus fuit genera-

ratum, & contra aliquos Scotiſtas tenentes, manere in mixto formaliter qualitates, ad quamdam mediocritatem redactas, etſi non ejuſdem ſpeciei cum eis, quæ in elementis præceſſerunt; quæ Scotiſtarum ſententia nullatenus expreſſe adverſatur Scoto, ſiquidem illius verba in illa diſtinct. 15. adeò ambigua ſunt, ut interpretari abſque aliqua extorſione poſſint tam pro iſtorum, quam pro noſtra ſententia, unde illam nullatenus improbamus. Probat. ergo concluſ. nam ſubſtantialis forma mixti eſt non ſolùm numero, ſed & ſpecie diſtincta, à ſubſtantialibus elementorum formis, quas illa tantùm virtualiter continet: g. accidentalis forma mixti erit, non ſolum numero, ſed & ſpecie, diſtincta à formis accidentalibus elementorum, & iſtas illa continebit, non actu, & formaliter, ſed virtualiter, & potentia. Patet conſ. quia accidentia diſpoſitiva, & conſervativa diverſarum in ſpecie formarum ſubſtantialium debent eſſe inter ſe ſpecificè diverſa; ſed ſi manent in mixto calore, frigus, &c. formaliter, etiamſi ſint ad quandam mediocritatem reducta, & in gradibus remiſſis, non erunt ſpecificè diſtincta a qualitatibus elementorum, calor enim v. gr. ut tria, non diſtinguitur ſpecie à calore ut ſex, ut eſt certum: g. ſolùm manet quædam qualitas media ſpecificè ab illis diſtincta, illaſque virtualiter continens.

11 Prob. 2. ab inconvenienti; nam ſi qualitates prædictæ (ſive ſpecie diſtinctæ; ſive non, à qualitatibus elementorum) manerent formaliter in mixto, & non virtualiter ſolum, ſequeretur, quod non poſſet mixtum adhuc per breviſſimum tempus, permanere, quin ab intrinſeco corrumperetur, ſed hoc eſt falſum, videmus enim longiſſimo tempore durare, ſi ab extrinſeco non corrumpatur: g. Prob. mai. nam corruptis qualitatibus formam

mam ſubſtantialem conſervantibus, ipſa forma neceſſariò corrumpitur, conſequenterque totum compoſitum: ſed illæ qualitates formaliter (iuxta oppoſitam ſententiam) inexiſtentes mixto, etiam ſi ſint in gradibus remiſſis, mutuò pugnarent, cùm eſſent contrariæ, & ex hac mutua actione, & reactione alterarentur, & temperamentum mixti, ac proinde ipſum mixtum, citò corrumperentur; g &c.

12 Arg. 1. contra 2. concluſ. ex illa ſequitur, quod mixtum vivens non corrumpatur ab intrinſeco; ſed hoc eſt abſurdum; g. Prob. mai. quia corruptio ſubjecti ab intrinſeco proveniēs requirit in illo qualitates contrarias actu, & formaliter illi inexiſtentes, ſed hæ non dantur ſic in mixtis, juxta concluſ. g. &c. Reſp. neg. mai. eſt enim mixtum vivens ab intrinſeco corruptibile, etiamſi tales qualitates formaliter in illo non ſint. Huiuſmodi autem corruptio ex duplici capite (ut Scotus docet) provenire poteſt. 1. quia viventia habent partes heterogeneas, quarum quælibet ad ſui conſervationem diverſum exigit temperamentum: cor. v. gr. temperamentum calidum, cerebrum, frigidum, &c. propter quod temperamentum cordis poteſt alterare aliud, & ſic de cæteris; ex quo infirmitas viventis, morſque ipſius ab intrinſeco provenire poteſt. 2. quia calor naturalis conſumit humidum radicale, quod ſi aliunde non reſarciatur, moritur vivens; etſi per cibum reſtauretur, cùm partes ſubſtantiæ de novo advenientes, quibus conſiſtit humidum radicale ſint impuriores, proindeque à calore naturali conſumantur, tandem decurſu temporis tantum deperdet humidum radicale, ut ipſum vivens conſervare non valeat.

13 Argum. 2. eodem modo immutatur ſubjectum à calore mixti, ac à calore elementi; nec eſt ratio, ex qua colligi poſſit ſpecifica diſtinctio inter prædictos calores: g. &c. Reſp.

neg.

neg. antec. quoad 1. p. non enim eodem modo immutatur homo ab alterius hominis calore, à calore ignis; nam hi calores, licet aliquam ſimilitudinem habeant, differunt tamen ſpecie, ut ex ratione pro noſt. concluſ. adducta num. 10. expreſsè deducitur. Vel 2. reſp. admittendo 1. p. antec. & neg. 2. quam optimè enim ſtat, aliquod ſubiectum eodem modo immutari à diverſis ſpecie cauſis habentibus virtutem ad eiuſdem ſpecie termini productionem: ut patet in calore producto ab igne, & calore producto à Sole.

14 Arg. 3. diſpoſitiones, quæ ex natura rei antecedunt alicuius ſubſtantialis formæ introductionem, ſunt eiuſdem ſpeciei cum illis, quæ talem formam conſequuntur poſt ipſius introductionem: ſed materiæ elementorum diſponuntur, ut in eis introducantur formæ ſubſtantiales mixti per qualitates formaliter inexiſtentes, & per mutuam actionem, & repaſſionem taliter remiſſas, & attemperatas: g. diſpoſitiones, quæ conſequuntur introductionem ſubſtantialis formæ mixti, erunt qualitates propriæ elementorum formaliter inexiſtentes, licèt taliter remiſſæ, & attemperatæ, & quamvis numero ab illis diſtinctæ, non tamen ſpecie; & conſequenterque hæ manent formaliter in mixto. Reſpond quod qualitates elementorũ non diſponunt ultimatè materiam ad introductionem formæ ſubſtantialis mixti, quouſque per mutuam actionem, & repaſſionem corrumpantur, & ex eis generetur quædam qualitas media ſpecificè ab illis diſtincta, illaſque virtualiter continens, quæ eſt quoddam temperamentum prærequiſitum, ultimatèque diſponens ad ſubſtantialis formæ mixti introductionem. Si autem, quaſi inſtando, inquiratur: in quo igitur talis qualitas media ſubjectatur? nam non in materiis elementorum; unum enim accidens nequit ſubjectari in duplici ſubiecto

rea-

realiter diſtincto. Neque in mixto; quia hoc nondum intelligitur exiſtens, quando illa media qualitas adeſt: g. hæc non habet ſubjectum, conſequenterque non datur. Reſp. quod talis qualitas media ſubiectatur in materia, quæ fuit ſub formis elementaribus: quæ quidem jam non eſt duplex, ſed unica tantùm per utriuſque coadunationem, & continuationem.

QUÆSTIO III.

Utrùm in mixtis temperamentum æquale ad pondus dari poſſit?

1 PRo huius quæſt. intelligentia notandum eſt, quod illa congrua diſpoſitio, quam forma ſubſtantialis mixti exigit connaturaliter ad ſui conſervationem, eſt id, quod communiter vocatur temperamentum mixtorum. Hoc dividunt Philoſophi in uniforme, & difforme. Temperamentum uniforme appellant illud, in quo quatuor primæ qualitates habent eoſdem gradus intenſionis, ita ut omnes ſint in omnimoda æqualitate, & pondere; ideòque vocatur hoc temperamentum æquale ad pondus. Temperamentum difforme eſt, quando aliqua qualitas excedit gradualiter aliam, vel aliàs, prout ſubjectum exigit: quod temperamentum dicitur æquale ad iuſtitiam, quia quod eſt debitum alicui ſecundum naturalem ipſius exigentiam, quaſi ex juſtitia illi debetur. Hoc ſecundum poſſe dari in rerum natura, admittitur ab omnibus abſque controverſia, & conſtat ex ipſo ſtatu naturali, congruaque mixtorum diſpoſitione, quæ ab hoc temperamento dependet; iſto enim deficiente, & ipſa mixta à connaturali ſtatu, & debita diſpoſitione deficiunt, ac tandem, illo nimis alterato, ipſa quoque deſinunt eſſe. Unde tantùm remanet difficultas circa temperamentum æquale ad pondus. Pro

qua ſequentes, ut majori procedamus claritate, apponimus concluſiones.

2. Dicimus 1. nullatenus repugnat, abſolutè loquendo, dari temperamentum æquale ad pondus, ſeu uniforme. Probat. hæc concluſ. Poſſunt elementa, ſeu miſcibilia alterari ad æqualitatem: ergo temperamentum æquale ad pondus non repugnat. Patet conſeq. quia ſi qualitates poſſunt ad æqualitatem attemperari, non eſt aſſignabilis ulla ratio, ob quam repugnet dari aliquam ſubſtantialem formam exigentem pro ſui diſpoſitione, & temperamento qualitates æqualiter intenſas, ut illam perquirenti patebit. Prob. antec. quia calidum ut ſex verb. gr. ſed frigidum ut duo, & frigidum ut ſex, ſed calidum ut duo poſſunt ad invicem ita miſceri, & alterari, ut ambo evadant calida, & frigida ut quatuor: ergo. Prob. antec. quia antequam calidum ut ſex aſſimilet ſibi frigidum ut ſex per introductionem quatuor graduum caloris, neceſſariò duos gradus caloris introducet in illo, & tunc quod erat frigidum ut ſex, evadet frigidum, & calidum ut quatuor, quod eſt manifeſtum; & quia frigidum reagit etiam in calidum, jam tunc poſſet introduxiſſe in tali calido duos gradus frigiditatis: ſed tunc ambo miſcibilia eſſent alterata ad æqualitatem: ergo &c. Idem dici poteſt de humiditate, & ſiccitate ad invicem comparatis.

3. Confirmat. (ut aliqua effugia ad hujus rationis evadendam vim adinventa præcludantur) quia ſi calidum ut octo applicetur frigido ut ſex, poterit abs dubio expellere ab iſtò tres gradus frigoris inducendo in illud tot gradus caloris; & ſic certum eſt, quòd iſtæ qualitates tunc eſſent in illo ſubjecto in gradibus æqualibus; & licet verum ſit, quòd in hoc caſu non daretur vera mixtio, eo quòd non concurrerent plura miſcibilia, poſſet

tamen Deus infundere in tale ſubiectum aliquam formam, cui eſſet connaturale illud æquale temperamentum: nullum enim apparet caput, ex quo repugnet: g. neque ipſum temperamentum æquale ad pondus repugnat.

4 Dic. 2. probabile eſt, non eſſe, vel fuiſſe inter viventia aliquod mixtum, ſeu individuum habens temperamentum æquale ad pondus. Prob. quia in viventibus dantur plures partes heterogeneæ, & diverſæ rationis: ſed tam iſtæ partes, quam earum heterogeneitas, nequeunt ſalvari cum temperamento æquali ad pondus: g. &c. Mai. patet, & min. prob. quia hujuſmodi partes ſunt diverſæ rationis; diverſaque munera exercent: ſed tam diverſitas earum, quam diverſum earum exercitium, diverſum exigunt temperamentum, nam in animali v. gr. ſtomachus, cor, & jecur exigunt plus caloris, quam aliarum qualitatum; cerebrum plus humiditatis: oſſa plus ſiccitatis, & ſic de aliis: g. temperamentum æquale ad pondus cum tali partium heterogeneitate ſtare nequit, & conſequenter, &c.

5 Dic. 3. etiam eſt probabile, dari, vel datum fuiſſe temperamentum æquale ad pondus in tali, vel tali mixto, ſeu individuo alicuius ſpeciei. Sic videtur tenere Ariſt. 5. problem. q. 22. ubi docet, quod corpora ad æqualitatem temperata facilè incidere in morbum, atque etiam facilè curari; quæ autem ſic temperata non ſunt, nec facilè infirmantur, nec facilè curantur: g. ſentit Ariſt. dari aliqua individua cum hujuſmodi temperamento. Hanc ſent. tenent plures RR. & addunt, hoc temperamentum ad pondus habuiſſe Adamum in aliquibus ſui corporis partibus, ſaltim pro illo tempore, in quo à Deo fuit immediatè creatus. Et ſi hoc alicujus ſit excellentiæ, non eſt dubium, quin potiori jure concedendum ſit Chriſto D. ſaltim pro illo tempore, in quo ipſius corpus fuit immedia-

diatè formatum à Spiritu Sancto, & etiam eſt concedendum Sacratiſſimæ illius Genitrici V. Mariæ: omne enim, quod alicuius eſt excellentiæ, & ex nullo capite repugnat, illis Scotiſtæ noſtrum doctiſſimum, ac æquè Subtilem Doctorem imitantes, concedere tenemur. Utraquæ præjacta concluſ. ſufficienti non caret probabilitate, & ſic pro cuiuſcumque captu, quæ magis placuerit eligi poteſt.

6 Dic. ultimò, nequit naturaliter dari temperamentum æquale ad pondus penes qualitates loco motivas, cuiuſmodi ſunt gravitas, & levitas. Hæc concluſ. eſt communis, & prob. ſic 1. nam naturaliter non poteſt dari ſumma levitas, niſi reſultans ex ſummo calore, qui excedat ſiccitatem; neque ſumma gravitas, niſi reſultans ex ſumma ſiccitate, quæ ſuperet frigiditatem, ut patet in igne, & terra; g. nec naturaliter poteſt dari levitas media, niſi reſultans ex medio calore, ſuperante ſiccitatem: neque media gravitas, niſi reſultans ex media ſiccitate excedente frigiditatem; ac proinde, ut detur media levitas, & media gravitas (quæ ſunt temperamentum ad pondus harum qualitatum) eſt naturaliter neceſſarium, quod detur media ſiccitas, & ſiccitas minor calore medio, quæ eſt etiam minor ſiccitate media; ut patet; ſed eſt omnino implicatorium, quod in unico temperamento detur media ſiccitas, & ſimul ſiccitas minor media: g. & naturaliter repugnat, quod levitas media, & gravitas media ſimul dentur in aliquo mixto, conſequenterque, &c.

7 Prob. 2. nam ſi aliquod mixtum haberet hujuſmodi temperamentum, in toto univerſo non eſſet locus, in quo illud quieſceret; ſed eſt abſurdum, poſſe dari tale ens naturale in univerſo; g. Prob. mai. quia tale mixtum non poſſet quieſcere in loco ignis, vel aeris, ſiquidem haberet gravitatem levitati æqualem, qua

inclinaretur ad motum deorſum; neque in loco aquæ, vel terræ; gauderet enim levitate gravitati æquali, qua inclinaretur ad motum ſurſum neque denique in medio, nam hoc non datur, cùm elementa ſint contigua, nec poſſet eſſe dimidia pars mixti in aqua, & altera dimidia in aere; idem enim argumentum, quod factum eſt de toto mixto, de quavis ipſius parte ob eamdem rationem fieri poteſt, ut eſt certum; g. non daretur locus, in quo tale mixtum quieſceret, ac per conſequens, &c.

8 Arg. contra; gravitas, & levitas reſultant ex permixtione primarum qualitatum: g ſi primæ qualitates æqualiter ad pondus permiſceantur, abs dubio, ex hac mixtione reſultabunt gravitas, & levitas æqualiter intenſæ æqualitate ad pondus; ſed non repugnat talis æqualitas in qualitatibus primis, ut num. 2. manet dictum; g. neque in ſecundis. Reſpond. neg. conſequentias; licèt enim ex commixtione quatuor primarum qualitatum reſultent gravitas, & levitas, non tamen reſultant hæ æqualiter intenſæ ex æquali illarum intenſione, ut ex n. 6. conſtat. Igitur, ſi daretur mixtum cum temperamento æquali ad pondus penes primas qualitates, haberet plus gravitatis, quam levitatis, eſſent enim in eo virtualiter, nedum frigiditas, & ſiccitas, ex quibus ſuaptè natura oritur gravitas, verum & humiditas, ex qua ſimul cum frigiditate etiam gravitas reſultat, ut manifeſtum eſt in aqua. Non ergo ex temperamento æquali ad pondus primarum qualitatum reſultat ſimile ſecundarum temperamentum.

DISP.

DISP. ULTIMA.

De reproductione rerum.

ARiſtot. cap. ultimo huius libri docet, generationes ſubſtantiales rerum eſſe circulares, ita ut ad eamdem rem fiat regreſſus. Cuius exemplum nos imitantes, de reproductione rerum hac in diſput. poſſibili brevitate intendimus tractare. Pro qua ſit

QUÆST. UNICA.

Utrum res ſemel corrupta poſſit per aliquam potentiam reproduci?

1 SUpponimus, ut certum, & tamquam fidei dogma, quod in generali reſurrectione omnes homines ſunt reſurrecturi iidem numero, ac antea fuerunt. Ex hac catholica doctrina infertur, Deum poſſe per ſuam abſolutam potentiam, quamlibet rem permanentem, & ſemel corruptam, iterum eamdem numero reproducere; quia non eſt aſſignabilis aliqua diſparitatis ratio, quoad hoc, inter hominem, & quamlibet aliam rem permanentem. Si autem negetur paritas, eo quod in morte hominis non ſolum manet materia prima; ſed etiam anima, quibus unitis, idem numero profecto reſurget homo; dicimus, quod etiam in interitu cuiuslibet alterius rei permanentis non ſolum manet materia, ſed etiam Divina potentia ad producendam eamdem numero formam, quam prius habuit illa materia; per corruptionem enim, aut annihilationem illius formæ non potuit auferri, nec mutari Dei potentia: ſed in iſta continebatur talis numero forma antequam eſſet: ergo & con-

tinetur eadem numero poſtquam deſivit eſſe; & conſequenter, &c. Deinde, quia in reſurrectione hominis reproducentur per abſolutam Dei potentiam eadem numero caro, quantitas, organizatio, eadem numero accidentia: ſed hæc omnia deſierunt eſſe poſt mortem hominis: g. deſitio formæ alicuius rei nihil obeſt ad hoc, ut eadem numero res iterum produci divinitus poſſit.

2 Argum. contra hoc: ad præteritum non datur potentia; ut tenet Ariſt. 6. ethic. cap. 2 ſed ſi Deus iterum produceret, quod ſemel periit, faceret præſens, quod præteriit; g. faceret de præterito non præteritum, & conſequenter, &c. Confirm. 1. quia ſi res ſemel corrupta iterum produceretur, talis res bis eſſet, proindeque haberet duplicem durationem, & exiſtentiam, ſiquidem duobus diſtinctis temporibus coexiſteret; ſed hoc repugnat, nam ſic non eſſet eadem res; ergo. Confirmat. 2. nam identitas effectus ex identitate actionis pendet; actiones enim diſtinguuntur per terminos, & iſti per illas, cum juxta Philoſoph. 3. Phyſic. 47. actio, & terminus ſint idem; ſed nequit eadem actio iterum redire, adhuc per abſolutam potentiam, cum nec idem motus, nec tempus à quorum unitate unitas actionis pendet, iterum poſſint redire; g. &c.

3 Reſp. ad argum. quod etſi ad præteritum, reduplicativè ut præteritum, nulla detur potentia; fieri enim nequit, ut id, quod ſemel fuit, non fuerit; datur tamen potentia ad præteritum ſpecificativè ſumptum, ita ſcilicet, ut iterum ſit, quod ſemel fuit, modo, quo dici ſolet, album v. gr. non reduplicativè, ſed ſpecificativè ſumptum, fieri poſſe nigrum. In hoc ſenſu intelligendus eſt Ariſtot. ibi; & in eodem diſtincta min. neg. conſequent. Ad 1. confir. reſp. neg. major. non enim eo ipſo, quod res bis exiſteret, haberet duplex eſſe, ſed idem bis pro-

du-

ductum; nec propterea duplicem exiſtentiam, ac durationem intrinſecam, ſed eamdem bis productam, unde tantum duplicaretur coexiſtentia ad duplex tempus extrinſecum. Quod exemplificari poteſt in corpore exiſtenti in duplici loco (poſſibile enim hoc eſt, abſoluta interveniente potentia, ut in Phyſica oſtendebamus) ſervata debita proportione inter tempus, & locum. Ad 2. confirmat. reſp. neg. mai. quia ut docet Scotus in 4. diſtinct. 43. qu. 1. §. *Aliter ponitur, verſ. Contra iſtud*, ſub litt. D. eſt fallatio conſequentis ex diſtinctione actionum, & mutationum inferre diſtinctionem terminorum; etſi ex horum diſtinctione illarum diſtinctio benè inferatur; idem namque terminus duplici via poteſt acquiri, ut idem ſpecie *ubi* motu recto locali, & motu non recto acquiri poteſt. Ad Ariſtot. dicimus, quod cum aſſerit, actionem, & terminum identificari, loquitur de actione materialiter ſumpta, quæ idem eſt, ac ipſum fieri rei, ſeu ipſa res acta in fieri, non verò de actione formaliter, & in eſſe modali actionis, ſeu mutationis accepta; ex quo patet quomodo minor diſtinguenda ſit, & neganda conſeq. His ſuppoſitis.

4 Dicimus 1. ad quæſt. res permanentes ſemel corruptæ poſſunt naturaliter eædem numero iterum produci ab agente naturali. Sic Scotus quæſt. 1. nuper cit. per totam, quem omnes ſui Diſcipuli ſequuntur. Pro huius concluſ. clariori probatione oportet præmittere aliqua, quæ jam alibi manent oſtenſa. Primum eſt, quod quævis res individuatur a propria ipſius intrinſeca differentia, quæ eſt eademmet realiter entitas cum cæteris prædicatis talis rei. 2 eſt, quod quævis cauſa ſecunda ex ſe eſt indifferens ad quodcumque individuum producendum, taliter, quod ex natura ſua non exigit producere potius hoc individuum, quam aliud ex omnibus, quos producere poteſt; ſed determina-

tur a cauſa prima ad hunc numero effectum potius, quam alium numero ab illo diſtinctum. 3. eſt, quod (ſuppoſita identitate reali differentiæ individualis cum cæteris prædicatis) ab illa cauſa ſecunda, a qua in rerum natura ponuntur cætera prædicata exiſtentia, ab illa eadem, & per eamdem virtutem, actionemque (ſuppoſita determinatione cauſæ primæ ad talem numero effectum) producitur totus effectus individualis; actio enim non terminatur diviſivè ad formalitates realiter identificatas, etſi formaliter diſtinctas; ſed unica, & ſimplici actione totus individualis producitur effectus. His igitur præmiſſis.

. 5 Prob. concluſ. hac unica, ſed efficaci quidem ratione; effectus, qui fuit productus, & deſivit eſſe, tam eſt in potentia activa agentis poſtquam deſivit eſſe, quam antequam primò produceretur: v. gr. ignis, qui in ligno fuit extinctus, tam eſt in potentia activa agentis, à quo fuit primò productus, ac fuit antequam primo generaretur: erg. ſuppoſita determinatione cauſæ primæ ad talem numero effectum, tam naturale erit cauſæ illius reproductio, quam cujuſvis alterius effectus numero ab illo diſtincti. Patet conſeq. ex dictis, & anteced. prob. nam omnia prædicata eſſentialia, & etiam differentia individualis huius numero ignis continentur in virtute ignis, qui illum numero ignem produxit; cum hæc omnia per eamdem virtutem, eamdemque actionem producantur, & numero præced. dicebamus; g. agens manens invariatum eamdem omninò habebit virtutem; conſequenterque eumdem numero poterit producere effectum. Præterea in materia prima, in qua deſivit eſſe talis forma ignis, tam eſt appetitus ad talem formam jam corruptam recipiendam, quam ad illam, quæ nuſquam fuit producta, ut in 1. Phyſic. manet dictum: g. quod communiter, & univerſaliter agens naturale non producat eumdem

nu-

numero effectum, quem jam ſemel, aut pluries produxit, nequit provenire ex aliquo defectu virtutis ipſius agentis, nec ex defectu potentiæ materiæ primæ; ſed tantùm provenit eſt determinatione cauſæ primæ, quæ potiùs determinat ſecundam, ad plures numero effectus, quàm ad eundem numero pluries producendum. Cuius ratio videtur eſſe, quòd illud magis congruit perfectioni ſpeciei; cùm enim natura ſui conſervationem intendat, ad quam valdè conducat fœcunditas ipſius naturæ, quæ magis oſtenditur in productione pluriũ numero individuorum, quàm in unius ſolius repetita productione; hinc eſt, quod à cauſa prima communiter, & universaliter potiùs determinatur ad plura numero individua producenda, quàm ad iteratam unius ſolius productionem; ergo ſi cauſa prima determinaret ſecundam ad hunc numero effectum, qui jam ſemel fuit productus, potiùs iterùm producendum, quàm ad alium numero, qui nunquam extitit, illius iterata productio erit tali cauſæ ſecundæ naturalis.

6 Arg. 1. (præterea, quæ contra doctrinam num. 1. ſtabilitam obiiciebantur, quæ contra hanc concluſ. etiam militant) implicat, quod eadem res jam producta antequam deſinat eſſe, iterùm producatur: g. etiam quod producatur, poſtquam ſemel fuit corrupta. Patet conſeq. nam eodem modo continetur in virtute agentis effectus iam productus, & nondum corruptus, ac effectus productus, & iam corruptus; ſiquidem manet eadem virtus activa agentis. Reſ. conceſſo natec. neg. conſeq. ratio diſparitatis ſtat in hoc, quod productio rei neceſſariò immediatè præſupponit non eſſe ipſius rei; per productionem enim res educitur ex ſtatu potentiæ obiectivæ ad ſtatum actus entitativi, ſeu exiſtentialis; quare id, quod eſt productum, & nondum corruptum, nequit iterùm produci. Ex quo

patet ad probationem ; non enim eſt repugnantia ad hoc, quòd id, quod eſt productum, & nondum corruptum, ex parte cauſæ ; ſed ex parte ſtatus effectus, nempe eſſe ſub actu entitativo, & exiſtentiali, cuius negationem neceſſariò præſupponit quævis productio.

7 Arg. 2. ex prajacta concluſ. ſequitur, futuram hominum reſurrectionem non fore miraculoſam ; ſed hod admitti nequit ; g. Reſp. neg. ſequelam. Et ratio, ob quam huiuſmodi reſurrectio non naturaliter, ſed tantùm miraculosè fieri poteſt, eſt quia per mortem hominis, illius materia afficitur diſpoſitionibus ita contrariis, & diſtantibus ab his, quæ ad animæ introductionem neceſſariò præexiguntur, ut agentia naturalia nequeant ex ſuis viribus illam materiam iterum diſponere ad animæ introductionem ; erit enim tunc talis materia adeò diviſa, tamque admixta cum aliis materiis ut iam eadem numero non ſit, ut eſt evidens ; quod eſt ſimpliciter neceſſarium ad numericam effectus unitatem ; Unde tantùm divinitus poterit diſponi ad animam iterùm recipiendam.

8 Dicimus 2. res ſucceſſivæ ſemel tranſactæ poſſunt iterùm naturaliter produci eædem numero, ac antea fuerunt, ſi ad individuationem talis rei ſucceſſivæ cauſa prima determinet cauſam ſecundam, ut in præced. concl. dictum eſt circa res permanentes. Sic Scotus ibi citatus. Quæ concl. ſatis manet probata ex ratione ſup. adducta pro anteced. nullum enim videtur aſſignabile diſcrimen alicuius momenti quoad hoc inter res permanentes, & ſucceſſivas, ſi hoc attentè conſideretur. Sed modò prob. breviter ſic, ponendo exemplum in tempore, quod eſt eſſentialiter quid ſucceſſivum ; poteſt naturaliter primum mobile fieri præſens manè v. g. cœlo inferiori, atque etiam ſuperiori per eaſdem

dem partes, per quas hodierna die fit præſens, ſi Deus ad eamdem numero præſentiam illud determinet: g. res ſucceſſiva ſemel tranſacta poteſt naturaliter iterum produci. Patet conſeq. & antec. ex dictis prob. quia cœlum ex ſe eſt omninò indifferens ad omnes illos motus, & præſentias; & ex eo quòd jam præceſſerint, non extrahuntur ab omnipotentia Dei, ſiquidem omninò invariata manet, nec à potentia primi mobilis, quod ex ſe per eaſdem numero partes iterùm, atque iterùm poteſt fieri præſens, ut eſt abſque dubio: g. ſi Deus determinet potentiam motivam primi mobilis ad eaſdem numero præſentias, quas antea habuit, poterit naturaliter fieri iterùm præſens per illas; & conſequenter, &c. Confirm. nam ratio ſucceſſionis non ponit in rebus ſucceſſivis ſpecialem repugnantiam, ut iterùm producantur; ſucceſſio enim nil aliud formaliter importat, niſi ordinem prioris, & poſterioris inter partes rei ſucceſſivæ; ita quòd una ſit neceſſariò poſt aliam: ſed totum hoc adeſſet in reproductione rei ſucceſſivæ, quia non reproducerentur ſimul omnes ejus partes, ſed una poſt aliam, ſicut in prima ejuſdem productione: g. &c.

9 Arg. 1. ſi ſucceſſivum poſſet reproduci, poſſet etiam conſervari: ſed conſervari repugnat ſucceſſioni, eò enim ipſo, quòd aliquid conſervetur, permanet, & non fluit: g. &c. Reſp. neg. mai. conſervatio enim, cùm ex ſua formali ratione importet permanentiam, repugnat cum ſucceſſione; reproductio autem, ſeu quòd id, quod ſemel effluxit, iterum fluat, nihil formaliter importat intrinſecæ rationi ſucceſſionis repugnans, ut ex confirm. noſtræ concluſionis evidenter conſtat.

10 Arguunt 2. ſi reproduceretur pars præterita temporis, ſimul erit cum parte præſenti, aut futura etiam temporis: g. ſimul fluent duæ par-

tes temporis: ſed hoc eſt falſum, quia de ratione partium temporis eſt prioritas, & poſterioritas, eiſque repugnat ſimultas; g. Probat. 1. conſeq. nam partem præteritam reproduci non eſt aliud, quàm facere, ut iterùm fluat; ſed iterùm fluere eſt iterùm fieri præſentem, aut futuram; g. fluet ſimul cum præſenti, vel futura, conſequenterque, &c. Reſpond. neg. conſeq. cujus prob. etiam conſeq. negat. ſi enim reproduceretur pars preterita, pars futura ſuſpendenda foret, ne fieret preſens, cujus loco poneretur pars iterùm producenda; unde hec ſola fieret preſens, & non ſimul cum alia. Inſt. de ratione intrinſeca temporis eſt habere partes reales priores, & poſteriores, ideſt preteritas, & futuras; ſed in caſu poſito eadem pars eſſet preterita, & futura; g. eſſet prior, & poſterior; ac proinde eadem ſibi ipſi conjungi poterit, ut unum tempus efficere; unde mille anni, verb. gr. unica temporis parte poterunt conſtare; que omnia valdè abſurda videntur. Reſpond. neg. quod hæc aliquod abſurdum, ſeu inconveniens contineant; ſicut enim plures partes ſibi invicem ſuccedentes unum tempus conſtituunt, ſic eadem pars pluries ſibi ipſi per reproductionem ſuccedendo poteſt eſſe prior, & poſterior ſe ipſa, ſibique ipſi ſecundum diverſas inceptiones conjungi, & ſic longum, vel breve tempus conſtituere, juxta plures, vel paucas ſui reproductiones.

11. Argum. ultim. ſicut corpus per ſuam extenſionem permanentem fit præſens ſpatio imaginario loci, ſic motus per ſuam extenſionem ſucceſſivam fit præſens ſpatio imaginario durationis: ergo ſicut implicat dari corpus extenſum in ordine ad locum, quod non ſit præſens ſpatio imaginario loci, ſic repugnat dari motum, qui non ſit præſens ſpatio imaginario durationis: atqui implicat contradictionem, quòd idem corpus per eamdem numero extenſionem

ſionem fiat præſens duplici ſpatio imaginario loci: g. etiam implicat, quòd idem motus per eamdem numero durationem fiat præſens pluribus ſpatiis imaginariis durationis. Reſpond. conceſſis primo antec. & ejus conſeq. neg. min. ſubſumptam; idem enim corpus per eamdem numero extenſionem poteſt fieri præſens pluribus ſpatiis imaginariis loci, multiplicatis tantùm præſentiis, quæ ſunt illius connotata, ut in 4. Phyſic. diſp. de loco manet ſuſè dictum: ſic idem numero motus per eamdem numero ſucceſſivam extenſionem, ſi iterùm produceretur fieret præſens pluribus ſpatiis imaginariis durationis per ſolam præſentiarum multiplicationem. Plura alia argumenta, quæ contra præſtatutas concluſ. fieri poſſunt, apud noſt. Maſt. diſput. 5. de Gener. & Corrupt. quæſt. 7. artic. 1. & 2. peracutè ſoluta invenientur. Propoſita ſufficiant, & omnia uſque huc dicta pro duobus lib. de Ortu, & Interitu. Quæ utinam (ut optamus) cedant in laudem, & gloriam D. O. M. Sanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ abſque originalis peccati labe conceptæ, Beatiſſimi P. N. Franciſci, atque SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quorum in ſolemnitatis Vigilia huic tractatui finem imponebamus.

TRA-

TRACTATUS
IN TRES LIBROS ARIST.
DE ANIMA.
PRÆLUDIUM QUODDAM.

1 JAm jam, Deo auſpice, noſtroque Scoto duce, ad ultimum greſſum, & ultimam Philoſophiæ partem, tractatum ſcilicet de anima, pervenimus, etſi enim poſt duplicem librum de Gener. & Corrupt. Ariſt. alios duos, quos de *Meteoris* inſcribit (in quibus agit ſpecialiter de Gen. & Corrupt. aliquorum corporum imperfectorum) immediatè intexat, quia tamen res eſt non magni momenti, facilis captu, & quiſquis abſque magiſtri inſtructione ea, quæ ibi tractantur, facilè ediſcere poteſt, pluſque illa voluptati, quàm utilitati, & in litteris progreſſui, conducunt: ideò, his prætermiſſis, expoſitionem librorum de anima modò immediatè aggredimur. Circa quos quia aliquæ ſunt præviæ, ſeu quaſi proœmiales difficultates, quarum examen præmittere oportet, ideò majori, qua poterimus, brevitate, & claritate ab illis nos expediemus, ne earum ignorantia, ſeu dubitatione laborando, poſteà fortè implicemur.

2 Circa objectum ergo formale adæquatum iſtius tractatus tenendum à nobis eſt cum communiori Philoſophorum ſententia, eſſe corpus animatum, non verò animam præcisè. Ratio hujus aſſertionis eſt, quia ut in diſp. proœm. ad lib. Phyſic. oſtenſum manet, objectum formale, & adæquatum attributionis totius Philoſophiæ eſt corpus naturale ex materia, & forma ſubſtantiali coaleſcens, ſed ut fatentur omnes, hic tractatus eſt quædam Philoſophiæ pars: g. illius

for-

formale, & adæquatum obiectum neceſſariò erit peculiaris quædam ſpecies directè contenta ſub conceptu communi corporis naturalis: ſed hæc non eſt corpus inanimatum; de hoc enim in aliis tractatibus diſputatur ex profeſſo: g. eſt corpus animatum completè, & adæquatè ſumptum. Hæc conſeq. patet; nam corpus naturale ut ſic adæquatè dividitur in animatum, & in inanimatum. Id ipſum confirmari poteſt ex dictis in prooemialibus logicę circa conditiones ad rationem obiecti adæquati cuiuſvis ſcientiæ requiſitas, quæ omnes copori animato reſpectu huius tractatus conveniunt, ut patebit conſideranti, & ex dicendis in toto illo conſtabit.

3 Nec obſtat, quòd Ariſt. appoſuerit huic tractatui hanc inſcriptionem, *de Anima*, nam non ſemper deſumitur operis inſcriptio ex toto illius adæquato obiecto, ſed ſæpiſſimè ex præcipua illius affectione, ſeu ratione peculiari, ſub qua tale obiectum à ſcientia conſideratur: ideò ergo in pręſenti hic tractatus inſcribitur *de Anima*, quia agit de corpore animato, prout anima conſtat, eſtque anima ſpecialis ratio ſub qua hic tractatur de corpore, non autem eſt adæquatum obiectum.

4 Ex his manet perſpicuum, hanc notitiam nedum excellere dignitate cęteros Philoſophiæ tractatus, verum & eſſe admodum utilem. Primum patet; nam dignitas ſcientiæ decerpitur ex obiecti dignitate; ſed corpus animatum ſuperat perfectione, & dignitate omnia alia corpora naturalia, ut rationaliter dubitari nequit; g. &c. Secundum etiam conſtat, ex eo quòd anima maximam affinitatem habet cum intelligentiis, conſequenter que illius notitia multum cõfert ad illarum cognitionem. Eſt etiam utilis Philoſophiæ morali; tota enim hæc circa actus, & habitus animæ rationalis verſatur. Iuvat denique ad Theologiam; nam hæc agit de ultimo fine hominis, & de mediis ad illum conſequendum.

dum, cuiuſmodi ſunt habitus infuſi, actus, & auxilia ſupernaturalia, quæ omnia tantùm in anima reperiuntur. Pariformi modo poteſt philoſophari circa huius tractatus utilitatem ad alias ſcientias; g. &c.

5 Ut autem inoffenſo pede in hoc de Anima tractatu procedatur, hic apponere libuit quaſ, dam propoſitiones, quæ tamquam catholicæ dogmata fidei, ſunt firmiter tenendæ. Prima eſt; *Anima rationalis non eſt una numero in omnibus hominibus: ſed tot ſunt animæ rationales numero diſtinctæ, quot ſunt homines numero diſtincti.* Hęc definita eſt in Concil. Lateran. III. ſect. 8. 2. eſt: *In unoquoque homine una numero eſt anima, non plures.* Quæ fuit definita in octava Synodo Generali, Act. 10. Can. 11. 3. eſt: *Anima rationalis informat corpus, & unum per ſe cum illo conſtituit.* Iſta definita eſt in Conc. Vien. & in Lateran. ſect. 8. 4. eſt: *Anima rationalis non educitur de potentia corporis, ſeu materia, ſed à Deo creatur.* Sic ſancitum eſt à Leone I. Epiſt. 19. 5. eſt: *Anima rationalis non eſt corporea.* Ita habetur in ſacra Sript. nam ad Galat. 5. dicitur; *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, 6. eſt: *Anima rationalis non eſt Dei ſubſtantia, vel ex Dei ſubſtantia.* Hæc fuit definita in Concil. Bracar. 1. cap. 5.

6 Septima eſt: *Animæ ſunt creatæ extra corpus, ſed ſimul à Deo creantur, & corporibus infunduntur.* Ita fut ſtabilitum à Leone 1. Epiſt. 71. 8. eſt; *Anima rationalis non corrumpitur, corrupto corpore; ſed manet in æternum duratura.* Hæc definita eſt in Concil. Lateran. III. ſect. 8. & habetur expreſsè ſæpè in ſac. Script. 9. eſt; *Animæ manentes poſt corruptionem corporum non ſubintrant alia corpora, nec tranſmigrant ex uno in aliud.* Sic docet, tamquam de fide D. Athan. lib. 6. *de beatitudine Filii Dei*. Decima denique propoſitio hæc eſt: *Omnes rationes, quæ contra animæ immortalitatem à Philoſophis factæ*

ſunt,

ſunt, ſunt ſophiſticè, & vana, & ſolvi poſſunt ratione naturali. Sic decretum fuit in Concil. Lateran. ſect. 8. Quas omnes, & hæreticos oppoſitarum aſſertores, necnon à PP. à quibus hi reiiciuntur, & impugnantur, refert noſt. Illuſtr. Merin. in Proœmio ad lib. de Anima à num. 36. uſque ad 46.

7 Circa præſentem tractatum eamdem methodum, quam in præcedentibus, curabimus obſervare, libros ſcilicet in diſputationes dividendo, has in quæſtiones, iſtas, ſi opus fuerit, in ſectiones, quibus quandoque, prout neceſſitas expoſcet, aliqua dubia, ac corollaria annectemus. Sit igitur

LIBER PRIMUS,

DE ANIMA.

PEr tres lib. hunc tractatum Ariſt. hoc ordine diſpoſuit in 1. ſcilicet exagitat illas difficultates, quæ in præced. Proœm. breviter manent attactæ. In 2. diſputat de anima in communi, eiuſque potentiis; & de anima vegetativa, & ſenſitiva, necnon de harum affectionibus. In 3. tamen agit de anima intellectiva. Nos verò aliter, claritatis ergo, hos lib. diſponere decrevimus, & præſuppoſitis in proœmio his, de quibus in 1. lib. ipſe diſceptavit, in hoc noſtro de anima in communi, & eius potentiis in communi agemus. In 2. de anima vegetativa, & ſenſitiva, omnibuſque ad illas ſpectantibus; & in 3. de anima intellectiva, ſeu rationali, & his, quæ ad illam attinent, poſſibili claritate, & brevitate pertractabimus. Sit igitur.

DISP. I.

De eſſentia animæ ut ſic.

PRætermiſſis rationibus, quibus animæ exiſtentia ſolet oſtendi. ſufficit enim pro omnibus ad illam ſuadendam experientia ipſa, qua quiſque ex propriis operationibus percipit, ſe ipſum vivere, ſentire, & ratiocinari, indagare in primis oportet ipſius animæ quidditatem, ſeu eſſentiam; & cum hæc non aptius poſſit explicari, quam per animæ definitionem, ideo duplicem ab Ariſt. traditam, antequam alias difficultates proponamus, in hac diſput. expendimus. Pro quaſit

QUÆSTIO I.

Utrum anima rectè, & eſſentialiter ab Ariſt. definiatur.

1 DUas, ut nuper dicebamus, animæ definitiones tradidit Ariſtot. Primam in 2. lib. huius tractatus cap. 1. text. 6. ſic: *Anima eſt actus primus corporis phyſici organici potentia vitam habentis*. Secundam in eodem lib. capit. 2. text. 18. & 24. his verbis: *Anima eſt principium, quo primo vivimus, ſentimus, movemur, & intelligimus*. Utramque definitionē communiter Philoſophi admittunt, etſi in explicatione, præſertim primæ, non omnes conveniant. Sed ut illius bonitas clarius innoteſcat, eius particulas ſigillatim explicare oportet. Igitur

2 Dicimus anima *actus*, in quo convenit cum aliis formis, tam ſubſtantialibus, quam accidentalibus; omnes enim iſtæ actus ſunt. Additur ly *primus*, & in hoc differt ab operationibus, quæ non ſunt actus primi, ſed tantum ſecundi, & à formis accidentalibus, quæ cum non tribuant

bant eſſe ſubſtantiale, ſed illud neceſſariò præſupponant, actus primi eſſe non poſſunt. Dicitur, *corporis phyſici,* & per hoc diſtinguitur anima, tum à formis aſſiſtentibus, cuiuſmodi ſunt Angeli, tum à formis artificialibus, & mathemathicis, ut forma cathedræ, & trianguli differt quidem ab illis, eo quod formæ aſſiſtentes non informant id, cui aſſiſtunt, & anima informat corpus in ordine ad quod definitur, ab artificialibus, & mathematicis ſecernitur per ly *phyſici;* nam corpus, quod anima informat, & phyſicum, & naturale, non mathematicum, aut artificiale. Subditur etiam ly *organici*, & per hoc differt anima ab aliis formis ſubſtantialibus, quæ quando inſunt ſubiectis, licet diverſas habeant operationes, non egent, ut illas exerceant, organis, ſeu partibus heterogeneis ſubiecti; ſed in quavis parte illas æqualiter exercent, ut patet in igne, anima vero ita diverſas exequitur operationes, ut non omnes in omnibus partibus ſubiecti exerceat, ut patet in viſu, & auditu, ideoque neceſſario præexigit partes diverſas, diſſimilares, & heterogeneas in ſubjecto.

3 Per ultima verba prædictæ definitionis, nempè; *potentia vitam habentis*, datur intelligi, quod in corpore phyſico, ut anima ſit actus eius, non ſufficit quævis organizatio, ſed requiritur neceſſario, taliter eſſe organizatum, quod ſit ultimatè diſpoſitum ad hoc, ut ſtatim ab anima informetur. Huius conditionis defectu, Ariſtot. in hoc lib. cap. 1. excludit à ratione corporis phyſici, & organici (prout hoc ſumitur in præſenti) cadaver, & embryonem præcedentem tempore animæ informationem. Sic enim ait: *Non eſt in potentia vivens, quod abiicit animam* (ideſt, cadaver) *eaque vacat* (intellige embryonem prius tempore, quam inſit anima) *ſed quod ipſam habet.* Explicatis ergo ſingulis definitionis animæ particulis.

4 Di-

4 Dicimus ad quæſt. prædicta animæ definitio exactè explicat animæ naturam. Hæc concl. eſt communis, & nullo aptiùs medio probari poteſt, quam ex dictis num. præced. ex his enim ſatis conſtat, illam conſtare genere, & differentia, habereque omnes alias conditiones ad rationem rectæ definitionis requiſitas, ut illas perpendenti patebit: g. talis definitio eſt bona. An autem eſſentialis ſit, necne? conſtabit ex triplici acceptione, ſub qua ſumi poteſt ly *actus*. Si enim ſumatur pro actu actualiter informante, talis definitio eſt accidentalis; nam eſt omninò accidentale animæ utpotè quid ab illa realiter ſeparabile, actualiter informare corpus. Si autem actus ſumatur pro aptitudine ad actuandum, ſeu informandum, definitio non eſt quidditativa, ſed deſcriptiva tantum; ſiquidem in hoc ſenſu datur per id, quod extra eſſentialiter, & tamquam propria paſſio, convenit animæ. Si denique *actus* ſumatur radicaliter, definitio eſt eſſentialis; radix enim, a qua dimanat aptitudo ad informandum corpus, eſt abſque dubio ipſius animæ eſſentia. Conſtat ergo in quo ſenſu præjacta definitio ſit eſſentialis.

5 Pro majori autem, & exactiori talis definitonis intelligentia duo ſunt examinanda. Primum eſt, quod intelligat Ariſtot. per illa verba, *corporis phyſici*, & *organici*? Reſpond. per illa intelligere, corpus conſtans ex materia, & forma ſubſtantiali corporeitatis, modo a nobis explicato lib. 1. de Gener. & Currupt. diſput. 2. qu. 4. Recolantur ibi dicta, 2. eſt, an anima rationalis ſit actus informans corpus? Reſpond. affirmativè cum Scoto in 4. diſtinct. 43. quæſt. 2. § *Reſpondeo*, lit. A. Hæc reſolutio, præterquamquod eſt de fide, ut patet in 3. propoſit. in Præl. ſtabilita, prob. ratione: homo dicitur, & eſt formaliter intelligens, & volens; ſed iſtæ operationes conveniunt ei ratione animæ ratio-

tionalis; g. hæc eſt actus informans corpus, & hominem conſtituens. Patet conſeq. nam ſi tantum eſſet forma aſſiſtens, ſicut Angelus aſſiſtens Cœlo, non diceretur homo formaliter intelligens, & volens, ſicut cum Angelus intelligit, aut vult, non dicitur Cœlum intelligens, aut volens. Confirm. quia homo eſſentialiter diſtinguitur à bruto, ſed non per corpus; hoc enim tam convenit uni, quam alteri: g. per animam; ſed non per animam vegetativam, aut ſenſitivam, ſiquidem hæc etiam convenit bruto: g. per rationalem, ac proinde hæc, ut talis, eſt actus corpus informans, & hominem conſtituens. Patet hæc conſeq. quia per actum, ſeu formam, quæ eſt tantum aſſiſtens, nihil poteſt ab alio eſſentialiter diſtingui.

6 Argues contra hoc: ſi anima rationalis, quatenus talis, eſſet actus informans corpus, dependeret ab illo in ſuo eſſe, tanquam à cauſa materiali receptiva; ſed hoc eſt falſum; g. &c. Prob. maj. nam omnes aliæ formæ tam ſubſtantiales, quam accidentales, dependent à ſubjectis, quorum ſunt actus informativi; erg. ſi anima eſt actus informans corpus, quod ab illo in ſuo eſſe dependeat, neceſſe eſt. Huic argum. reſpondent aliqui, quod anima rationalis eſt actus informans corpus, non prout rationalis eſt, ſed tantùm prout eſt vegetativa, & ſenſitiva. Hæc reſponſio ſuſtineri nequit: quia anima hominis ſecundum eamdem realiter indiviſibilem entitatem eſt vegetativa, ſenſitiva, & rationalis: erg. nequit informare realiter corpus ſecundum unam rationem, quin ſimul ſecundum aliam neceſſariò informet. Anteced. eſt certum, cùm anima ſit una realiter phyſicè entitas; conſeq. autem prob. quia anima in tantum informat corpus, in quantùm intrinſecè; & phyſicè unitur illi: ſed unitur illi ſecundum totam ſuam phyſicam entitatem; unio enim

phy-

phyſica nequit non ſubjectari in tota entitate phyſica, ſicut nec terminari, niſi ad totam phyſicam entitatem; g. anima nequit informare corpus, ſecundum quod eſt ſenſitiva, & non ſecundum quod eſt rationalis; & conſequenter præallata reſponſio eſt nulla.

7 Reſpond. erg. ad arg. neg. mai. cuius probat. neg. conſeq. aliæ enim formæ præter animam rationalem non eò præciſè in ſuo eſſe dependent à ſubjectis, quia illa informant; ſed quia non ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, cuiuſmodi eſt anima rationalis, ſed vel ſunt ſubſtantiæ materiales, ac proinde dependentes à materia, ſeu ſubiecto in ſuo fieri, & eſſe; vel ſunt accidentia, quæ extra ſubiectum nequeunt naturaliter eſſe eò quod ſunt entia in alio.

8 Argum. 2. actus, & potentia debent ad invicem proportionari; g. ſi anima eſt actus informans, & corpus eſt potentia informata ab illa, proportionari debent; ſed anima eſt quid ſpirituale, & corpus quid materiale; g. non proportionantur, & conſequenter, &c. Confirm. nulla intellectualis operatio exercetur per corpus, nec in aliquo illius organo recipitur; g. ideò eſt, quia anima, prout rationalis eſt, corpus non informat, Reſpond. ad argum. diſting. maj. actus, & potentia debent proportionari, univocè entitativè, nego; accidens enim eſt actus ſubſtantiæ, & tamen cum illa ſic non proportionatur. Debent proportionari penes hoc, quod unum ſit actuabile per aliud, & hoc ſit actuativum illius, concedo. Similiter diſtinguitur conſeq. & conceſſa min. ſubſumpta, aliud conſeq. diſting. anima, & corpus non proportionantur univocè entitativè, concedo; penes hoc, quod corpus ſit actuabile, & determinabile per illam, & hæc ſic actuativa, & determinativa corporis, nego conſeq. Igitur hæc ultima proportio eſt ſufficiens, ut anima ſit actus informans corpus; ſiquidem anima rationalis

eſt

eſt ſubſtantia completa nata, ut ſimul cum alio per modum per ſe actus unum per ſe conſtituat; ſimiliterque corpus eſt ſubſtantia incompleta nata, ut per modum per ſe potentiæ ſimul cum alio conſtituat unum per ſe. Ad confirm. neg. conſeq. nam ex antec. ſolùm infertur, quod potentia intellectiva animę immediatè reſidet in illa, & non in aliquo organo corporeo, ſicut reſident potentiæ vegetativa, & ſenſitiva; non tamen infertur, ipſam animam ſecundum ſe totam non informare corpus; hoc enim repugnat, ut ex ſup. datis rationibus conſtat.

9 Circa ſecundam animæ definitionem ſup. num. 1. relatam, dicendum eſt, illam eſſe rectam, & exactam, ſiquidem explicat omne, quod ad animam ſpectat, per gradus, & munera ſua, ut ſingulas illius particulas diſcurrenti fiet manifeſtum: talis autem definitio non eſſentialis, ſed deſcriptiva dicenda eſt, quod ſic prob. priùs eſt, quod anima ſit actus corporis informativus, & conſtitutivus viventis, quam quod ſit principium operationum, quæ in tali definitione aſſignantur: ſed quod primò convenit alicui rei eſt eſſentiale illi, & quod ſecundò convenit, eſt ei extraeſſentiale: g. talis definitio eſt extraeſſentialis, & deſcriptiva. Niſi fortè eodem modo loquamur de hoc verbo *principium*, ac de illo verbo *actus* poſito in prima definitione loquebamur: ſic enim hæc ſecunda definitio erit, vel eſſentialis, vel deſcriptiva, vel accidentalis, iuxta varias acceptiones, ſub quibus hoc verbum *principium* conſiderari poteſt. Hic advertere libet, quod verba ſecundæ definitionis non ſunt intelligenda copulativè, ſed tantùm diſtributivè deſtributione accommodata, ita ut illorum ſenſus ſit, anima eſt principium, quo primo vivunt omnia, quæ habent vitam vegetativam; quo primò vivunt, & ſentiunt, quæ habent vitam vegetativam, & ſenſitivam; & ſic de cæteris modo proportio-

exerceri medio organo corporeo; & ſic erit intellectio, vel volitio. Vel etſi exerceri poſſit medio organo corporeo, non tamen mediis qualitatibus valde materialibus, cuiuſmodi ſunt primæ, & etiam ſecundæ, quæ ex primarum commixtione reſultant; ſed mediis aliis ſubtilioribus, & non parum à materia depuratis, quales ſunt ſpecies ſenſibiles, & ſic erit ſenſatio, cui anima ſenſitiva correſpondet; quamvis enim primæ, & ſecundæ qualitates ad huiuſmodi operationem requirantur; non tamen ideò, quia media virtute illarum operatio ſenſitiva procedat; ſed quia ad debitam diſpoſitionem organi, per quod talis operatio eſt exercenda, neceſſariò requiruntur.

2 Vel tandem eſt operatio, quæ licèt fiat medio organo corporeo, & virtute qualitatum purè materialium, ſicut aliæ inanimatorum operationes, excedit tamen quamvis naturæ inanimatæ operationem in eo, quod illa neceſſariò eſt à principio intrinſeco per ſe intēdente conſervationem eiuſdem rei in individuo; in quo omnia viventia ſuperant inanimata; & huiuſmodi operationi correſpondet anima vegetativa: ſed præter iſtas tres operationes, nulla alia generaliter invenitur, in qua natura animata excedat entis inanimati operationes; g. tantùm dantur tria genera animarum, iuxta tres prænumeratas operationes. Advertendum eſt tamen, quod hoc argum procedit à poſteriori, & quaſi à ſigno, nemè ex diverſitate modi operandi; quia à priori diſtinguuntur animæ inter ſe per proprias differentias eſſentiales cōtrahentes animam ut ſic ad eſſe vegetativæ, ſenſitivæ, aut intellectivæ.

3 Pro ſecundo, quod inquirit quæſtio, nempè quot ſint gradus viuentium? prænotandum eſt, quòd in vita vegetatiua non datur aliqua latitudo gradualis; nam ob illius imperfectionem tota conſtringitur ad actiones nutri-

tivam, augmentativam, & generativam, quæ in omni viventi inveniuntur; unde nequeunt dari diverſi gradus huius vitæ penes participationem plurium, vel pauciorum operationum vegetativarum; omnibus enim conveniunt prænumeratæ operationes vegetativæ, in quibus tota perfectio, & graduatio huiuſmodi vitæ conſiſtit; & ſi dentur diverſæ ſpecies vegetabilium penes diverſam perfectionem, quam habent in participando rationem vegetabilis ut ſic, & operationes tali rationi correſpondendentes. Deinde, in vita intellectiva ſunt quidem diverſi gradus, non penes diverſas operationes intelligendi, & volendi; omne enim intellectivum utraque hac gaudet operatione, ſed penes diverſum modum communicandi cum corpore, vel materia, vel recedendi ab illa, & accedendi ad immaterialitatem divinam; ſed hujuſmodi graduatio non pertinet ad Philoſophum, qui, ut talis, tantùm conſiderat animam, prout eſt actus corporis phyſici; ſed ad Metaphyſicum, cuius eſt ſubſtantias ſeparatas conſiderare; g. in vita intellectiva tantùm datur unicus gradus penes ſuas operationes omnibus animabus intellectivis indiſcriminatim conveniens; & in vita vegetativa etiam unicus gradus penes ſuas operationes, qui etiam in omnibus animabus vegetativis invenitur. Hoc tamquam certo præmiſſo.

4 Dicimus 2. dantur tantùm quatuor gradus viventium. Hæc concl. eſt communis, & prob. in vita ſenſitiva reperiuntur duo gradus penes diverſas ipſius operationes, qui indiſcriminatim non conveniunt omnibus animabus ſenſitivis; g. dantur quatuor gradus viventium. Patet hæc conſeq. quia diverſitas graduum viventium deſumitur ex eorum ſeparabilitate, taliter, quod unus ſine altero poſſit viventi convenire. Prob. autem antec. quia dantur aliqua viventia, quibus etſi conveniant poten-

tiæ

viæ vegetativa, & ſenſitiva, non tamen loco motiva, ut ſunt (juxta plurimorum ſententiam) oſtrea, & conchylia: ſed eſſe ſenſitivum ſine potentia loco motiva, & eſſe ſenſitivum, & ſimul loco motivum, ſunt diverſi gradus penes diverſas operationes; erg. in vita ſenſitiva reperiuntur duo gradus penes diverſas ipſius operationes, qui indiſcriminatim omnibus animalibus ſenſitivis conveniunt; ſed iſti duo, & ſimul alii duo, nempe vegetativus, & intellectivus, ſunt quatuor gradus viventium; erg. &c.

5 Si autem inquiratur, quomodo gradus viventium quatuor eſſe poſſunt, cum, iuxta primam concluſ. animæ tantum ſint tres? Reſp. ideò hoc ita eſſe, quia ex diverſo capite deſumitur pluralitas animarum, ac pluralitas graduum viventium. Illa enim deſumitur ex diverſa actuatione corporis organici penes potiſſimas tres operationes vegetandi, ſentiendi, & intelligendi, in quibus animata, ſeu viventia ſupergrediuntur omnem inanimatorum operationem, & ideò tres tantùm animas admittimus, modo num. 1. & 2. præexplicato. Multiplicitas autem graduum viventium, licèt remotè, & quaſi radicaliter ex animarum diverſitate ſumatur: proximè tamen, & formaliter deſumitur ex diverſis modis operandi vitaliter, qui realiter ſeparabiles ſunt, qui, cùm quatuor ſint, juxta dicta numero præced. ideò quatuor viventium gradus communiter ſtatuuntur.

6 Dicimus 3. potentiæ vitales animatorum ſunt quinque, nimirum vegetativa, ſenſitiva, loco motiva, intellectiva, & appetitiva. Hæc concluſ. eſt communis ſicut præcedentes. Prob. hujus diviſionis ſufficientia; diverſitas potentiarum animatorum deſumitur ex diverſis modis tendendi circa ſua objecta; ſed animata habent quinque diverſos modos ten-

dendi circa ſua obiecta; g. &c. Prob. min. quia aliqua animata tendunt in obiectum, illudque reſpiciunt, prout poſſunt in ſe illud convertere motu ſubſtantiali nutritionis; cui modo correſpondet potentia vegetativa. Alia tendunt in obiectum, quatenus ab illo poſſunt recipere ſpecies materiales, & ſenſibiles, quibus proprias ipſorum operationes circa illud exercere valeant; huic correſpondet potentia ſenſitiva. Aliud deinde ad idem munus exequendum tendunt in obiectum, quatenus poſſunt ab illo recipere ſpecies immateriales, quales ſunt intelligibiles; huic modo potentia intellectiva correſpondet. Præterea animata, quæ gaudent cognitione, ſive ſenſitiva, ſive intellectiva, tendunt in ſua obiecta per inclinationem ad ipſa, quæ inclinatio vocatur appetitus; cui modo operandi correſpondet potentia appetitiva, quæ verſatur circa obiectum antecedenter cognitum. Denique ex tali inclinatione, ſeu appetitu ſequitur in aliquibus animatis motus localis ad tale obiectum conſequendum; & huic tendendi modo correſpondet potentia locomotiva; ſed non ſunt aſſignabiles plures, nec pauciores modi diverſi, quibus animata in ſua obiecta tendant: g. neque plures potentiæ præter quinque in concluſ. relatas.

7 Hic etiam, ſicut ſupra poteſt inquiri, quare, ſi dantur quinque potentię animatorum, non dentur etiam tot gradus viventium, & totidem animæ? Reſp. hoc ita eſſe, eo quod diverſi gradus viventium non admittuntur: niſi inter illa, quæ ſe habent, ut priùs, & poſterius cum ſeparabilitate unius ab altero, ut contingit in ſenſitivo, & locomotivo; cum autem appetitivum numquam dari poſſit ſine ſenſitivo, neque è cōtra, ideò hæc non conſtituunt diverſos viventium gradus, quamvis diverſas conſtituant potentias, propter nuper dicta. Deinde non ſtabiliuntur tot animæ, quot potentiæ, eo quo cum plu-

plures potentiæ ab unica anima provenire poſſint, nullatenus eſt neceſſarium, quòd ad multiplicationem potentiarum animæ ſimiliter multiplicentur.

8 Contra primam concl. poteſt argui ſic; una ex legibus bonæ diviſionis eſt, quòd unum membrum dividens in alio ſimul dividente non includatur, ut in Summulis manet dictum; ſed anima vegetativa includitur in ſenſitiva, ut patet in brutis; & vegetativa, & ſenſitiva includuntur in intellectiva, ut patet in homine; erg. talis diviſio non eſt bona; & conſequenter deficit concluſio. Reſp. tamen neg. min. in ſenſu, in quo de his animabus loquimur ibi; quia quælibet anima, quatenus eſt membrum hujuſmodi diviſionis ſumitur cum reali excluſione alterius, ſcilicet vegetativa, prout conſtituit vivens tantùm, & excludit ſenſitivam, ut patet in planta; ſenſitiva, prout conſtituit animal; & excludit illam, quæ eſt vegetativa tantùm, & intellectivam, ut patet in brutis. Intellectiva denique, ut conſtituit rationale, & excludit realiter illam, quæ eſt tantùm vegetativa, & illam, quæ ſolùm eſt ſenſitiva, ut patet in homine; in quo ſenſu eſt omninò certum, tales animas ſe ad invicem realiter excludere; conſequenter, talem diviſionem in nullo deficere. Advertere hic oportet, quòd quando in ratione pro prima concluſ. etſi fortè alibi dicimus, tria eſſe genera animarum, non intendimus, animas eſſe tres genere, aut ſpecie rigorosè; cùm enim ſint entia incompleta, nequeunt ſic tres eſſe; ſed intelligimus tria genera animarum, ideſt tres animas diſtinctas, quarum una, nempè rationalis conſtituit ſpeciem ſpecialiſſimam; reliquæ verò conſtituunt genera ſubalterna, modo entibus incompletis proportionato.

QUÆSTIO III.

Utrum in eodem vivente dentur plures animæ?

1 HUjus quæſtion. ſenſus eſt; an in homine v. grat. dentur tres animæ realiter diſtinctæ, alia nempè vegetativa, alia ſenſitiva, & rationalis alia? Et ſimiliter in bruto duæ. Vel ſaltim, an in homine dentur duæ animæ ſic diſtinctæ, nimirum ſenſitiva, & intellectiva? Sententia affirmativa, utpotè erronea, eſt damnata, ut in Præludio huius tractatus præmittebamus. Vnde omiſſis auctoritatibus, tam Conciliorum, quam SS.PP. & rationibus, quibus hic error communiter impugnatur, & quæ videri poſſunt apud RR. propttereaque brevitatis ergo ab illis ſuperſedimus, pro vera, & catholica ſententia.

2 Dicimus ad quæſt. in homine tantum datur unica anima, quæ eſt rationalis, & idem, modo convenienti, de cæteris viventibus eſt dicendum. Sic Ariſtot. hic lib. 1. capit. 4. text. 58. & capit. 5. Scotus in 4. diſtinct. 44. quæſt. 1. §. *Circa iſtam quæſtionem*, *verſic. Præterea partes*, ante litter. A. & aliis in locis, quos ibi citat D. Thom. 2. cont. Gent. cap. 89. & 1. p. quæſt. 76. art. 3. Prob. concluſ. 1. ratione; ſi in homine daretur nedum anima rationalis, verum & ſenſitiva realiter ab illa diſtincta, ſequeretur, quod homo ſimul eſſet brutum, & rationalis; ſed hoc implicat omninò; ergo &c. Prob. mai. nam compoſitum conſtans ex corpore, & anima ſenſitiva tantum, neceſſario eſt brutum; ſicut compoſitum conſtans ex corpore, & anima rationali, neceſſario eſt rationale; ſed in caſu oppoſitæ ſententiæ homo conſtaret corpore, & anima ſenſitiva tantum, & ſimul conſtaret ani-

ma rationali: ergo ſimul eſſet rationalis, & brutum: & conſequenter, &c.

3 Nec valet, ſi dicatur, hoc nullatenus ex oppoſita ſententia ſequi; quia brutum conſtat anima exiſtente in illo ſine rationali, imo anima cui repugnat coniungi cum rationali: ſed oppoſita ſententia non ponit in homine animam ſenſitivam exiſtentem ſine rationali, neque animam, cui repugnat coniungi cum rationali: ergo ſequela non benè a nobis ex oppoſita ſententia infertur. Hoc quidem non valet; nam ſi per impoſſibile ſimul eſſent in aliquo ſubiecto forma bruti, & forma hominis tale ſubiectum verè eſſet ſimul brutum, & homo ſicut ſi in eodem ſubiecto ſimul eſſent forma ligni, & forma lapidis, tale ſubiectum verè eſſet ſimul lignum, & lapis, eo quod nequit forma eſſe unita ſubiecto, quin ſuum effectum formalem illi præſtet: ſed oppoſita ſententia admittit in homine ſimul formam bruti, & formam hominis: ergo neceſſariò erit ſimul brutum, & homo. Probat. min. quoad 1. part. in qua tantum poteſt eſſe difficultas; ſententia oppoſita ponit in homine, præter animam rationalem, aliam, quæ realiter eſt ſolum ſenſitiva, & involvit repugnantiam diſcurrendi ſe ipſa: ſed anima, quæ realiter eſt ſolum ſenſitiva, & involvit repugnantiam diſcurrendi ſe ipſa, eſt forma neceſſario conſtitutiva bruti; ergo oppoſita ſententia admittit in homine ſimul formam bruti, & formam hominis; & conſequenter, &c.

4 Probat. 2. concluſ. ratione a priori: quia eadem indiviſa realiter anima, ſi ſit ſuperior, poteſt præſtare communes effectus vegetandi, & ſentiendi: ſed anima rationalis eſt ſuperior omnibus aliis animabus: ergo eadem indiviſa realiter poteſt præſtare prædictos effectus; ac proinde illos neceſſario præſtat, utpotè cauſa formalis. Major (præterquamquod

conſtat ex illo axiomate ab omnibus admiſſo, nempe: *Quæ ſunt in inferioribus diſperſa, in ſuperioribus ſunt unita*) probat. exemplo Solis, qui, etſi unica realiter indiviſa entitas ſit, producit lucem, calorem, alioſque quamplures effectus, quos creaturæ minus perfectæ ſeorſim, id eſt, una unum, & alia alium, producunt; ergo cum anima rationalis ſit ſuperior, & excellentior cæteris omnibus animabus, ſeipſa ſola continere, & producere poterit plures effectus, quos ſeorſim illæ producunt; ſed præſtat vegetativa effectum vegetandi; & ſenſitiva ſenſationem; ergo rationalis, utpotè ſuperior, poterit ſeipſa illos præſtare, & conſequent. &c. Confirm. nam ipſa anima rationalis, etſi una ſit entitas indiviſa, producit intellectionem, & volitionem; aſſenſum, & diſſenſum; amorem, & odium: ergo poteſt abſque reali ſui diviſione producere effectus ſpecie diverſos, ac proinde etiam vegetationem, ſenſationem, & intellectionem.

5 Nec valet ſi dicatur contra 2. rationem noſt. quod etſi Angelus ſit quid ſuperius anima, tam vegetativa, quam ſenſitiva, ac rationali, inde non infertur, illum poſſe præſtare tales effectus; ergo talis ratio non ſubſiſtit. Hoc non valet; quia Angelus ita eſt quid ſuperius illis animabus, quod eſt natura completa in ſuo genere, cui repugnat aliquod ſubiectum informare, conſequenterque repugnant ei operationes per ſe ſupponentes informationem, cuiuſmodi ſunt vegetatio, & ſenſatio. Anima autem rationalis, ita eſt ſuperior reliquis, quod eſt natura incompleta, & per ſe ordinata ad informandum, tamquam forma, & vivificandum corpus: unde poterit hoc præſtare quoad communes vegetandi, & ſentiendi effectus, qui ſunt effectus in ipſa, tamquam ſuperiori, uniti, & in cæteris animabus, utpotè inferioribus, diſperſi. Dicimus, *quoad com-*

communes vegetandi , & ſentiendi effectus , eo quòd licèt iſtos præſtare poſſit , ut iàm eſt oſtenſum ; non tamen valet præſtare effectus peculiares , & ſpecificos animæ vegetativæ , & ſenſitivæ , ut v. g. gradus hinniendi , rugendi , aut mugiendi , quia iſti proveniunt ab anima ſenſitiva , prout in eſſe completo ; & ſpecifico conſtituta ; quo pacto realiter , & formaliter à ſe excludit animam rationalem , ut in præcedenti quæſtione num. 8. dicebamus .

6 Arg. 1. nequit convenire eidem realiter indiviſæ rei generari , & creari , ut eſt per ſe notum: ſed anima rationalis creatur , & ſenſitiva non creatur , ſed ab alio homine generatur: g. in homine non eſt eadem realiter anima rationalis & ſenſitiva . Mai. eſt certa ; min. quoad 1. p. dubitari nequit , prob. autem quoad 2. nam homo generans producit ultimam diſpoſitionem ad animam hominis producti ſenſitivam ; ut ſenſitivam ; ſed producens ultimam diſpoſitiomen ad aliquam formam , producit etiam ipſam formam: g. anima ſenſitiva hominis generatur ab alio homine ; & conſequenter , &c. Reſpond. neg. min. quoad 2. p. & ad probationem huius conceſſa maiori , diſting. min. produ cens ultimam diſpoſitionem ad aliquam formam , producit etiam ipſam formam , vel quoad entitatem , vel quoad unionem , quia ipſa unitur materiæ, vel materia unitur illi, de quo alibi, conc. quoad entitatem ſemper , nego min. & conſeq. itaque quando entitas formæ generandæ , ſeu producendæ eſt valde perfectioris , & nobilioris ordinis , quàm entitas diſpoſitionum , & abſolutè independens ab iſtis in eſſe , & operari , tunc ſufficit , quòd generans producat diſpoſitiones ad talem formam prærequiſitas , & ratione iſtarum producat unionem , qua materia uniatur ipſi formæ , quin ipſam formam producat unde anima hominis , quamvis , prout ſenſitiva

formaliter, non importet aliquid ſuperioris ordinis reſpectu diſpoſitionum, aut actionis generantis; imbibit tamen tale aliquid ordinis ſuperioris, & illud entitativè continet, quatenus eſt propria hominis forma; ideòque per actionem agentis creati nullatenus quoad ſuam entitatem produci poteſt.

7 Argum. 2. ſeparatio unius ab alio infert neceſſario realem diſtinctionem inter utrumque: ſed poſt mortem hominis manet in corpore anima ſenſitiva, aut vegetativa, abſque rationali; g. hæ diſtinguuntur realiter in illo. Prob. mai. aliquibus experientiis. Prima eſt in cadaveribus hominum, quorum dentes, ungues, & capilli creſcunt, & hoc ab intrinſeco, cùm nulla eis apponatur materia; ſed augmentum ab intrinſeco neceſſariò infert animam, ſaltim vegetativam: ergo, &c. Secunda in corde hominis recenter à corpore extracto; quod ſæpè viſum eſt moveri, quod abſque anima fieri nequit. Tertia denique eſt in capitibus punitorum recenter amputatis, quæ ſæpè in ſaltus prorumpunt, & ſurſum moventur; erg. &c. Reſpond. ad argumentum conced. mai. & neg. min. ad cuius primam probationem negamus, quòd dentes, &c. hominis mortui verè creſcant, aut augeantur; ſolùm enim apparent exteriùs maiores ex conſtrictione, ſeu exſiccatione carnis, & cutius, quæ in illo manent; unde hoc non provenit ad aliqua anima, quæ in illa ſit. Ad 2. reſpond. quòd cor hominis recenter extractum, ſi quando movetur, hoc non eſt virtute alicuius animæ, ſed tantùm vi ſpirituum animalium in eo tranſeunter exiſtẽtium, aut ex vi pulſativa ſtatim à morte reſultantium. Ad 3. denique ſimiliter reſpondetur; ſaltus enim capitis recenter amputati fiunt ſolùm impulſu ſpirituum animalium in illo per breve tempus exiſtentium. Si aliqua alia objiciantur experimenta, in quibus videtur ho-

homines mortuos fuiſſe locutos, vel aliud quid ſimile effeciſſe, dicendum eſt, hoc ſic fuiſſe factum virtute miraculoſa; decet enim Philoſophos ad hoc recurrere, ubi cauſa naturalis inveniri ad hoc nequit, & prçterea adſunt congruentiæ, ut divinæ virtuti attribuantur.

8 Arg. 3. in homine eſſe vegetativum, & ſenſitivum neceſſariò provenit ab aliqua anima: ſed non à rationali: g. à vegetativa, vel ſenſitiva, prout realiter ab illa diſtincta. Prob. min. quia eſſe vegetativum, & ſenſitivum formaliter in homine eſt aliquid realiter diſtinctum ab anima rationali, adhuc prout communicata homini; ſed effectus formalis non diſtinguitur realiter à forma communicata: g. in homine eſſe vegetativum, & ſenſitivum formaliter non provenit ab anima rationali. Prob. maj. quia in homine eſſe vegetativum, & ſenſitivum formaliter eſt aliquid entitativè materiale, ſiquidem eſt formaliter animal; g. eſt aliquid realiter diſtinctum ab anima rationali; hæc enim eſt entitativè ſpiritualis.

9 Reſp. neg. min. quia anima rationalis, licet ſpiritualis ſit *ut quod*, eſt etiam vegetativa, & ſenſitiva *ut quo*. Ad prob. min. diſting. maj. eſſe vegetativum, & ſenſitivum *ut quod*, eſt aliquid realiter diſtinctum ab anima rationali, adhuc prout communicata ſubjecto, concl. eſſe vegetativum, & ſenſitivum *ut quo*, neg. maj. & concl. min. neg. conſeq. verum quidem eſt, quòd eſſe vegetativum, & ſenſitivum *ut quod*, eſt realiter diſtinctum ab anima rationali, eo quòd tale eſſe eſt quid completum, & totale, adæquataque ſpecies animæ ut ſic, proindeque realiter, & formaliter excludens animam rationalem, modo explicato n. 8. quæſt. præced. Eſſe autem vegetativum, aut ſenſitivum *ut quo*, non eſt quid realiter diſtinctum ab anima rationali, prout communicata homini, eſt enim ipſa anima, ut exiſtens in illo. Ad hujus maj. probat. reſpond.

neg. antec. aut diſtinguendo illud, quamvis enim eſſe vegetativum, aut ſenſitivum in homine ſit entitativè aliquid materiale ex parte ſubjecti (idem intellige de ratione animalis) ex parte tamen formæ eſt quid ſpirituale, quod ſufficit ad hoc, ut anima, etſi ſpiritualis ſit, effectus vegetandi, & ſentiendi præſtare poſſit. Adverte hìc, ut plenius tam huic, quàm aliis argumentis ſatisfacere poſſis, quòd ratio, ſeu conceptus ut ſic vegetandi, aut ſentiendi præſcindit à materialitate; unde non eſt neceſſarium, quòd forma, à qua iſti effectus formaliter proveniunt ſit entitativè materialis. Recolantur attentè dicta in I. lib. Gener. & Corrupt. diſput. 2. quæſt. 4. n. 9. & 10.

10 Arg. 4. embryo hominis (juxta Ariſtot. 2. de Gener. animal.) prius vivit vita plantæ, deinde vita ſenſitiva, & poſtremò vita rationali; g. prius informatur ab anima vegetativa, deinceps à ſenſitiva, & tandem à rationali; conſequenterque neceſſariò in homine concedendæ ſunt tres animæ realiter diſtinctæ. Reſp. diſt. antec. & ſimul explicando Ariſt. auctorit. embryo prius vivit vita plantæ, & vita ſenſitiva, quàm rationali, in actu 2. ideſt, quatenus prius exercet operationes vitales, & ſenſitivas, quàm rationales, conc. in actu I. ideſt, quatenus prius informatur anima vegetativa, aut ſenſitiva, quàm rationali, neg. antec. & conſeq. Itaque anima, quæ unicè introducitur in embryone, eſt anima rationalis, quæ (ut dictum eſt) eſt etiam vegetativa, & ſenſitiva; quia tamen hæc prius invenit in illo diſpoſitiones ſufficientes ad exercendum operationes vegetativas, quàm ſenſitivas, & iſtas prius, quàm rationales, ideò informatum per illam tales operationes hoc ordine exercet. Omnia alia argumenta, quæ contra præjactam concluſionem fieri poſſunt, ſi ſup. dicta benè perpendantur, haud difficulter diſſolventur.

QUÆSTIO IV.

Utrùm anima rationalis ſit formaliter vegetativa, & ſenſitiva?

1 DIfficultas hæc ex dictis pro reſolutione præcedentis aliquatenus eſt deciſa; ſi enim anima rationalis una, & realiter indiviſa, effectus vegetandi, & ſentiendi in homine præſtat, modo ibi dicto, facilè ſanè cognoſci poteſt, quomodo animam vegetativam, & ſenſitivam in ſe contineat; ſed ut plenius diſtinctiuſque huic difficultati ſatisfiat, illam ex profeſſo hic diſcutere decrevimus. Pro cujus intelligentia in memoriam vertere oportet, quod jam in ſuperioribus diximus, nempè, quod vegetativum, & ſenſitivum bifariam uſurpari poſſunt. 1. quatenus important rationes communes, & conceptus ut ſic abſtrahentes ab inferioribus, ſcilicet à plantis, & brutis. 2. quatenus jam ſunt contracta, & determinata per ſpecificas differentias ad eſſe ſpecificum talis plantæ, aut talis bruti.

2. Deinde eſt prænotandum; quòd triplex eſt aſſignabilis continentia unius in alio, nimirum formalis, virtualis, & eminentialis. Tunc eſt formalis continentia unius in alio, quando continetur illud ſecundum ſua prædicata formalia, & eſſentialia taliter, quòd hæc eodem modo ſunt in continente, ac in ipſo contento reperiuntur. Sic calor continetur in formaliter calido. Præterea tunc datur virtualis unius in alio continentia, quando continens habet virtutem ad producendum illud, quod in ipſo ſic continetur. Hoc modo ſol continet calorem, quem producit, licet in illo formaliter calor non ſit. Denique tunc eſt eminentialis continentia unius in alio, quando contẽtum ſecundùm ſuam formalem perfectionem

nem eſt in continente, non tamen cum limitatione, & imperfectione, quam in ſe ipſo habet, ſed altiori, & perfectiori modo, omni penitus imperfectione ablata: quo pacto Deus continet in ſe omnium creaturarum perfectiones. His igitur prænotatis.

3 Dicimus ad quæſt. ſi vegetativum, & ſenſitivum ſumantur in 1. ſenſu ſupra n. 1. explicato, anima rationalis continet formaliter illa, & ut ſic eſt formaliter vegetativa, & ſenſitiva. Si autem in 2. ſenſu uſurpentur, non formaliter, ſed virtualiter, ſeu eminenter tantùm, anima rationalis continet illa, & ſic eſt virtualiter, ſeu eminenter vegetativa, & ſenſitiva. Hæc concl. quoad 1. p. eſt Scoti in 2. diſt. 1. qu. 5. §. *Poteſt etiam*. *Verſ. Hoc etiam* lit. E. Prob. ergo, quoad iſtam p. anima rationalis tribuit homini eſſe formaliter vegetativum, & ſenſitivum: g. & ipſa eſt formaliter vegetativa, & ſenſitiva. Anteced. eſt certum, & conſeq. prob. quia nequit aliquid in genere cauſæ formalis tribuere aliquod eſſe formaliter alteri, niſi illud tale eſſe formaliter habeat; cauſa enim formalis cauſat ſeipſam communicando ſubjecto, aut compoſito: ergo nequit anima rationalis tribuere homini eſſe formaliter vegetativum, & ſenſitivum, quin ipſa formaliter vegetativa, & ſenſitiva ſit. Probatur autem primum antec. nam homini formaliter conveniunt operationes animæ vegetativæ, & ſenſitivæ, harumque formalis definitio, ſiquidem habet formale principium, quo vivit, ſentit, &c. ſed hoc aliud eſſe nequit, niſi anima rationalis; alia enim admitti non poteſt, ut ex quæſt. præced. conſtat: g. hæc tribuit homini eſſe formaliter vegetativum, & ſenſitivum; conſequenterque, &c.

4 Confirm. quia neceſſariò id, quod eſt de eſſentia alicujus, eſt formaliter in illo: ſed ratio vegetandi, & ſentiendi ut ſic, tamquam prædicatum ſuperius animæ rationalis, eſt de eſſentia

illius:

illius: g. neceſſariò eſt formaliter in illa. Prob. min. nam eſſe eſſentialiter vegetativum, & ſenſitivum eſt eſſe principium radicale *quo* vegetationis, & ſenſationis; ſed anima rationalis in homine eſt principium radicale *quo* vegetationis, & ſenſationis; quod patet ex eo quòd, ut ſæpè diximus, alia anima in eo non eſt: g. conceptus, ſeu ratio ut ſic vegetandi, & ſentiendi eſt de eſſentia animæ rationalis, & conſeq. &c.

5 Prob. eadem concluſ. quoad 2. p. (quæ etiam eſt Scoti in 2. diſt. 15. q. unic. § *Dico ergo*, *Verſ. Item Ariſt.* lit. D. quatenus hic dicit, elementa manere in mixto, ſicut animæ ſenſitiva, & vegetativa manent in intellectiva, & ex dictis diſp. de mixtione conſtat, elementa tantùm virtualiter manere in mixto) una ſpecies completa diviſiva alicuius generis nequit formaliter includi in alia ſpecie, ſimul cum illa idem genus dividente; ſed vegetativum, & ſenſitivum in 2. acceptione ſup. explicata n. 1. ſunt ſpecies completæ dividentes animam ut ſic ſimul cum rationali: g. nequeunt illæ in hac formaliter includi. Quòd autem virtualiter, ſeu eminenter contineantur, probatur; quia tunc aliquid virtualiter, & eminenter continetur in aliquo, quandò hoc eſt principium earumdem operationum, ac illud, & modo perfectiori; ſed anima rationalis eſt principium operationum vegetandi, & ſentiendi non minus, ac animæ vegetativa, & ſenſitiva, imò & perfectiori modo: g. iſtæ virtualiter & eminenter in illa continentur. Idem modo convenienti de vegetativa reſpectu ſenſitivæ dicendum eſt.

6 Argumenta omnia, quæ contra utramque præiactæ concluſionis partem fieri poſſunt, ſi benè percipiatur binaria acceptio vegetativi, & ſenſitivi in princip. quæſt. poſita, facilè diluentur; etſi ſimul advertatur, quòd cùm nos dicimus, animam rationalem eſſe formaliter vege-

tati-

tativam, & ſenſitivam nullatenus intendimus, quod talis anima ſit una ſimplex formaliter, ſed quod habeat formaliter conceptus vegetandi, & ſentiendi, tamquam prædicata ſuperiora per farmalitatem rationalitatis contracta; unde in phyſica entitate animæ rationalis tres ſunt formalitates nempè vegetabilitas, ſenſibilitas, & rationalitas, ſicut homo v. g. non ideò dicitur formaliter animal, & rationalis, quia animalitas, & rationalitas eademmet formalitas ſint, ſed quia hæc duplex formalitas in illo formaliter invenitur.

QUÆSTIO V.

Vtrùm omnes animæ eiuſdem ſpeciei ſint individualiter æquè perfectæ?

1 MErìtò quæſt. inſcriptio de animabus eiuſdem ſpeciei præſentem difficultatem dumtaxat controvertit; certum enim omnino eſt animas ſpecie diverſas, ut ſunt, v. g. anima Leonis, & anima cuiuſvis plantæ non eſſe in eſsentiali perfectione æquales. Deinde etiam eſt abſque dubio perfectionem ſpecificam, ſeu eſſentialem in omnibus animabus eiuſdem ſpeciei æqualem eſſe; ſiquidem omnia predicata quidditativa, quæ uni animæ conveniunt, alii etiam eiuſdem participi ſpeciei neceſſariò conveniant; alioquin, ſi hoc ita non eſſet, eamdem ſpeciem non participaret: De his ergo ſolùm procedit controverſia circa individualem earum perfectionem.

2 Dicimus ad quæſt. omnes animæ ſpecificè eædem non neceſſariò ſunt æquè perfectæ individualiter. Hæc concl. ſtatuta fuit à DD. Pariſienſibus, qui unanimiter hoc decretum edidere: *Si quis dicit, omnes animas ab origine eſſe æquales, errat; quoniam aliàs anima Chriſti non eſſet perfectior, quàm anima Iudæ*. Idipſum tenent

nent quamplurimi AA. quos cit. & ſequitur noſt. Merin. lib. 2. diſput. 2. qu. 4. & ipſo teſte, eſt valde conſonans ſubtili Scoti menti, qui 8. met. qu. 3. quærens, an formæ ſubſtantiales magis, & minus ſuſcipiant? tres ſtatuit concluſ. quarum ſecunda ſic ſe habet; ſi formæ ſubſtantiales conſiderentur, ut individuæ ſunt, inter formas ſubſtantiales eiuſdem ſpeciei datur magis, & minus ſecundum perfectionem ſubſtantialem individualem.

3 Prob. ergo concl. ratione; quando qualitas, quæ naturaliter conſequitur unius ſpeciei individuum, eſt perfectio in hoc, quam in alio eiuſdem ſpeciei, manifeſtè infertur, talia individua eſſe in ſubſtantiali perfectione inæqualia; ſed non in ſpecifica; ergo in individuali, atqui plures qualitates naturaliter conſequentes individua alicuius ſpeciei ſunt perfectiores (quovis extrinſeco amoto impedimento) in uno individuo, quam in alio eiuſdem ſpeciei; g. &c. Min. ſumpta patet; unum enim individuum ignis v. g. eſt calidius alio, etiamſi in quantitate materiæ æqualia ſint. Similiter unum individuum lactis, aut mellis dulcius alio. Major. oſtenditur ex duplici quaſi principio communiter admiſſo. 1. eſt; quod qualitates naturaliter conſequentes alicuius ſpeciei individuum immediatè dimanant ab ipſius forma ſubſtantiali, ut v. gr. frigiditas aquæ. 2. eſt, quod cauſæ naturales, ſi aliunde non impediantur, agunt ad ultimum de potentia; ex quibus legitimè deducitur hæc illatio; ergo præſtantia effectus cauſæ immediatæ, naturalis, & non impeditæ ſolum ex præſtantia, & majori perfectione eiuſdem cauſæ provenire poteſt; ſed non ex maiori ſpecifica perfectione in individuis eiuſdem ſpeciei, ut patet; g. ex majori perfectione individuali; & conſequenter, &c. Hæc ratio non de ſolis animabus, ſed etiam de quibuslibet aliis ſubſtantialibus formis, id probat.

Con-

4 Confirm. quia non aliunde inferimus a poſteriori, animas eſſe ſpecificè diverſas, niſi ex diverſitate operationum, quas in viventibus experimur: ſed in individuis eiuſdem ſpeciei experimur diverſas, ſeu inæquales in perfectione; unus enim homo perfectius intelligit quam alius: ergo ex hoc infertur, illos eſſe inæquales in perfectione: ſed non ſpecificè: g. individualiter, & conſequenter animæ, a quibus huiuſmodi operationes proveniunt, non ſunt æquè individualiter perfectæ.

6 Nec valet ſi huic confirm. reſpond. paritatem illius non convincere, eo quod anima, & quævis forma ſpecifica eſt principium operandi, ideoque ex diverſis ſpecie operationibus benè diverſa ſpecie principia inferuntur, differentia tamen individualis non eſt principium ſed tantum conditio ad operandum; proindeque ex majori perfectione operationum intra eamdem ſpeciem nullatenus infertur major perfectio individualis in earum principio. Non quidem valet hoc; quia major perfectio operationis debet correſpondere ſuæ cauſæ, v. grat. animæ, vel intellectui; ſed non correſpondet ei ſecundum rationem ſpecificam; eſt enim ſermo de animabus, ſeu formis intra eamdem ſpeciem: ergo ſolum reſtat, quod illi correſpondeat talis majoritas perfectionis, ſecundum majorem perfectionem individualem, & conſequenter ratio paritatis tenet.

7 Nec ſimiliter valet, ſi rurſus reſpond. quod talis major perfectio intellectionis provenit ex majori perfectione formæ corporeitatis; quia pro hoc ſtatu anima dependet ab illa in operando. Sed neque hæc reſponſio noſtram rationem infringit; nam vel forma corporeitatis, qua unus homo conſtat, eſt æquè individualiter perfecta, ac illa, qua conſtat alius, vel non? Si primum: g. nequit ab illa provenire major

ior individualis perfectio talis intellectionis. Si ſecundum: ergo cum prædictæ formæ corporeitatis ſint intra eamdem ſpeciem infimam, manifeſtè infertur, quod formæ eiuſdem ſpeciei poſſunt eſſe in individuali perfectione inæquales, ac proinde etiam de animabus idem eſt dicendum.

7 Nec tandem valet, ſi reſpond. quod forma corporeitatis unius hominis habere poteſt perfectiores diſpoſitiones, quam huiuſmodi forma alterius: a qua diſpoſitionum inæqualitate provenit inæqualitas perfectionis talium intellectionum; non verò ab individuali ipſarum formarum inæquali perfectione. Hæc tamen reſponſio, ſicut nec præcedentes, vim noſtræ confirm. non enervat; quia forma corporeitatis cauſat in ſe ipſa tales diſpoſitiones, ſicut forma aquæ v.gr. frigiditatem ſibi connaturalem in ſe cauſat. Inquirimus modo, quare forma corporeitatis unius hominis cauſat in ſe perfectiores diſpoſitiones, quam huiuſmodi forma alterius? Nulla ſanè apparet ratio, niſi, quia forma corporeitatis unius hominis eſſet individualiter perfectior, quam forma corporeitatis alterius. Hinc eſt obſervandum, quod cum Ariſtot. 3. met. cap. 3. text. 11. docet, unum individuum non eſſe perfectius alio, loquitur de perfectione ſpecifica, & eſſentiali, non de individuali; ut ex ipſius contextu conſtat.

8 Argum. contra concluſ. ex aliquibus inconvenientibus, quæ ex illa ſequi videntur. Primum eſt, omnes animas rationales non eſſe eiuſdem ſpeciei; nam illud facit ſpecificè differre, quod aliquem gradum perfectionis ſubſtantialis addit: ſed iuxta concluſ. eſſet aliquid, quod aliquem gradum perfectionis ſubſtantialis adderet in uno individuo reſpectu alterius: ergo faceret, illud ſpecificè differre ab hoc. 2. eſt, quod ſubſtantia magis, & minus penes intenſio-

ſionem recipere poſſet, cujus oppoſitum docet Ariſt. cap. de ſubſtantia. 3. denique eſt, quòd unus homo haberet perfectiorem intellectum, & voluntatem, quàm alius; proindeque ille haberet voluntatem magis liberam; ſed hoc dici nequit; aliàs aliquis homo non eſſet perfectus in libertate, ſeu perfectè liber non eſſet; g. &c.

9 Reſp. ad 1. neg. aſſumptum. Cujus probationis negatur mai. eſt enim, abſolutè prolata, falſa; nam ſubſtantia, & etiam perfectio ſubſtantialis, dupliciter accipi poteſt. 1. pro quidditate alicuius rei, in quo ſenſu perfectio ſubſtantialis eſt idem, ac differentia eſſentialis, & ſpecifica. 2. pro illo, quòd habet eſſe per ſe, prout diſtinguitur ab accidente, cuius eſt proprium habere eſſe in alio; in quo ſenſu nedum forma ſubſtantialis, ſpecifica, verum, & individualis eſt perfectio ſubſtantialis, ut eſt conſtans. Ex quo patet falſitas maioris; & ſic conc. min. neg. conſeq. Ad 2. diſting. ſequelam; ſubſtantia poſſet recipere magis, & minus, in ſuo fieri, conc. poteſt enim produci una perfectior individualiter alia; in facto eſſe, ſeu poſtquam iam eſt producta, neg. ſequel. nam hoc eſt adeò proprium qualitatis, ut ſubſtantiæ convenire nequeat, ut ſæpè in præcedentibus dictum eſt. Ad 3. conceſſa ſequel, neg. min. quia ex eo quòd aliquis homo habeat libertatem perfectiorem individualiter, quàm alius, tantùm infertur, quòd hic intra ſpeciem libertatis non eſt ſummè perfectus; non autem infertur, talem hominem non eſſe perfectè liberum, eò quòd negatio perfectæ libertatis, ſic abſolutè prolata, ſupponitur pro negatione perfectionis libertatis ſpecificæ.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Utrùm omnes animæ ſint indiviſibiles?

1 NOn procedit propoſita difficultas de metaphyſica indiviſibilitate animæ, non enim eſt dubium quin anima rationalis (idem dicendum eſt de aliis) ſic diviſibilis ſit, cùm conſtet, ſeu metaphyſicè componatur ex genere, & differentia, ut ex dictis conſtat. Neque etiam procedit de diviſibilitate phyſica in partes eſſentiales, nempe materiam, & formam; ſic enim, omninò certum eſt indiviſibilem eſſe, quia ſi aliqua anima eſſet compoſita ex materia, & forma, eſſet quidem corpus; ſed non inanimatum; g. animatum, ſeu vivens, conſequenterque habẽs in ſe principium vivendi. Tunc ſic, vel hoc principium eſſet indiviſibile, vel non? Si hoc ſecundum, daretur proceſſus in infinitum, quod in rebus ordinatis admitti nequit. Si primum. g. tale principium eſſet indiviſibile phyſicè eſſentialiter; ac proinde idem de anima dicendum eſt. Unde ſolum reſtat difficultas circa diviſibilitatem animæ in partes phyſicas integrales, & non ſolum controvertitur de anima rationali, ſed etiam de vegetativa, & ſenſitiva.

2 Dicimus 1. anima rationalis eſt omninò indiviſibilis integraliter. Sic Scotus in 1. diſt. 2. quæſt. 7. §. *Ad primam quaſt. verſ. Hoc propoſitum*, litt. EE. & in 4. diſt. 44. quæſt. 1. § *Circa iſtam quaſt. verſ. Contra iſtam opinionem*, litt. B. & aliis in locis, quem omnes Scotiſtæ ſequuntur diverſimodè circa hoc opinantes, quos citat Maſt. diſp. 1. q. 5. nu. 55 Prob. ergo concl. ratione communi, ſed efficaci deſumpta ex tribus principiis fidei ſup. in Præludio præſuppoſitis. 1. eſt, quod anima rationalis eſt ſpiritualis; ſed

hoç

hoc non ita eſſet, ſi in partes integrales dividi poſſet; omne enim ſic diviſibile eſt aptum natum affici quantitate molis, proindeque eſt materiale; ergo &c. 2. eſt, quod anima rationalis non educitur de potentia materiæ, ſed immediatè à Deo creatur; ſed neque hoc eſſet verum, ſi anima rationalis eſſet diviſibilis integraliter; nam quod ita eſt diviſibile commenſuratur ſubiecto, cui ineſt, ab illoque in ſuo eſſe, & conſervari dependet, quod independentiæ talis animæ à materia repugnat omninò; ergo &c. 3. eſt, quod anima rationalis eſt immortalis; ſed diviſibilitas integralis tali immortalitati repugnat; g. Prob. min. quia ſi talis anima ſic dividi poſſet, per abſciſſionem brachii v. gr. hominis abſcinderetur etiam pars prædictæ animæ; ſed hęc pars abſciſſa corrumperetur neceſſariò; g. talis diviſibilitas repugnat immortalitati. Prob. min. illa pars animæ non maneret ſeparata à materia; nam formæ diviſibiles, & materiæ commenſuratæ nequeunt abſque ſubiecto naturaliter eſſe. Nec item maneret in parte materiæ ſimul abſciſsæ; quandoquidem anima, ut ſubiectum informet, præexigit in illo perfectam organizationem, quæ in tali parte eſſe non poſſet. Neque tandem illa pars animæ abſciſſa tranſiret ad informandum alias corporis partes; nam cùm iſtę eſſent actualiter informatæ per alias formas animæ partiales, quæ ipſis materiæ partibus eſſent adæquatæ, ſequeretur, quod eadem pars corporis ſimul informaretur duplici forma, etſi partiali, ipſi tamen adæquata; ſed hoc naturaliter repugnat; g talis pars animæ corrumperetur, & conſequenter, &c.

3 Argum. cont. hanc concl. 1. experientia conſtat, quod aliqui homines poſt capitis abſciſſionem ſe moverunt, & locuti ſunt: g. eorum animæ fuerunt diviſæ; & conſequenter, &c. Confirmat. 1. ratione, quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur; ſed ani-

anima rationalis recipitur in corpore, quod eſt extenſum; g. & ipſa eſt extenſa. 2. nam homo eſt extenſus, & in qualibet eius parte ineſt anima; g. hæc neceſſario eſt extenſa. Reſpond. ad argum. quod cùm aliquando aliqui poſt capitis abſciſſionem ſe moverunt, talis motus provenit à ſpiritibus animalibus, & vitalibus ante ipſam abſciſſionem virtute animæ motis: vel quandoque ex miraculo, ut alibi diximus, à quo etiam talis locutio provenire poteſt. Ad 1. confirm. reſpond. diſting. mai. quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur, vel formaliter, vel virtualiter, conc. formaliter præcisè neg. mai. & conc. min. diſting. conſequ. eſt extenſa virtualiter, conc. formaliter, nego conſeq. Sufficit enim virtualis extenſio, ſeu diviſibilitas alicuius, ut recipi poſſit in ſubiecto formaliter extenſo. Ad 2. conc. antec. neg. conſeq. licet enim homo ſit extenſus, & anima in qualibet eius parte ſit, hæc tamen extenſa non eſt, niſi virtualiter; nam ita tota anima omnem partem extenſam informat, ut tota ſit in toto, & tota in quacumque parte. Ut dicitur de exiſtentia rerum ſpiritualium in loco diviſibili. Videatur Maſt. tom. 2. diſp. 11. qu. 5. art. 2.

4 Arg. 2. ex aliquibus inconvenientibus, quæ ex concl. ſequi videntur. 1. eſt, quod ſi anima eſt indiviſibilis, eſſet in diverſis partibus, ac proinde ipſa a ſe ipſa diſtaret, ſimul eſſet in pluribus locis, moveretur, acquieſceret ſimul; ſed hæc videntur abſurda; g. 2. eſt, quod quælibet pars hominis eſſet homo, & intelligeret, ſiquidem in qualibet eſſet tota eſſentia animæ cum ſuis potentiis; quæ ſunt idem realiter cum illa: ſed hoc etiam eſt abſurdum; g. &c. Reſp. ad 1. quod diſtantia propriè ſumpta eſt penes diverſa loca adæquata, non verò penes inadæquata, cuiuſmodi ſunt pes, & manus v. gr. reſpectu animæ, penes hæc enim loca tantùm eſt

di-

diſtantia ſecundum quid, & per accidens. Neque eſt inconveniens, aliquid ſimul eſse, aut moveri, & quieſcere penes loca inadæquata; quia non eſt contradictio, quandoquidem non eſſet ſecundùm idem. Ad 2. neg. aſsumptum; nam quamvis in qualibet parte hominis ſit animæ eſſentia cum ſuis potentiis, non tamen quælibet eſset homo, nec intelligeret; homo enim importat quoddam totum conſtitutum ex integro corpore, & ex anima, & eſt certum, quod quælibet pars integrum corpus non eſt. Et licèt potentiæ animæ etiam ſint in quavis parte corporis, non tamen in qualibet ſuas exercent operationes, vel ob defectum organorum, quæ in quavis parte non inveniuntur, vel quia operatio, cuiuſmodi ſunt intellectio, & volitio, ſolùm communicatur adæquato conſtituto per formam, ſcilicet toti compoſito, ut docet Scotus quolib 9. lit. F.

5 Dicimus 2. omnes animæ, præter rationalem, ſcilicet vegetativa, & ſenſitiva ſunt phyſicè integraliter diviſibiles. Sic Scotus præſertim in loco 1. allegato concl. præcedenti. Prob. de anima vegetativa ipſa oculari experientia; videmus enim, ramos ab arbore abſciſſos adhuc remanere viventes, & ideo agricolæ varias ex eis inſitiones conficiunt. Idem apparet in animalibus imperfectis, cuiuſmodi ſunt lacertæ, lumbricæ, &c. quæ adhuc in partes diſectæ ſentiunt, & moventur ipſæ partes diſciſsæ; g. &c. Prob. deinde tam de vegetativa, quàm de ſenſitiva; illæ animæ ſunt materiales, & de potentia materiæ educuntur; g. ſunt integraliter diviſibiles. Antec. à nullo negari poteſt: conſeq. autem prob. tum quia ideo anima rationalis eſt indiviſibilis, quia eſt ſpiritualis, & à materia independens; ſed anima vegetativa, & ſenſitiva eſt materialis: g. neceſſariò eſt diviſibilis. Tum etiam quia (iuxta probabiliorem ſententiam) materiale differt à ſpiritua-

li,

li , in hoc , quod illud habet partium extenſionem , non verò iſtud ; g. ſi prædictæ animæ ſunt materiales , quòd ſint extenſæ , & diviſibile neceſſe eſt.

6 Confirm. nam anima equi v. g. non educitur tota de qualibet parte materiæ , & tota de tota materia : g. educitur pars animæ ex parte materiæ, & tota anima ex tota materia. Conſeq. eſt certa , nam inter utrumque modum educendi non eſt aſſignabile medium ; anteced. autem prob. Ponamus enim caſum , quod in primo inſtanti generationis illius tota anima equi educta fuit ex tota materia. Tunc ſic; cùm per nutritionem equus acquirit novam partem materiæ, vel ab iſta educitur nova pars animæ; vel præcedens anima abſque eductione novæ partis animæ extenditur ad informandam illam partem materię noviter acquiſitam ? Si primum ; g. iam anima equi non eſt tota in tota materia, & tota in parte, ſed eſt tota in tota materia , & pars illius in parte materiæ: proindeque diverſis partibus integralibus neceſſariò conſtabit. Si 2 argum. ſic : ſupponamus, ut eſt poſſibile, quod equus diù vivens mutet totam materiam in prima generatione ſuſceptam per continuam actionem caloris naturalis in humidum radicale ; tunc quidem neceſſariò anima equi informaret materiam , ex cujus potentia educta non eſſet , ut eſt manifeſtum : ſed hoc repugnat formæ materiali, qualis eſt talis anima: g. &c.

7 Arg. 1 . contra hanc concluſ. ideò animalia imperfecta , adhuc diſecta , vivunt, quia eorum animæ ſunt diviſibiles; ſed animalia perfecta , ſi in partes ſecentur, nullatenus vivere poſſunt, ut experientia oſtendit , g. ideò eſt , quia horum animæ diviſibiles non ſunt. Reſp. conc. mai. & min. negando conſeq. non enim animalia perfecta in partes diſecta non vivunt, quia animę eorum diviſibiles non sũt; ſed quia quo aliqua forma eſt perfectior, eò majori perfectione acciden-

tium, & organorum ad ſui conſervationem indiget, cùm ergo animæ animalium perfectorum longè perfectiores ſint quàm animę imperfectorum, hinc eſt, quod licèt hæc adhuc in partes ſecta vivant, animalia autem perfecta ſic diſſecata nullatenus vivere poſſunt, quamvis eorum animæ diviſibiles ſint.

8 Argum. 2. animalia perfecta ſtatim ac in aliqua parte læduntur, in toto corpore dolorem ſentiunt, & ſe tota commovent; g. ideò eſt, quia eorum animæ non pluribus partibus conſtant, ſed potiùs indiviſibiles ſunt. Reſp. neg. conſeq. quòd enim hæc animalia, aliqua eorum parte læſa, in toto corpore ſentiant dolorem, & ſe tota commoveant per imaginationem, non eſt, quia eorum animæ indiviſibiles ſint; ſed quia ex tali parte læſa per organos ſenſorios emittuntur ſpecies doloris ad imaginativam eorum, cui omnes aliæ potentiæ, & illorum partes ſubduntur.

9 Dubitabis utrum unio; qua anima rationalis unitur corpori ſit indiviſibilis? Reſp. affirmativè contra aliquos oppoſitum ſuſtinetes. Noſtræ reſolutionis ratio eſt: nam hujuſmodi unio unit animam toti corpori ſine ipſius animæ diviſione; ergo ex vi hujus unionis nihil eſt in corpore, cui tota anima non uniatur. Anteced. patet ex prima conc. & conſeq. prob. quod eſt indiviſibile, ubicumque eſt; ſecundum ſe totum eſt; ſed anima ex vi unionis, etiam indiviſibilis, eſt in qualibet partes corporis; g. nulla pars corporis eſt, cui tota anima non uniatur: ac proinde per unionem indiviſibilem ſufficienter ſic unitur. Dices; anima unica unione indiviſibili uniri non poteſt niſi indiviſibili; ſed corpus eſt diviſibile: ergo nequit animæ huic uniri unica tantùm indiviſibili unione: Sed contra ſic argument. ergo numquàm anima toti compoſito uniri poterit. Prob. conſequent.

nam

nam corpus non tantùm conſtat indiviſibilibus, ſed etiam partibus, quæ diviſibiles ſunt: ſed anima, iuxta ſic arguentes unica unione indiviſibili nequit uniri, niſi indiviſibili corporis; ergo & pluribus unionibus indiviſibilibus tantùm uniri poterit indiviſibilibus corporis, & non partibus illius; conſequenterque, numquam erit corpori unita. Dicendum ergo eſt, animam rationalem unica indiviſibili unione corpori uniri.

10 Advertere hìc oportet, ut aliquæ obiectiones, quæ contra hoc fieri poſſunt, facilè ſoluantur, quòd terminus totalis, & adæquatus unionis animæ ad corpus, eſt totum ipſum corpus ex omnibus partibus integralibus conſtans; quælibet autem iſtorum partium ſeorſim ſumpta tantùm eſt partialis, & inadæquatus illius unionis terminus. Advertendum eſt etiam, quòd quandò homo nutritur, in partibus materiæ, quæ de novo acquiruntur, & præexiſtentibus ipſius hominis partibus uniuntur, producuntur quidem ab ipſis partibus ſubſtantiæ noviter acquiſitæ novæ uniones, quibus *illæ* unitur animæ rationali in ipſo homine præexiſtenti: ex parte autem talis animæ nulla de novo producitur unio, qua partibus acquiſitis de novo uniatur; ſed ipſa unio, qua partibus præexiſtentibus erat unita, quaſi extenditur terminativè ad illas partes acquiſitas per ſolam extrinſecam terminationem, & ſine aliqua ſui diviſione ut in lib. de Gen. dicebamus.

11 Dubit. 2. Utrùm partes integrales animarum diviſibilium ſint homogeneæ, ſeu eiuſdem rationis? Hoc dubium non procedit de partibus animarum, quæ informant partes homogeneas corporis, ut ſunt quæ informant plures partes carnis v. g. ad invicem inter ſe comparatas; non enim eſt dubium, quin huiuſmodi partes animæ ſint homoge-

neæ, ſicut & tales ſunt partes corporis, quas informant. Procedit ergo de partibus animę diverſas partes corporis informantibus, v.g. an pars animæ, quæ informat caput, ſit eiuſdem rationis cum parte, quæ pedem informat? Reſp. ergo affirmativè. Prob. nam per heterogeneitatem formæ corporeitatis conſtituuntur diverſæ potentiæ organicæ determinantes partes animæ, quæ eis correſpondent, ad hanc potiùs potentiam, & operationem, quàm ad aliam: ſed ſi ad aliquid requireretur heterogeneitas partium, animæ, eſſet ad hoc: nam ad nihil aliud videtur neceſſaria: g. non eſt admittenda, & conſequenter tales partes ſunt homogeneæ. Confirm. nam anima rationalis, quæ indiviſibilis eſt, ac proinde eiuſdem rationis, indifferens eſt ad omnes corporis partes, & juxta harum diverſitatem, diverſas elicit operationes; g. pariformiter animæ diviſibiles, licèt partibus homogeneis conſtent, poſſunt determinari ad eliciendum diverſas operationes per diverſitatem partium formę corporeitatis; & conſequenter, &c.

12 Ex dictis num. præced. infertur, quòd quævis pars animæ eſt ex natura ſua omninò indifferens ad hoc, ut ſit in iſta, vel in illa parte, & determinatur ad informandum unam partem potiùs quàm aliam, omninò ab extrinſeco; unde pars animæ, quæ eſt in capite v.g. ſecundum ſe conſiderata, & prout præſcindit à tali inexiſtentia in capite, eſt indifferens ad eſſendum in manu, vel in pede &c. & ſolùm ab extrinſeco fuit determinata, ut potiùs eſſet in capite, quàm in alia ex cæteris corporis partibus. Hoc attentè obſervare oportet, ut plura argumenta diluantur.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

Quænam viventis partes ab anima informentur.

1 TRia ſunt genera, ſeu ſpecies partium, quæ in corpore organico reperiuntur. Aliquæ enim partes ſunt ſolidæ, & permanentes. Huiuſmodi ſunt oſſa, nervi, & caro. Aliæ ſunt fluidæ, quales ſunt ſanguis flegma, & alii humores. Aliæ denique, quæ licet ſolidæ ſint, ſunt tamen variabiles, ut dentes, capilli, & ungues. De his ergo omnibus inquirit præſens quæſt. an ab anima informentur? Pro quo

2 Dicimus 1. partes ſolidæ, ut ſunt caro, oſſa, & nervi informantur ab anima. Sic Scotus in 4. diſt. 44. quæſt. 1. §. *Circa iſtam quæſt. verſ. Præterea partes*, ant. lit. A. & communiter. Prob. nam omnes iſtæ partes vivunt; g. informantur anima. Patet conſeq. quia ideo infertur aliquam partem corporis ab anima informari, quia in tali parte exercentur vitales operationes; g. ſi prædictæ partes vivunt, quod anima informentur neceſſe eſt. Prob. autem primum antecedens; nam tales partes nutriuntur propriè, ſeu per intusſumptionem; ſed hoc eſt vivere, ſiquidem eſt vitalis operatio; g. &c. Dices: Ariſt. 1. de motu animal. cap. 7. inquit, nullatenus requiri, quod anima ſit in omnibus partibus corporis; ſed omnes partes vivunt; ergo ex eo quod partes in concl. aſſignatæ vivant, non infertur, quod ab anima informentur. Reſpond. Ariſt. ibi ſolum intendere, quod anima non ſit in omnibus partibus corporis cum æquali dependentia ab omnibus; majorem enim importat dependentiam a corde, & à capite, quam à pede; conſtat quidem, quod ſi hic abſcindatur, non deficit anima, ſin autem, ſi cor, aut caput abſcindatur.

3 Dicimus 2. Sanguis (idem dicendum eſt de reliquis humoribus, ſeu partibus fluidis) non informatur ab anima. Sic Scotus in 3. diſt. 3. quæſt. 2. §. *Sed contra hoc*, ante litt. A. & in 4. diſt. 10. quæſt. 4. §. *Hic duo, verſ. Sed dubium eſt*, ſub litt. A. & aliis in locis: quæ ſententia eſt communior inter Philoſop. contra aliquos, qui omnes apud RR. citati poſſunt videri. Probat. 1. concluſ. nullum alimentum animalis ab huius anima informatur: ſed ſanguis eſt alimentum animalis, ut diximus loquendo de nutritione in lib. de Gener. & expreſsè docetur ab Ariſtot. 1. de gener. Animal. c. 19. & 4. de part. Animal. cap. 4. & 5. & alibi ſæpè: ergo ſanguis non informatur ab anima. Probat mai. tum quia omne alimentum debet eſſe diſſimile in natura ei, qui nutritur, ut tenet idem Philoſ. 1. de Gener. cap. 5. tex. 37. & 38. ſed id, quod informatur ab animalis anima, eſt eiuſdem naturæ cum illo, ut eſt certum: ergo. Tum etiam, quia alimentum animalis convertitur per nutritionem in ſubſtantiam ipſius; ſed id, quod informatur ab anima animalis, nequit converti in ſubſtantiam ipſius, ſiquidem eſt ipſamet illius ſubſtantia: g. alimentum animalis ab huius anima informari nequit; conſequenterque, &c.

4 Neque valet, ſi huic rationi reſpond. benè ſtare poſſe, illud quod eſt vivens, poſſe eſſe viventis alimentum, ut unum animal alimentum alterius animalis, & in eodem animali caro, quæ eſt animata, convertitur in oſſa, & eſt horum alimentum. Non quidem valet hoc; nam nullum animal in ſe ipſo manens eſt alimentum alterius animalis, ſed tantum eſt alimentum huius poſtquam mortuum, & comeſtum, convertitur in ſanguinem animalis quod nutritur. Præterea falſum eſt, carnem eſſe alimentum oſſium, hæc enim ex ſanguine nutriuntur. Et dato, quod caro convertatur in oſſa, huiuſmodi converſio non eſt ſubſtantialis, ſed

ac-

accidentalis tantum, nempè penes figuram, duritiem, &c.

5 Prob. 2. concl. in ſanguine nullam vitalem experimur operationem, ex qua colligi poſſit, ipſum animari; ergo. Prob. anteced. quia ſanguis non ſentit, neque augetur, aut nutritur proprio modo viventis, ſed tantum impropriè, ſeu per juxta poſitionem; ſicut augetur vivum in dolio per infuſionem alterius vini; g. ſanguis ab anima non informatur. Nec valet, quod aliqui reſp ſcilicet duplicem eſſe ſanguinem, unum perfectum, & non nutrimentalem; alium imperfectum, & nutrimentalem: primus ergo ſanguis (inquiunt) informatur ab anima; non enim eſt alimentum animalis; ſecundus autem cum ſit animalis alimentum, non eſt pars illius; & ſic ab anima non informatur. Non etiam valet hoc; nam nullus prorſus eſt aſſignabilis ſanguis, qui aliquam operationem vitalem exerceat, ſive ſentiendo, ſivè ſe nutriendo, aut augendo propia nutritione, & augmentatione; totus enim ſanguis inter ſe continuatur, & iiſdem continetur vaſis. Deinde, quia tam ſanguis nutrimentalis, ſeu imperfectus, quam perfectus, & non nutrimentalis, ſunt eiuſdem ſpeciei; ſolum enim differunt in eo, quod primus eſt impurus, & incoctus; ſecundus verò coctus, & purus; ſed hoc tantum eſt diſcrimen accidentale, ſicut eſt, quod intercedit inter vinum purum, & lymphatum, & inter aurum purum, & impurum: g. hæc ſanguinum diſtinctio vim noſtræ rationis non enervat.

6 Prob. 3. concluſ. argum. Theol. nam Trident. ſeſſ. 13. cap. 3. definit, quod Sanguis Chriſti D. in Sacram. Euchariſtiæ non ponitur ex vi verborum conſecrationis panis, ſed tantum per concomitantiam; ſed ſi Sanguis Chriſti informaretur ab anima, neceſſario ex vi verborum conſecrationis panis poneretur; ergo talis ſanguis non informatur ab anima; & conſequenter, &c. Prob. min. quia in conſecratione cor-

poris Chriſti ſub ſpeciebus panis, totum eius corpus ponitur ex vi verborum; conſequenterque cum omnibus partibus, ex quibus actualiter conſtat; alias non totum corpus eius poneretur; ergo ſi Sanguis Chriſti ab eius anima informaretur, & eſſet proinde actualis pars corporis eius, non poneretur per concomitantiam, ſed ex vi verborum conſecrationis panis: ſed oppoſitum definitur à Concilio: ergo &c. Variis reſponſionibus vim huius rationis divellere conantur; ſed quia non multum urgent; & quia videri poſſunt impugnatæ à RR. illas omittimus.

7 Arg. 1. ex Levit. cap. 17. ubi dicitur: *Anima omnis in ſanguine eſt*; quæ verba exponens D. Auguſt. in Levit. quæſt. 57 inquit; *Aliquid vitale eſt in ſanguine, quia per ipſum maximè in hac carne vivitur, &c.* erg. noſtra concluſio opponitur Scripturæ. Reſpond. quod anima eſt in ſanguine, non tamquam in ſubiecto animato, ſed tamquam in eo, à quo dependet, eo quod vita fovetur, & alitur à ſanguine; quare, etſi non ſit pars primò integralis corporis animati, quia non eſt formaliter animatus; eſt tamen pars integralis in ſecundo gradu, ſiquidem eſt eiuſdem prædicamenti cum partibus verè integralibus; & taliter eſt in corpore animato, ut hoc ſine illo naturaliter eſſe non poſſit. Deinde dicitur animam eſſe in ſanguine ad modum, quo dicere ſolemus, vitam noſtram eſſe in manu Dei, aut in manu Principis, eo quod ab eo in conſervari dependet.

8 Arg. 2. ex Ariſtot. 3. de hiſtor. animalium cap. 19. dicente: *Quandiu vita ſervatur, ſanguis unus animatur, & fervet*; g. ſanguis informatur ab anima. Confirm. nam ſanguis eſt vera pars hominis ad veram illius conſtitutionem ſpectans; propter quod Innocentius III. in Extravag. de celeb. Miſſarum inquit, quod aqua, & ſanguis fluxerunt de latere Chriſti D. ut oſten-

deretur, illum habuiſſe quatuor humores, qui ad veram illius conſtitutionem pertinent: erg. &c. Reſp. ad argum. Ariſt. ſolùm intendere, ſanguinem animari, cùm convertitur in ſubſtantiam aliti viventis, quod eſt verum, non tamen, quòd, dum eſt ſub forma ſanguinis, ſit animatus. Similiter, cùm dicit ſanguinem fervere, ſeu moveri, non loquitur de motu illi ab intrinſeco proveniente, ſed ab extrinſeco, ſcilicet à calore ſpirituum vitalium, qui cùm ipſo ſunt permixti. Ad confirm. diſting. antec. ſanguis eſt vera pars hominis, & ad illius conſtitutionem ſpectans, primariò, nego; ſecundariò, & tamquam quid neceſſariò prærequiſitum ad ejus conſervationem, & operationes, conc. antec. & neg. conſeq. Patet hoc ex dictis num. præced. & ex eo etiam conſtat quomodo illud Innoc. III. dictum ſit intelligendum.

9 Arg. 3. ſicut quatuor elementa ſe habent reſpectu totius univerſi, ſic quatuor humores reſpectu totius hominis v. gr. ſed elementa ſunt partes primariò integrantes univerſum: g. ſanguis, & reliqui humores ſunt partes primariò integrantes hominem. Reſp. diſting. maj. quantum ad continentiam, concedo; quantum ad talem continentiam, neg. maj. & conceſ. min. negatur conſequ. Licèt enim univerſum quatuor elementa contineat, & homo quatuor contineat humores; eſt diſcrimen in hoc, quòd univerſum continet elementa tamquam partes illius integrantes ad primariam ipſius cõſtitutionem pertinentes; homo autem non ſic continet quatuor humores, ut ex ſup. dictis conſtat.

10. Arg. 4. Verbum Divinum unica unione fuit hypoſtaticè unitum naturæ humanæ, quam aſſumpſit: ſed hoc non eſſet verum, ſi ſanguis (quem verè aſſumpſiſſe, eſt communis Theologorum conſenſus) non informaretur ab anima: g. Probat. min. quia ſanguis non animatus, & natura humana ſunt duæ naturæ adæ-

quare diſtinctæ: ſed non poſſet unica unione duabus naturis adæquatis uniri: g. &c. Ad hoc argum. cujus examen ad Theologiam ſpectat, reſp. pro nunc, quòd licet Verbum unica unione totali aſſumpſerit humanitatem, ſeu totum hominem; pluribus tamen unionibus partialibus aſſumpſit etiam partes, tam primariò, quàm ſecundariò integrantes, & ſic aſſumpſit quidquid ad integritatem illius humanitatis, ſive primariò, ſive ſecundariò, pertinebat. Inſt. ſanguis eſſet natura totalis, & completa, ſicut & cæteri humores: erg. non unione partiali, ſed totali fuiſſet Verbum illis unitum. Reſpond. quòd ſicut ſanguis, quia ordinatur ad corpus, & iſti inſervit, ſuo modo dicitur pars ſecundario integralis, quamvis ipſe in ſe ſit ens completum; ſic ſimiliter unio, qua illi Verbum eſt unitum, dicitur partialis. Omittimus alia argumenta, quia ex ſolutione eorum, quæ propoſita manent, & illa etiam facilè ſolventur.

11. Dicimus 3. ſemen, & lac non informantur actu ab anima. Sic Scot. loco in 1. concluſ. alleg. §. *Ad argumenta*, litt. Q. Prob. concluſ. quia nec ſemen, nec lac aliquam operationem vitalem formaliter habent, ſiquidem non ſentiunt, neque per intus ſumptionem augentur, ſed ſolùm per juxta poſitionem, ut de ſanguine dicebamus: erg. non animantur. Confirm. nam ſemen, & lac non pertinent ad integritatem, & eſſe individui, in quo ſunt; ſed ordinantur ad productionem, & conſervationem ſpeciei in alio individuo: erg. non informantur ab anima. Patet antec. quia ex ſemine per actum generationis producitur aliud individuum; & ex lacte per actum nutritionis conſervatur fœtus jam productus. Prob. autem conſequ. quia ſolùm ea, quæ pertinent ad integritatem individui, in quo ſunt, informantur ab anima: g. &c.

12. Di-

12 Dicimus 4. capilli, & ungues non informantur anima. Prob. concl. nam ideò ab anima ungues, & capillos dici poſſet informari, quia creſcunt; hoc enim eſt fundamentum aſſerentium oppoſitum; ſed conſtat experientia, quod etiam poſt mortem creſcunt, ut videtur in cadaveribus patibulo ſuſpenſis; erg. quòd creſcant, nullatenus infert ipſos ab anima informari. Confirm. quia etiam videmus in duobus punctis in medio unguium ſignatis, ſemper ea inter ſe æqualiter diſtare. Deinde ſi aliqua linea efformetur iuxta radicem unguium, provehitur uſque ad unguium extremitatem, abſque eo quòd talis linea creſcat; ſed hoc non ita eveniret ſi vitaliter augerentur, ſiquidem, quæ augentur ſic creſcunt penes omnem dimenſionem; ergo capilli, & ungues non informantur ab anima.

13. Dicimus 5. dentes informantur ab anima. Sic Ariſtot. 2. de Generat. animal. cap. 4. Probat. quia dentes per intus ſumptionem nutriuntur, & augentur; erg. ab anima informantur. Patet conſeq. & anteced. prob. ipſa experientia, qua videmus, quòd dentes habent quoſdam nervos, ſeu venulas, per quas alimentum propria virtute ad ſe trahunt: ſed hoc eſt nutriri, & augeri per intus [illegible]mptionem; erg. informantur ab anima. [illegible]c obſtat, quod Ariſtot. ubi ſup. dicit, quo[illegible] dentes non continuantur cum reliquis p[illegible]tibus corporis: ſed hoc ipſo non animantur, [illegible]quia anima partes diſcontinuatas non informat; erg. &c. Reſpond. Ariſtot. ibi tantùm intendere, quod dentes non continuantur immediatè cum aliis oſſibus; ſed cùm hoc optimè ſtat, quòd mediatè cum ipſis uniantur, ſeu continuentur, quod ſic eſt, & hoc ſufficit, ut informentur ab anima; alioquin ipſa oſſa non animarentur, ſiquidem non omnia inter ſe immediatè uniuntur, ſeu continuantur. A pluribus aliis de-

quibus hic agi poſſet, conſultò ſuperſedemus, & quia ad noſtrum propoſitum non multum conducunt, & quia brevitati conſulere debemus.

DISP. II.

De potentiis animæ in communi.

EXplicatis jam his, quæ ad naturam animæ ut ſic ſpectant, modò venit agendum de ipſius animæ potentiis in communi; nam cùm juxta Ariſtot. doctrinam, naturæ ordinem, communemque Philoſophorum methodum, ab univerſalioribus exordienda ſit diſputatio, ideò diſputaturi in ſequentibus de potentiis animæ in ſpeciali, hanc de ipſis in communi præmittimus diſput. Pro qua ſit

QUÆSTIO I.

Quomodo potentiæ animæ ab illa, & inter ſe ipſas diſtinguantur?

1 PRo intelligentia quæſt. prænotandum eſt ex Scoto in 2. diſt. 16. §. *Contra*, quòd potentia bifariam accipi poteſt. 1. formaliter, quatenus ſcilicet importat relationem principii ad principiatum: qua in acceptione non eſt de ipſa ſermo in præſenti, 2. pro materiali, & denominato, id eſt pro proximo fundamento talis relationis, illud nimirum, quod eſt immediatum principium operationis animæ. Et hæc potentia (juxta ipſum Scotum in 4. diſt. 10, quæſt. 7. §. *Reſpondeo*, litt. A.) alia eſt organica, cujuſmodi ſunt omnes potentiæ ani-

animæ vegetativæ, & ſenſitivæ, quæ mediis organis ſuas operationes exercent. Hæc enim potentia dupliciter accipi poteſt, nempè vel pro toto conjuncto, ſeu conflato ex perfectione animæ, & forma partiali corporeitatis conſtituente organum corporeum: in qua conſideratione *potentia* includit eſſentialiter utrumque; ut potentia viſiva v. grat. eſſentialiter includit organum oculi., & perfectionem animæ, quæ illud informat; vel inchoatè, & partialiter, in quo ſenſu *potentia* importat illam animæ perfectionem, qua ad viſionem v. gr. cum organo concurrit. Alia eſt organica, & hujuſmodi ſunt intellectus, & voluntas, quæ ſuaptè natura ad ſuas operationes organis non egent. Quæſtio ergo non procedit de potentiis organicis completis; ut ſic enim, eſt omninò manifeſtum, illas ab anima realiter ſeparari, ſiquidem deſtructo toto conflato ex perfectione animæ, & organo, adhuc manet anima rationalis; & ſic de aliis, unde realiter hæ ab anima diſtinguuntur; procedit ergo de inorganicis, & organicis partialibus.

2. Dicimus ad quæſt. potentiæ animæ non diſtinguuntur realiter ab illa, nec inter ſe comparatæ ſic aliæ ab aliis diſtinguuntur. Sic Scotus in 2. diſt. 16. quæſt. unic. §. *Dico igitur*, lit. H. Quem omnes Scotiſtæ ſequuntur contra omnes Thomiſtas. Probari poſſet hæc concluſ. ex dictis lib. 2. Phyſic. ubi latè manet demonſtratum, ſubſtantiam eſſe immediatè activam, tam alterius ſubſtantiæ, quàm accidentium; & ſic illa hic recolere oportet, ne ſemel dictum iterùm repetamus. Deinde etiam probari poſſet ex DD. Auguſt. & Bernardo dicentibus, animas, & earum potentias eſſe unum inter ſe, Nec valet, ſi ad hoc reſpondeatur, illos tantùm intendere, animas, & potentias eſſe intimè conjunctas, non verò eſſe realiter identificatas. Non quidem valet hoc; nam etſi intimè ſint

con-

coniunctæ, realiterque ad invicem inſeparabiles, non rectè poſſent dici unum in eſſentia, ſi realem abſolutam admitterent diſtinctionem.

3 Prob. concluſ. ratione Scoti ubi ſup. anima eſt per ſe principium actuum intelligendi, & volendi; erg. non producit iſtos actus per potentias realiter ab ipſa diſtinctas. Patet antec. quia ſi non eſſet per ſe principium horum actuum, non concurreret per ſe ad illos, ſed per accidens, etiam per accidens mereretur, peccaret, beatificaretur, &c. quod admitti nequit. Prob. autem conſeq. quando actus primus convenit per accidens alicui, etiam actus ſecundus per accidens attribuitur ei; ſed potentiæ ſunt actus primi; intellectio autem, & volitio ſunt actus ſecundi; erg. ſi potentiæ ſunt accidentia realiter diſtincta ab anima, per accidens illi conveniunt; ac proinde intellectio, & volitio per accidens ab anima provenirent, & per accidens ei attribuerentur; conſequenterque, &c.

4. Nec valet reſpondere, quòd potentiæ, licet ſint accidentia, non tamen conveniunt animæ per accidens, ſed per ſe, eò quòd ſe habent ad modum paſſionum, & ſunt inſtrumenta, quibus utitur anima ad ſuarum operationum exercitium. Non enim valet hoc; nam ſi potentiæ eſſent tantùm principia inſtrumentalia, cùm anima non agat, niſi mediis potentiis, ſequitur manifeſtè, quòd anima eſſet cauſa ſolùm inſtrumentalis talium operationum; ſed hoc contradicit rationi; erg. Prob. mai. nam cauſa principalis eſt, quæ agit per rationem formalem principalem, ita quòd ſi hæc ratio non eſſet principalis, ſed ſolùm inſtrumentalis, talis cauſa non principalis, ſed inſtrumentalis eſſet; erg. vel anima, præter influxum, quo mediis potentiis influit, habet alium à ſe ipſa immediatè provenientem; quòd

ſic

ſic reſpondentes non concedent; vel non eſt cauſa principalis, ſed tantùm inſtrumentalis ſuarum operationum.

5 Præterea præallata reſponſio ſic impugnatur: nam animam uti potentiis, tamquam inſtrumentis, vel dicit aliquam immediatam animæ activitatem reſpectu actuum; & ſic habemus intentum, nempè animam non agere medio aliquo realiter ab ipſa diſtincto. Vel dicit dumtaxat ſubſtare potentiis, quatenus hæ naturaliter exigunt in eſſe, & recipi in ipſa anima, & ſic: erg. actus liberi non poſſent imputari animæ ad meritum, vel demeritum, ſed ſolùm voluntati: ſed hoc à nullo catholico concedetur: erg. &c. Probat. illa conſequ. nam illi principio per ſe imputantur actus liberi, quòd ad illos ita concurrit, ut non concurrere poſſit, ſi enim neceſſariò, & naturali modo concurrit, illi non imputantur; ſed anima in ſubſtando potentiis neceſſariò, & naturali modo ſe habet, imò non ut cauſa efficiens, ſed ſolùm materialis, ut per ſe patet: ergo ſi ex eo dicitur cauſa actuum, quia utitur potentiis, qui uſus ſolùm conſiſtit in eo, quòd illis ſubſtet, in quo ſe habet neceſſariò, & naturali modo, actus liberi illius non erunt imputabiles ipſi animæ, ſed ſolùmmodò voluntati. Dicendum eſt ergo, quòd anima ex ſe immediatè, & non medio aliquo realiter ab illa diſtincto, ad hujuſmodi operationes concurrit.

6. Probat. 2. concluſ. ratione etiam Scoti ubi ſup. nam illud eſt ponendum in natura, ſi ſit poſſibile, quod melius eſt; natura enim ſemper quod melius eſt deſiderat: ſed melior eſt in natura paucitas, ſi hæc poſſibilis ſit, quàm multitudo, ut docet Ariſtotil. 1. Phyſic. text. 35. 41. & 50. erg. iſta paucitas eſt ponenda in natura: atqui poſſibile eſt, quòd intellectus, & voluntas, reliquæque potentiæ

ſint

ſint idem realiter cum eſſentia : g. hoc eſt tenendum. Cætera patent, & min. ſubſumpta probi quia intellectus, & voluntas Dei ſunt potentiæ operativæ, ut nullus ambigere audebit : ſed iſtæ realiter cum Divina eſſentia identificantur, ut eſt omnino certum : g. poſſibile eſt, quòd intellectus, & voluntas, reliquæque potentiæ ſint idem realiter cum eſſentia ; ac proinde cum anima.

7. Reſpondet quidam doctiſſimus Thomiſta, iſtam rationem potiùs ſtare pro ſua ſententia, quàm pro noſtra, quia habere potentiam operativam identificatam realiter cum ſubſtantia, eſt proprium Dei, & alienum à creatura; claudere enim in unica indiviſibili entitate perfectionem ſubſtantiæ, & qualitatis, eſt proprium actus puri, qui ratione ſuæ infinitæ perfectionis poteſt extrema uſque adeò diſſita indiſtinctè amplecti, non ergo ex identitate Dei intellectus, & voluntatis cum ipſius eſſentia, benè infertur identitas animæ cum ſuis potentiis in creatura. Sed omiſſa pro nunc negatione ſuppoſiti, nempè, quòd potentiæ, quibus ſubſtantia operatur, ſint qualitates, ſeu accidentia; non enim ſunt niſi quædam proprietates, ſeu formalitates ſubſtantiales, ut ex dictis, tam hic, quàm in loco ſup. alleg. 2. Phyſic. apertè conſtat ; dicimus, quòd ſummus gradus potentiæ operativæ, qui eſt proprium Dei, eſt operari ſine dependentia ab alia cauſa ipſi ſuperiori, aut ſine dependentia à ſubjecto ; non verò operari ſine concurſu potentiæ realiter diſtinctæ; ut manifeſtè patet, ex eo quòd ſic operari conveniat accidenti creato ; calor enim verb. grat. per ſuammet entitatem, abſque potentia realiter à ſe diſtincta, calefacit, ut eſt notum. Si ergo formæ accidentali convenit operari immediatè abſque potentia realiter diſtincta, ſanè abſque fundamento hoc

de-

denegatur formæ ſubſtantiali, quæ eſt longè perfectior.

8 Argum. 1. potentiæ ſpecificantur ab actibus: ſed actus cuiuſvis ſubſtantiæ creatæ eſt accidens, ſiquidem adeſſe, & abeſſe poteſt abſque illius corruptione; g. & ipſæ potentiæ erunt accidentia. Mai. eſt Ariſt. min. eſt certa, & conſeq. prob. nam ſpecificari ab actione nil aliud eſt quam dicere intrinſecum ordinem ad illam; erg. ſi actio eſt accidens, & potentia accidens erit, Probat. conſequen. ſubſtantia nequit ſpecificari ab actione; quippe in ſua eſſentia non pendet ab actu ſecundo, qui eſt accidens, atque adeo neceſſario ſupponens totam eſſentiam completam cum ab illa ſuſtentetur; ſed potentia ſpecificatur ab actibus, ut dictum eſt; ergo ideo eſt quia non eſt ſubſtantia, & conſequenter ſi actio eſt accidens, & ipſa potentia accidens erit. Deinde iſtæ potentiæ recipiunt habitus realiter diſtinctos, nempe intellectus habitum fidei, & voluntas habitum charitatis; ergo potentiæ quæ per tales habitus operantur, neceſſariò erunt realiter diſtinctæ. Reſpond: concedendo, quod licet potentiæ ab actibus ſpecificentur, non tamen ita ut ab illis ſuas differentias eſſentiales accipiant; ſed tantum extrinſecè, & a poſteriori; quia ordo potentiæ ad actus non eſt de eſſentia potentiæ, ut quæſt. ſequenti ex profeſſo dicemus; in quo ſenſu nullum eſt inconveniens, ſubſtantiam dicere ordinem ad accidens; ſicut eſſentia dicit ordinem ad paſſiones, & potentias, quæ juxta ſic arguentes, ſunt accidentia realiter ab illa diſtincta; ex quo patet ſolutio totius argumenti. Ad confirm. reſpond. quod ſicut eadem eſſentia realiter indiſtincta recipit in ſe potentias realiter (in ſent. arguentium) diſtinctas, & mediis his actus, & habitus illarum, ſic eadem eſſentia animæ (juxta nos) mediis potentiis realiter identificatis recipit actus, & habitus realiter diſtinctos.

9 Ar-

9 Arg. 2. ſi intellectus, & voluntas eſſent idem realiter cum anima rationali, ſequeretur, quod habens talem animam ſemper actualiter intelligeret, & vellet; ſed hoc opponitur experientiæ; g. non ſunt idem realiter cum illa. Prob. mai. nam ſicut quia anima eſt primus actus vitæ, habens illam ſemper actualiter vivit; ita ſi eſſet realiter potentia, ſeu actus primus intelligendi, & volendi, habens ipſam ſemper actualiter intelligeret, & vellet; g. &c. Reſp. cum Scoto negando ſequel. & ad prob. neg. paritas, habens enim animam ideo ſemper vivit vita ſubſtantiali, non tamen ſemper operatur vitaliter, quia vivere ſubſtantialiter tribuitur viventi ab anima in genere cauſæ formalis; operari autem vitaliter, in genere cauſæ efficientis, ut eſt conſtans: in quo hoc eſt diſcrimen, quod effectus formalis neceſſario conſequitur poſitionem formæ in ſubiecto; non vero effectus cauſæ efficientis conſequitur neceſſariò poſitionem potentiæ effectivæ, ut eſt per ſe manifeſtum.

10 Arg. 3. ſubſtantiæ inanimatæ operantur per potentias, quæ ſunt qualitates realiter ab illis diſtinctæ; ignis enim v. g. operatur per calorem; g. idem dicendum eſt de anima reſpectu ſuarum operationum. Reſp. diſting. aſſumptum; ſubſtantiæ enim inanimatæ duos effectus producere poſſunt, unum ſcilicet per accidens, ut ignis v. gr. cum producit calorem; ad quos effectus producendos, cum illos non per ſe, ſed per accidens producant, indiget potentiis, quæ ſint accidentia, & realiter ab ipſis diſtinctæ, huiuſmodi eſt calor reſpectu ignis. Alium producunt per ſe, ut cum ignis producit alterum ignem, ad horum igitur effectuum productionem, cum illos non per accidens, ſed pe ſe producant, ſunt neceſſariæ potentiæ, quæ neque ſint accidentia, neque realiter ab ipſa forma ſubſtantiali diſtinctæ, ſed quæ ſint ſubſtantiæ realiter cum ipſa identificatæ, ut eſt in igne po-

potentia generativa alterius ignis. Hæc amplius patent ex dictis in 2. Phyſic. ideoque, ut num. 2. præmonebamus, ibi dicta videantur; nam illis benè intellectis nulla argumenta contra noſtram concluſ. vim aliquam habent. Ex ſupr. dictis apparet evidenter, ipſas potentias animæ inter ſe comparatas realiter non diſtingui; nam ſi ipſæ cum anima realiter identificantur, quod inter ſe ſic identificentur, neceſſe eſt, ut docet illud univerſale, & per ſe notum principium, *quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.*

11. Dubit. an prædictæ potentiæ inter ſe, & ab anima ſaltim formaliter ex natura rei diſtinguantur? Reſp. affirmativè. Ratio huius reſolutionis eſt: nam prædictæ potentiæ tam inter ſe, quam ad animam comparatæ fundant ex ſe prædicata contradictoria: ergo formaliter ex natura rei diſtinguuntur. Conſequen. patet ex dictis in logica pro diſt. formali. Prob. autem antec. nam potentiæ, etiam præſcindendo ab actibus, originantur ab anima; anima autem non originatur à ſe ipſa; deinde anima eſt corporis forma; intellectus autem nec voluntas non ſunt forma corporis; aliquæ potentiæ ſunt organicæ, aliæ non organicæ. Demum voluntas eſt potentia libera, intellectus potentia naturalis: ſed nequit eſſe idem formaliter principium ſimul liberum, & naturale; ergo. Prob. hæc min. nam liberum, & naturale ſunt primæ differentiæ dividentes principium activum in communi, ut expreſsè docet Scotus in 1. diſt. 2. quæſt. 7. §. *Dico tunc ad quæſt.* litt. M. ergo eidem formaliter principio convenire nequeunt. Præterea, eſſe principium naturale eſt eſſe ex propria natura determinatum ad agendum; eſſe principium liberum eſt eſſe ſui ipſius determinativum; ſed hæc abſque aliqua diſtinctione ex natura rei in eis, quibus competunt, ſalvari nequeunt: ergo neque eſſe principium naturale, & liberum, &

con-

conſequenter potentiæ animæ ab ipſa, & inter ſe formaliter ex natura rei diſtinguuntur. Aliquæ inſtantiæ contra hanc reſolutionem adducuntur à Maſt. quas & ipſe ſubtiliter ſolvit, ſi fortè deſiderentur, apud ipſum videantur.

QUÆSTIO II.

Utrum potentiæ ſpecificentur ab actibus, & actus ab obiectis?

1 PRo huius quæſt. intelligentia prænotandum eſt 1. quod actus potentiarum vitalium ſunt in duplici differentia; quidam enim ſunt adæquati, & quidam inadæquati. Actus inadæquatus eſt ille, qui non attingit totam rationem formalem obiecti adæquati potentiæ. Sic viſio albi, v.g. dicitur actus inadæquatus potentiæ viſivæ, eo quòd hæc verſatur non tantum circa calorem album, ſed circa omnem calorem. Actus adæquatus vocatur ille, qui totam rationem formalem obiecti adæquati potentiæ attingit: quo pacto viſio omnis coloris eſt actus adæquatus potentiæ viſivæ. Præſens igitur quæſt. tantum procedit de actibus, & obiectis adæquatis, evidens enim eſt, quod nec potentiæ ab actibus inadæquatis, nec actus ab inadæquatis obiectis, ſpecificantur.

2 Prænotandum eſt 2. quod neque procedit difficultas de obiectis materialibus, ſed de formalibus (quodnam ſit obiectum materiale, quodnamque formale, manet latè explicatum in procemialibus logicæ, loquendo de illius obiecto; quod hic in memoriam vertere oportet) non enim eſt dubium, quod plura obiecta materialia ab eadem potentia attingi poſſunt, ſi eamdem rationem formalem ſortiantur; ſic homo, equus, & canis v. gr. poſſunt actum eiuſdem potentiæ viſivæ terminare, ſi eamdem rationem formalem coloris participent. Præterea,

terea, in unicó obiecto materiali inveniri poſſunt plures rationes formales, atque ideò poteſt tale obiectum terminare actus diverſarum ſpecie potentiarum; unde cibus v. g. quatenus habet colorem, terminat actum potentiæ viſivæ, quatenus calorem habet, terminat actum potentiæ tactivæ, & quatenus habet ſaporem, terminat actum potentiæ guſtativæ.

3 Prænotandum eſt 3. tamquam certum, quod actus vitalis, ut intellectio, viſio, &c. eſt formaliter quid abſolutum. Cuius ratio eſt, quia actus virtualis in communi eſt univocus viventi increato, & viventi creato, in conceptu enim communiſſimo actus vitalis ut ſic conveniunt Deus, & creaturæ animatæ; ſed in Deo actus vitalis cuiuſmodi eſt intelligentia ingenita, & volitio improducta, & eſſentialis, formaliter ſolùm importat quid abſolutum abſque aliquo reſpectu, & cùm non dicat reſpectum producti, aut recepti, ut communiter tenent Theologi; nec reſpectum attingentiæ, hic enim nequit eſſe realis in Deo, cùm actus, & objectum identificentur realiter; ergo actus vitalis ut ſic formaliter dumtaxat quid abſolutum importat.

4 Dicimus ad quæſt. 1. actus per obiecta, & potentiæ per actus non ſpecificantur intrinſecè, & eſſentialiter. Sic Scotus quodlib. 13. art. 3. lit. HH. contra Thomiſtas communiter. Prob. concl. nam per hoc, quod eſt, actus per objecta, & potentias per actus ſpecificari, intelligitur, quòd obiecta ſint formalia conſtitutiva, & diſtinctiva actuum, & ſimiliter actus potentiarum, vel quòd ordo potentiæ ad actum, & actus ad objectum ſit eis eſſentialis, & intrinſecus, proindeque illa intinſecè differre faciat; ſed utrumque eſt falſum; g. nec actus ab obiectis, nec potentiæ ab actibus intrinſecè ſpecificantur. Prob. min. quoad 1. p. objectum eſt prorſus extra actum, cujus eſt obiectum, & actus eſt omnino

rea;

realiter à potentia diſtinctus, ut potè ab illa productus: g. nec obiectum reſpectu actus, nec actus reſpectu potentiæ poteſt eſſe formale conſtitutivum, & diſtinctivum. Prob. eadem min. quoad 2. p. quia actus virtuales ſunt formaliter quid abſolutum de genere qualitatis, ut num. præced. manet oſtenſum, & ſimiliter potentiæ, quæ ſunt realiter idem cum anima, quæ eſſentialiter quid abſolutum eſt: ſed ordo unius ad aliud eſt eſſentialiter reſpectus; g. in potentiis ordo illarum ad actus & in actibus ordo ad obiecta, nequit eſſe eis intrinſecus, & eſſentialis; & conſequenter ab illis intrinſecè ſpecificari non poſſunt.

5 Nec valet, ſi reſpond. quòd talis ordo tam potentiæ, ad actus, quàm actus ad obiecta, non eſt relatio prædicamentalis, ſed tantùm tranſcendentalis, ac proinde benè poteſt in eſſentia abſoluti formaliter includi; nam ens abſolutum ſolùm à ſua eſſentia excludit relationem prædicamentalem. Non quidem hoc valet; quia licet relatio tranſcendentalis realiter ſit identificata cum entibus abſolutis, ut patet in relatione dependentiæ, quam reſpectu Dei importat creatura, non tamen formaliter eſſentialiter cum illis identificari poteſt, quia reſpectus, ſive prædicamentalis, ſive tranſcendentalis ſit, de eſſentia abſoluti eſſe non poteſt; aliàs idem formaliter, & quidditativè ſimul eſſet ad ſe, & ad illud; ac proinde eſſet ad ſe, & non eſſet ad ſe, quod eſſet manifeſtum contradictorium; dicendum ergo eſt, potentias ab actibus, & actus ab obiectis intrinſecè ſpecificari non poſſe.

6 Dicimus 2. potentiæ ſpecificantur ab obiectis, & actibus adæquatis illarum extrinſecè, & manifeſtativè, ideſt, ex ſpecifica diſtinctione objectorum, & actuum adæquatorum infertur diſtinctio ſpecifica potentiarum, & actuum. Prob. hæc concl. nam potentiæ eiuſdem rationis ſpecificæ, & actus etiam eiuſdem rationis

ſpe-

ſpecificæ debent habere actus, & obiecta ejuſdem ſpecificæ rationis, ut eſt per ſe notum; g. hoc ipſo, quod una potentia exigat habere aliquem actum, quem alia habere nequit, & ſimiliter aliquis actus exigat habere aliquod objectum, quod alius actus habere non poteſt, neceſſariò infertur ſpecifica diſtinctio inter illas potentias, & etiam inter iſtos actus. Notanter diximus in conc. *obiectis, & actibus adæquatis*: nam ut num. 1. præveniebamus, nec potentiæ per actus inadæquatos, nec actus per inadæquata obiecta, ſpecificè differre poſſunt.

7 Dicimus 3. quamvis ex ſpecifica diverſitate objectorum formalium benè inferatur ſpecifica diverſitas actuum: non tamen ex unitate, ſpecifica formalis objecti infertur ſpecifica actuū unitas; poſſunt enim actus ſpecificari ex diverſo modo tendendi in obiectum, & etiā ex principio, à quo procedunt. Prima pars huius concluſ. conſtat ex num. anteced. Secunda verò prob. quia idem obiectum ſub eadem ratione formali poteſt cognoſci intuitivè, & abſtractivè; ſed cognitio intuitiva ſpecificè differt ab abſtractiva, propter diverſum modum tendendi in idem obiectum formale: g. &c. Deinde idem objectum poteſt cognoſci actu naturali, & actu ſupernaturali, ut dicitur in materia de Gratia; ſed iſti actus differunt ſpecificè ratione principiorum: unus enim procedit à ſupernaturali principio, alius verò à naturali: g. &c.

8 Ut doctrina, tam iſtius, quam præcedentis concluſ. magis percipiatur, oportet obſervare, quod tunc colligimus potentias ſpecificè diſtingui, cùm una ſibi determinat aliquos actus quos alia ſibi determinare nequit, ita ut nullus actus, qui ab una elicitur, ab alia elici poſſit. Huius exemplum eſt intellectus, qui ideò diſtinguitur ſpecificè à voluntate, & hæc ab illo, quia ille ſibi determinat actus naturales intelligendi, quorum nullum ſibi determinare poteſt

vo-

voluntas, & hæc determinat ſibi omnes actus liberos, quorum nullum intellectus ſibi determinare poteſt. Tuncautem colligitur, actus ſpecificè differre, quando verſantur circa diverſa objecta formalia, ut viſio, & auditio, vel circa idem formale obiectum diverſimodè attactū, ut intuitiva cognitio, & cognitio abſtractiva; vel denique dimanant à principiis diverſis, ut actus naturalis, & actus ſupernaturalis, ut ſup. dicebamus.

9 Arg. cont. 1. concl. ordo potentiarum ad actus; & actuum ad obiectum eſt adeò intrinſecus eis, ut repugnantibus obiectis, repugnarent & actus, & repugnantibus actibus, etiam potentiæ repugnarent: ſed hoc ita non eſſet, ſi ab illis intrinſecè non ſpecificarentur: g. &c. Reſp. concedendo maj. & neg. min. & conſequentiam. Verum quidem eſt, ordinem potentiarum ad actus, & actuum ad objecta realiter cum illis identificari, non autem identificari formaliter & eſſentialiter, repugnante enim objecto, repugnarent & actus, & ſimiliter repugnantibus actibus, potentiæ etiam repugnarent: hoc tamen tantum eſſet per locum ab extrinſeco, non verò ab intrinſeco, ſicut repugnante paſſione, repugnaret & eſſentia ſolùm à poſteriori, & ab extrinſeco, ut ſæpè dictum eſt. Replic. potentia, & actus ita referuntur ad obiectum, ut illorum eſſentia, & diſtinctio concipi nequeat, niſi per ordinem ad illud; g. licet obiectum non pertineat ad eſſentiam actus, nec actus ad eſſentiam potentiæ, talis tamen ordo ad illa intrinſecè; & eſſentialiter includitur in eis. Reſp. conceſſo anteced. neg. conſeq. ideò enim actus non poteſt perfectè concipi niſi in ordine ad obiectum, nec potentia, niſi per ordinem ad actum, quia ut advertit Scotus quolib. 13. §. *Ad primam principale*, voces communiter impoſitæ ad ſignificandum operationes, & potentias, ex vi nominis important relationem eis neceſſariò annexam,

&

& ideò ſemper debet cointelligi obiectum, ut cognoſcatur actus, & actus ſimiliter, ut cognoſcatur potentia, in ratione termini tantùm; unde ſi vox fuiſſet impoſita ad ſignificandum entitatem abſolutam, ſive potentiæ, ſive actus: poſſet quidem talis vocis ſignificatum quidditativè cognoſci, non cognito, ſive actu, ſive objecto, in ratione termini.

10 Ut aliquæ difficultates, quæ obiici poſſunt circa dicta in præjactis concluſionibus, facilè enodentur, obſervare oportet, quod potentiæ inter ſe ſubordinatæ cuiuſmodi ſunt v.g. viſus, ſenſus communis, & intellectus, non exigunt diverſa obiecta, ſiquidem ſuperior verſatur circa idem obiectum inferioris; ut color, qui non ſolum attingitur a viſu, ſed etiam à ſenſu communi, & intellectu, eo quod ſunt potentiæ ſubordinatæ. Deinde eſt obſervandum, quod cùm in ſuperioribus dicimus, quod color in communi eſt obiectum adæquatum viſus (idem dicendum eſt de quocumque alio, quod poteſt poni objectum adæquatum cuiuſvis potentiæ) nullatenus intendimus, quod conceptus coloris ut ſic, prout ſimpliciter ſupponit pro ipſa natura coloris ab inferioribus abſtracta, eſt tale obiectum adæquatum, ſed quod huiuſmodi obiectum ſit color, prout ſupponit perſonaliter pro omnibus ſuis inferioribus, ſcilicet albo, nigro, rubro, &c. non enim dantur à parte rei naturæ ſuperiores ab inferioribus abſtractæ, ſed in iſtis realiter incluſæ, ut in Logica latè expendebamus.

11 Dubit. utrùm potentia viſiva hominis v.g. & potentia viſiva equi ſpecificè diſtinguantur? Reſp. ſub diſtinctione. Si enim prædictæ potentiæ materialiter, & identicè conſiderentur, dicendum eſt, illas ſpecificè diſtingui. Ratio eſt, quia materialiter conſideratæ deſumunt ſuam ſpecificationem à ſubiectis, quibus inſunt, ſed ſubiecta prędictarum potentiarum ſunt ſpeci-

ecificè diſtincta; g. & ipſæ potentiæ ſic conſideratæ ſpecie diſtingui debent. Si autem huiuſmodi potentiæ formaliter conſiderentur, ſpecificè diſtinguuntur. Ratio hujus eſt, quia potentia formaliter conſiderata deſumit ſuam ſpecificationem, ſaltim manifeſtativè, & à poſteriori, ab ipſius adæquato obiecto; ſed actus viſionis potentiæ viſivæ hominis, & actus viſionis potentię viſivę equi circa idem ſpecificè obiectum, ſunt eiuſdem ſpeciei; g. non eſt unde inferatur ſpecifica diſtinctio inter iſtas potentias formaliter conſideratas. Maj. manet ſup. oſtenſa, min. autem prob. ſi tales actus non eſſent ejuſdem ſpeciei, ideò eſſet, quia cauſæ, a quibus eliciuntur, non ſunt ejuſdem ſpeciei; ſed hoc non obſtat quominus tales actus ſint ejuſdem ſpeciei, ut patet in calore producto à Sole, & in calore producto ab igne, qui (iuxta communem omnium conſenſum) ſunt ejuſdem ſpeciei, non obſtante, quod cauſæ, à quibus producantur, ſpecie differunt; g. &c.

12 Confirm. nam potentia viſiva hominis, & potentia viſiva equi, conſequenterque actus illarum, non dimanant ab anima hominis; & ab anima equi, ut hæ ſunt formæ ſpecie diſtinctæ, ſed ut ſunt formæ eiuſdem generis: g. tales potentiæ formaliter conſideratæ, & illarum actus, ſpecie non diſtinguuntur. Prob. antec. nam potentiæ viſivæ hominis, & equi dimanant ab eorum animabus, præcisè quatenus hæ ſunt ſenſitivæ; ſed quatenus ſenſitivæ ſunt non ſunt ſpecie diſtinctæ; ſed eiuſdem generis; quod non eſt idem, ut patebit perpendenti; g. &c. Prob. mai. quia potentia viſiva, quatenus potentia viſiva formaliter eſt, nullam dependentiam dicit ab anima rationali, ut rationali: ſed neque dimanat ab anima, ut formaliter vegetativa, ut eſt certum; ergo potentia viſiva formaliter ſumpta ſolùm dimanat ab anima, ut formaliter ſenſitiva, & conſequenter iſtæ po-

ten-

tentiæ formaliter conſideratę ſpecie non diſtinguuntur.

13 Reſpondent, qui oppoſitum tenent negando conſeq. huius confirmationis: quia anima ſenſitiva hominis, & anima ſenſitiva equi ſpecie diſtinguuntur, & conſequenter prajacta ratio nulla eſt. Sed re vera non percipitur, quomodo anima ſenſitiva hominis, & anima ſenſitiva equi, ut ſunt formaliter formæ ejuſdem generis (ſicut dicit antecedens prædictæ rationis) poſſint ſpecie diſtingui; quod ſic oſtenditur. tales animæ, ut ſunt formaliter formæ eiuſdem generis, præcisè important formalitatem ſenſitivi: ſed ut præcise important formalitatem ſenſitivi, non diſtinguuntur ſpecie; g. ut ſunt formaliter formæ ejuſdem generis, ſpecie non diſtinguuntur. Prob. maj. quia tales animæ, ut ſunt formæ ejuſdem generis, non dicunt formaliter ſpecificas differentias animæ hominis, & animæ equi, per iſtas enim non conſtituuntur formæ eiuſdem generis, ſed diverſæ ſpecie, quod nullatenus eſt idem, ut patet; g. ut ſunt formaliter formæ eiuſdem generis tales animæ, præcisè important formalitatem ſenſitivi. Prob. min. eiuſdem ſyllogiſmi; tales animæ, ut præcisè important formalitatem ſenſitivi, ſunt fundamentum, ut ab illis abſtrahatur ratio univoca, & genericè communis; ſed fundamentum ad rationem univocam, & genericè communem inter aliqua non eſt formaliter fundamentum, ut ſpecie differant; quia hoc præſtant differentiæ ſpecificæ? g. ut præcisè important formalitatem ſenſitivi, non diſtinguuntur ſpecie: ergo anima ſenſitiva hominis, & anima ſenſitiva equi, ut formaliter ſunt formæ eiuſdem generis, nequeunt ſpecie diſtingui.

LIBER SECUNDUS, DE ANIMA.

PEractis iam in præced. 1. lib. iis, quæ animæ in communi tam ad naturam, quam ad potentias, attinent, de animabus, quæ ſub illa, utpotè illius ſpeciebus, continentur, immediatè, ordinatè quidem, venit pertractandum. Sit ergo.

DISP. I.

De anima vegetativa.

CUm anima vegetativa ſit communior, univerſaliorque animabus ſenſitiva, & rationali, ideò de illa, priuſquam de iſtis aggredimur diſceptare. Et licet ad exactam illis, & ejus potentiarum notitiam plura debeant tradi de nutritione, augmentatione, & generatione; quæ propriæ illius operationes ſunt, ut dicemus infra; quia tamen de his in lib. de Gener. egimus ex profeſſo, ea dumtaxat, quæ circa hoc poſſunt deſiderari, breviter diſputabimus. Pro quibus ſit.

QUÆST. UNICA.

Quid ſit anima vegetativa, quæque illius potentiæ?

1. SUppoſito hic, quod anima vegetativa, ſecundùm formalem rationem animæ, *eſt actus corporis phyſici*, *&c.* ſicut de anima in communi dicebamus lib. præced. diſp. 1. qu. 1. per totam, modo ibi explicato: quod enim convenit alicui ſuperiori, omni inferiori ſub illo

con-

contento nequit non convenire: perquirimus modò naturam, ſeu quidditatem animæ vegetativæ, prout anima vegetativa eſt. Pro quo.

2 Dicimus 1. ad quæſtionem, anima vegetativa ſic exactè definiri poteſt; *Eſt principium primum, & radicale in vivente nutritionis, augmentationis, & generationis*. Quod hæc definitio ſit exacta, patet ex eo, quod genere, & differentia conſtat, omneſque bonæ definitionis leges habet: ut illius particulas conſideranti patebit. Quod autem eſſentialis ſit, conſtat ex eo quod per eam definitur anima vegetativa per eſſe primum, & radicale principium, quod eſt illa entitas, ex qua omnes proprietates, & potentiæ cujuslibet rei dimanant; ſed entitas, à qua dimanant tales proprietates, & potentiæ, eſt eſſentia rei: g. hujuſmodi definitio animæ vegetativæ eſt eſſentialis. Videantur, quæ diximus in loco nuper citato circa definitionem animæ in communi, num. 4. Si autem Ariſt. 2. de anima, text. 49. definivit animam vegetativam dicendo; *Eſſe principium generandi tale, quale ipſum generans eſt*, ideò ſic illam definit, quia tradit talem definitionem per cauſam finalem, ut ipſemet ibi ſe explicat.

3 Dicimus 2. potentiæ animæ vegetativæ ſunt tres, ſcilicet nutritiva, augmentativa, & generativa. Concl. eſt communis, & apertè conſtat ex præallata animę vegetativæ definitione. Prob. tria ſunt, quæ ad animatum anima vegetativa requiruntur; g. & tres ſunt illius potentiæ. Prob. antec. quia ut vivens vivat, & conſervetur, neceſſarium eſt, quod nutriatur: g. indiget potentia nutritiva. Item prædictum vivens indiget determinata quantitate, & magnitudine, ut ſuas vitales operationes exercere valeat; ſed hæc acquiritur per augmentationem; g. eſt ei neceſſaria potentia augmentativa. Tandem, unum, & idem individuum nequit eſſe perpetuum, etiamſi ſit avidum perpetuitatis:

g. requiritur in illo potentia generativa, media qua generet ſibi ſimile, & in ſpecie perpetuetur: g. potentiæ animæ vegetativæ ſunt tres præexplicatæ.

4 Hic obſervare opus eſt, aſſignatas animæ vegetativæ potentias non convenire omnibus viventibus, nec ſemper eis competere. Ratio eſt, nam licet nutritio, & augmentatio omnibus conveniant; non tamen generatio, ſiquidem ſunt quædam plantarum, & animalium ſpecies, quæ tantum ex putri poſſunt generari, quæ impotentia ad generandum non ſolum ab extrinſeco provenit eis, ſicut contingit in eunuchis, ſed ab intrinſeco; quæ enim tantum ab extrinſeco eveniunt, non neceſſario omnibus ſpeciei individuis conveniunt, ſed ſolum aliquibus; ſed eſſe generabilia tantum ex putri convenit omnibus individuis aliquarum ſpecierum animatorum, ut vermibus, & aliis: erg. &c. Idem experimur de anima ſenſitiva, quæ non exercet eaſdem operationes in omnibus ſenſitivis, nam quædam carent viſu, quædam olfactu, &c. Unde neceſſario potentia proxima ad huiuſmodi operationes carent. Præterea, non ſemper convenit potentia generativa proxima, ut contingit in pueris, qui generare nequeunt, uſquequo ad perfectam pervenerint ætatem; hoc tamen tantum eſt defectu aliquorum accidentium, quæ ad generandum requiruntur: concludendum igitur eſt, quod licet prædictæ potentiæ uniformiter non conveniant omnibus viventibus, in quocumque tamen reperiantur, ab anima ut vegetativa proveniunt.

5 Argum. cont. hanc concl. non datur potentia augmentativa abſque nutritiva; g. non ſunt ſtatuendæ tamquam duæ potentiæ. Patet antec. quia nihil poteſt augeri, niſi nutriatur. Reſp. conceſſo antec. neg. conſeq. quamvis enim verum ſit, potentiam augmentativam præexigere nutritivam, cum illaque ſemper coniungi, inde

inde tamen non benè infertur; quod non ſint duæ potentiæ diſtinctæ; nam potentia volitiva neceſſariò præſupponit intellectivam & nihilominus (ſecundum omnes) ſunt duæ potentiæ.

6. Arg. 1. idem eſt objectum potentiæ, nutritivæ, augmentativæ, & generativæ: ergo & unica eſt potentia. Prob. anteced. nam objectum iſtarum facultatum eſt alimentum: ergo unicum eſt objectum illarum. Reſpond. neg. anteced. & ad hujus probationem dicimus, eſſe quidem unicum objectum materialiter conſideratum, non autem formaliter inſpectum; quia ſub diverſa ratione formali tendunt in alimentum prædictæ potentiæ; nutriva enim tendit in illud acquirendo novam partem ſubſtantiæ per cõverſionem alimenti in ſubſtantiam aliti, augmentativa tendit acquirendo novam partem quantitatis, qua vivens augetur uſque dum ad perfectum ſtatum perveniat; generativa denique tendit convertendo partem alimenti reſiduam poſt ſufficientem viventis nutritionem, in ſemen, quod ordinatur ad generationem.

7 Dubit. 1. utrùm potentia nutritiva differat realiter ab augmentativa? Reſpond. negativè Ratio hujus reſolutionis poteſt deſumi ex dictis lib. 1. diſput. 2. quæſt. 1. n. 6. Prob. autem modò ſic: nam eadem virtus, quæ covertit alimentum in ſubſtantiam aliti, quod eſt nutritio, producit novam partem quantitatis, quæ naturaliter conſequitur ſubſtantiam de novo aquiſitam; ut eſt certum: g. eadem realiter virtus ſufficit, ut fiant nutritio, & augmentatio, & conſequenter eſt eadem realiter potentia. Diſtinguuntur autem formaliter, eo quòd diverſis quidditativis definitionibus definiuntur, & quia verſantur circa teminos diverſos, nam terminus nutritionis eſt ſubſtantia, terminus autem augmentationis eſt quantitas: quæ terminorum

diverſitas ad minus inferre debet formalem diſtinctionem potentiarum, maximè, cùm actus illarum ſint aliquo modo ſubordinati.

8 Arg. contra hoc; vivens non ſemper creſcit, ſemper tamen nutritur, dum vivit: g. potentia nutritiva neceſſariò diſtinguitur realiter ab augmentativa. Prob. antec. quia omnia viventia habent terminos determinatos parvitatis, & magnitudinis, ut alibi dicebamus: g. &c. Reſpond. diſting. antec. vivens non ſemper creſcit, ſumpta accretione pro acquiſitione majoris partis quantitatis, quàm illa, quæ deperditur; concedo, ſumpta accretione pro acquiſitione novæ partis quantitatis, ſive majoris, ſive æqualis, ſive minoris, quàm illa, quæ deperditur, neg. antec. & conſeq. Ex quo patet ad prob. Videantur dicta lib. 1. de Gen. diſp. 4. q. 2. num. 5.

9 Dub. 2. Utrùm potentia nutritiva, & generativa ſint realiter diſtinctæ? Reſp. affirmativè. Ratio hujus eſt: nam vel ſermo eſt de potentia generativa, quæ eſt in ſemine, vel de illa, quæ eſt in vivente? Si de prima, certum omninò eſt, iſtam realiter diſtingui à potentia nutritiva; quia nutritiva eſt potentia vitalis, & virtus ſeminalis eſt non vitalis, reſidetque in ſubjecto realiter diſtincto à vivente, nempe in ſemine: ſed vitale, & non vitale, & quæ reſident in diſtinctis realiter ſubiectis, neceſſariò realiter diſtinguuntur: g. Si de ſecunda, probatur etiam, hanc realiter diſtingui à potentia nutritiva: hæ potentiæ habent diverſum modum operandi; nutritiva enim intus aſſumit alimentum, illudque in ſubſtantiam haliti convertit, generativa verò expellit ſemen à ſe ad generationem alterius viventis. Deinde habent organa diſtincta nam illa eſt per totum corpus diffuſa, iſta autem; ſolum reſidet in parte concoctiva ſeminis, & conſervativa illius. Denique potentia nutritiva in omnibus viventibus reperitur; generativa

autem in aliquibus non adeſt, ut num. 4. præveniebamus; illæ potentiæ realiter diſtinguuntur. Confirmatur: quia ideò potentia guſtativa, & tactiva diſtinguuntur realiter, quia illa eſt in determinata parte viventis; hæc autem eſt in toto corpore; ergo pariformiter philoſophandum eſt de potentiis nutritiva, & generativa. Ex quo deducitur, ſubiectum potentiæ generativæ eſſe illam partem concoctivam ſeminis. Quænam autem ſit hæc pars, non eſt noſtri inſtituti examinare, ſed ad Medicos ex profeſſo ſpectat.

10 Pro coronide huius quæſtionis inquires quomodo ſit intelligendum illud Ariſt. proloquium, nempè: *Naturaliſſimum opus viventis eſt generare ſibi ſimile*? Hoc ſatis conſtare poteſt ex dictis in lib. de generatione; ſed modò breviter dicimus, hoc verum eſſe, eò quòd generare eſt opus neceſſarium ad conſervationem, & perpetuitatem ſpeciei; nutriri verò, & augeri, ad conſervationem tantùm individui; cùm ergo bonum commune ſit magis connaturale naturæ, hoc eſt, magis intentum ab illa, quàm bonum peculiare, hinc eſt, quòd licèt ſit naturale viventi nutriri, & augeri, naturaliſſimum autem opus illius eſt, ſibi ſimile generare.

DISP. II.

De anima ſenſitiva.

CUm anima ſenſitiva excellat perfectione, & ordine naturæ animam vegetativam, ideò poſtquam de hac iam tractavimus, de illa modò venit agendum, ac de potentiis illius in communi, ſimiliterque de obiecto ſenſibili ut ſic nec non de ſpeciebus ſenſibilibus, quæ ad ſenſationes concurrunt. Pro quibus omnibus ſit

QUÆSTIO I.

Quid ſit anima ſenſitiva: quæque eius potentiæ? & an hæ activæ, & paſſivæ ſint?

1 Dicimus 1. ad quæſtionem; anima ſenſitiva ſic definiri poteſt: *Eſt actus corporis phyſici, & organici potentia vitam ſenſitivam habentis*. Vel ſic: *Et actus primus, à quo ſubſtantiæ materiales habent exercere operationes ſenſitivas*. Bonitas primæ definitionis patet ex dictis pro definitione animæ in communi, cui hic additur ly *vitam ſenſitivam*, quæ eſt ſpecifica conſtitutiva, & diſtinctiva animæ ſenſitivæ differentia. Bonitas ſecundæ etiam conſtat ex eo quòd ſolùm animæ ſenſitivæ, ut ſenſitivæ formaliter, convenenit eſſe primum principium ſenſitivarum operationum, & potentiarum, à quibus iſtæ immediatè proveniunt, ut diſp. præced. de anima vegetativa dictum eſt. Quæ definitiones erunt quidditativæ, & eſſentiales, ſi ly *actus* in utraque poſitum, intelligatur de actu radicali, ſeu de radice omnium potentiarum, & actuum tali animæ competentium, ut circa definitionem animæ in communi lib. præced. dictum manet.

2 Dicimus 2. animæ ſenſitivæ communiter tres aſſignantur potentiæ, nempe congnitiva, ſeu ſenſitiva, appetitiva, & locomotiva. Quarum prima percipit res ſenſibiles; quare hæc ſolet dividi in externam, & internam. Potentia interna eſt, cujus actu interiùs percipiuntur, & præſupponunt neceſſariò actus potentiarum externarum: huiuſmodi eſt imaginativa. Potentia externa eſt, cuius organum apparet exteriùs, aut cujus actus alios actus non ſupponunt; & huiuſmodi ſunt quinque ſenſus corporei, videlicet viſus, auditus, guſtus, odoratus, & tactus. Secunda ſcilicet appetitiva, appetit com-

commodum, conſequenterque incommodum fugit, dividiturque ab aliquibus in iraſcibilem, & concupiſcibilem. Tertia denique deſervit ad acquirendum bonum concupitum, & fugiendum malum apprehenſum; & hæc bipartitur in perfectam, quæ cauſat motum progreſſivum de loco ad locum; & in imperfectam, à qua provenit quidam imperfectus motus localis, nempe dilationis, & conſtrictionis. Tria hæc potentiarum genera conſequuntur animam ſenſitivam in omnibus animalibus, non tamen ſecundùm omnes ſpecies; quædam enim carent aliquibus ſenſibus, & quædam potentia motiva perfecta carent juxta Ariſtot. 3. de An. text. 45. omnia tamen ſaltim imperfectam habent, ſcilicet dilatationis, & conſtrictionis.

3 Dicimus 3. potentiæ ſenſitivæ ſunt activę, & paſſivæ, producendo ſcilicet, & recipiendo in ſe ipſis ſenſationes. Sic Scotus in 1. diſt. 13. q. 7. ferè per totam, ſed præſertim, §. *Ad quæſtionem*, lit. K. quem omnes ſui Diſcipuli ſequuntur. Hanc doctrinam tenet expreſsè D. Auguſt. 11. de Trinit. cap. 2. dicens; *Gignitur ex re viſibili viſio; ſed non ex ſola, niſi adſit, & videns: quocirca ex viſibili, & vidente gignitur viſio*. Idem habet cap. 12. ubi inquit: *Liquidò tenendum eſt; quòd omnis res, quam cognoſcimus, congenerat in nobis notitiam ſui; ab utroque enim notitia paritur, à cognoſcente ſcilicet, & cognito*; ſentit ergo D. Auguſt. potentias ſenſitivas, etiam externas, nedum paſſivas, verum & activas eſſe.

4. Probat. concluſ. ratione quoad 1. partem. Habere virtutem activam eſt perfectio cujuſlibet potentiæ, & convenit aliquibus potentiis non vitalibus, & etiam vitalibus ordinis, & perfectionis inferioris, quàm ſunt ſenſitivæ, nempe vegetativis; deindeque nullum eſt inconveniens in eo quòd hujuſmodi activitas potentiis ſenſitivis tribuatur: ergo eis concedi debet. Patet conſ. nam quod conceditur enti ordinis inferioris, &

enti ordinis ſuperioris, ſi oppoſitum, tamquam inconveniens, non conſtet: ſed circa hoc ex nullo capite conſtat: g. &c. Confirm. ratione Scoti ubi ſup. litt. H. nam major attentio, ſeu conatus potentiæ, poſito eodem objecto, ſeu ſpecie, reddit actum perfectiorem, ut experientia oſtendit; ſed receptio ſemper eſt eadem, ſive potentia multùm, ſive parum attendat, ut eſt certum; g. ſenſatio præter receptionem neceſſariò involvit aliquam actionem ex parte potentiæ. Patet conſeq. quia conatus, ſeu attentio nihil dicit ex parte receptionis, ſed innuit activæ potentiæ concurſum.

5 Argum. 1. contra hanc p. concluſionis ex Ariſt. 2. de anima text. 37. docente, ſenſum eſſe paſſivum; ergo nullatenus eſt activus. Reſpond. neg. conſeq. quia ex eo quòd affirmet eſſe paſſivum, non negat, eſſe activum. Ratio autem, ob quam potiùs illum paſſivum, quàm activum appellat, eſt, tum quia arguebat contra aliquos antiquos aſſerentes, ſenſum non pati ab objecto; tum quia bis patitur, nempe, cùm recipit ſpeciem, & cùm recipit ſenſationem ipſam; tum denique, quia ſentire præſupponit neceſſariò, & indiſpenſabiliter receptionem ſenſationis; non autem ſic activam illius elicitionem; ex hypotheſi enim, quòd à Deo produceretur ſenſatio in ſenſu, iſte abs dubio ſentiret, & tamen nihil eliceret, ut ex ipſa ſuppoſitione patet.

6 Arg. 2. ex D. Auguſt. 11. de Trinitat. ubi docet, quòd viſio eſt forma objecti impreſſa ſenſui; ſed forma objecti eſt ſpecies impreſſa, ad quam potentia viſiva nullatenus concurrit; ergo potentia ſenſitiva non eſt elicitiva ſenſationis. Confirmat. nam ſi potentia eſſet activa, quotieſcumque illi per ſpeciem impreſſam applicaretur objectum, produceret ſenſationem; ſed oppoſitum oſtendit experientia in oculis dormientis, in quibus, ſi aperti ſint,

re-

recipitur ſpecies, & tamen non producitur viſio; erg. Reſpond. ad argument. explicando mai. viſio eſt forma obiecti, cauſativè, ſeu virtualiter, eſt verum; formaliter autem non. In 1. ſenſu intelligendus eſt Div. Auguſtin. Forma itaque obiecti (quæ eſt ſpecies impreſſa) eſt cauſa partialis viſionis; producit enim illam ſimul cum potentia; non autem eſt cauſa totalis. Ad confirmat. neg. mai. quia potentia ſenſitiva, viſiva v. gr. præter ſpeciem obiecti, indiget etiam, ut eliciat ſenſationem concurſu ſpirituum vitalium, aut animalium, quorum acceſſum ad ipſam potentiam impedit ſomnus.

7 Prob. 2. p. concluſionis; nam actus potentiarum ſenſitivarum debent recipi in aliquo ſubiecto determinato; ſed in nullo potiùs, quàm in ipſis potentiis; erg. recipitur in illis; conſequenterque iſtæ ſunt paſſivæ. Dices, non poſſe in his recipi, eò quòd potentia ſenſitiva in homine conflatur ex anima rationali, & organo corporeo; cùm ergo ſenſatio ſit corporea, in tali potentia recipi nequit; quia nihil materiale poteſt recipi in ſpirituali; ſed anima rationalis eſt ſpiritualis; ergo ſenſatio tantum recipitur in organo corporeo, ſeu parte materiali; conſequenterque non recipitur in potentia. Reſp. quòd potentia ſenſitiva receptiva ſenſationis, nec ſolùm eſt anima, nec ſolùm organum corporeum, ſed quoddam tertium diſtinctum reſultans ex anima, & corpore; in quo tertiò ſubiectatur actus ſenſationis, ut ſæpè, & præſertim in lib. 1. Phyſic. loquendo de diſtinctione totius phyſici à ſuis partibus, dicebamus.

8 Dubitabis, utrùm detur ſenſus agens? Ante reſp. notare oportet, quòd non eſt ſermo in præſenti de activitate ordine ad ſenſationem; ſic enim non eſt dubium, ſenſus eſſe activos, ut n. 3. & 4. ſup. oſtendimus; ſed de activitate in ordine ad ſpeciem ſenſibilem modo, quo datur intellectus agens, ut ſequenti lib. dicemus.

mus. Reſp. ergo ad dubium negativè, & colligitur ex Scoto in 1. diſt. 3. qu. 6. §. *Contra iſtam opinionem*, litt. D. nam ad hoc exiſtentiam intellectus agentis oſtendit eſſe neceſſariam, ut transferat objectum de uno ordine in alium, hoc eſt, de ordine ſenſibilium, & materialium, ad ordinem immaterialium, & intelligibilium, quæ actio nequit totaliter provenire à phantaſmate; cùm hoc ſit quid materiale, proindeque requiritur concurſus potentiæ ſpiritualis: ſed objectum ſenſibile, ut à ſenſu percipiatur, non indiget transferri de uno ordine in alium, ſiquidem manet in ſenſu materiale, ſicut erat antea extra ſenſum: g. nullatenus eſt concedendum dari talem ſenſum agentem. Hoc ampliùs conſtabit ex dicendis in ſequenti lib.

QUÆSTIO II.

Utrùm ſenſibile commune, & ſenſibile proprium per eamdem ſpeciem percipiantur?

1. PRo intelligentia quæſt. præmittendum eſt, quòd *ſenſibile* nihil aliud eſt, quàm illud ens, quod ab aliqua potentia ſenſitiva percipi poteſt. Hoc in prima ſui diviſione, juxta Ariſtot. 2. de Anima text. 63. & 65. dividitur in ſenſibile per ſe, & ſenſibile per accidens. Senſibile per ſe eſt illud, quod ex ſe, & immediatè terminat ſenſationem. Senſibile per accidens eſt illud, quod eſt unitum ſenſibili per ſe, & ratione hujus eſt ſenſibile, ut ſubſtantia. Deinde ex ipſo Ariſt. ibid. ſenſibile per ſe ſubdividitur in ſenſibile proprium, & ſenſibile commune. Proprium eſt, quod tantùm ab uno ſenſu percipitur, color v. g. à viſu, ſonus ab auditu. Commune eſt, quod ab aliquibus ſenſibus, ſaltim à duobus, percipi poteſt. Et non loquimur hic de ſenſibus internis, & externis; aliàs non daretur aliquod ſenſibile proprium, ſiquidem

dem nihil à ſenſibus externis percipitur, quòd etiam ab internis non percipiatur; neque datur aliquod obiectum ab internis ſenſibile, quod ab aliquo externorum perceptibile non ſit. Præſens autem diviſio circa ſenſus externos præſertim verſatur.

2 Deinde etiam eſt præmittendum, quòd ſenſibile commune eſt quintuplex, nimirùm motus, quies, numerus, figura, & magnitudo. Per motum, intelligitur acquiſitio novi loci. Per quietem, permanentia in eodem loco. Per numerum non intelligitur ratio formalis numeri, prout dicit collationem rerum numeratarum ad invicem; ut ſic enim ſolùm ab intellectu percipitur; ſed intelligitur rerum ſenſibilium multitudo. Per figuram intelligitur diverſa poſitio rei figuratæ, ut ſedere, cubare, & talem, vel talem terminationem, aut delineationem quantitatis habere. Per magnitudinem tandem intelligitur ipſa quantitas localiter extenſa. Omnia ergo hæc non tantùm ab uno ſenſu, ſed à pluribus percipi poſſunt; magnitudo namque, figura, & numerus percipiuntur à viſu, & à tactu; motus à viſu, auditu, & tactu, & quies à viſu, & tactu percipi poſſunt. Alia ſenſibilia communia ſolent ab aliquibus enumerari, ut obtuſum, acutum, molle, fluidum, aliaque huiuſmodi; hæc tamen ad quinque prænumerata poſſunt reduci. His præmiſſis, quæritur, an ſenſibile commune percipiatur à ſenſu per eamdem ſpeciem, per quam percipitur ſenſibile proprium?

3. Dicimus ad quæſt. ſenſibile commune percipitur à ſenſu per propriam ipſius ſpeciem, quæ eſt realiter diſtincta ab ſpecie ſenſibilis proprii; licèt utraque pro eodem temporis inſtanti immutet potentiam. Sic Scotus in 4. diſtinct. 12. quæſt. 3. §. *Ad principales, verſ. Etſi quæras*, ante lit. CC. Prob. concl. quoad primam partem: nam ſecundùm Ariſt. cit. num. 1. ſenſibile

ſibile per ſe diſtinguitur à ſenſibili per accidens penes hoc quòd illud immutat potentiam per propriam ſpeciem ab ipſo productam; ſecùs autem ſenſibilem per accidens; ſed juxta ipſum, ſenſibile commune eſt ſenſibile per ſe; g. immutat potentiam per propriam, & ab ipſo productam ſpeciem. Confirmat. quia ſpecies ſolùm eſt ratio percipiendi illud obiectum, à quo immediatè procedit: ſed ſpecies, per quam percipitur ſenſibile commune, eſt ratio percipiendi illud; aliàs hoc non eſſet ſenſibile per ſe: ergo ſpecies, per quam ſenſibile commune percipitur, eſt propria, & ab ipſo producta.

4 Prob. 2. p. concl. permanente in ſenſu ſpecie impreſſa ſenſibilis proprii, ſpecies ſenſibilis communis poteſt variari, ſeu corrumpi: g. ſi realiter ſeparari poſſunt, & realiter diſtingui, nec ſſe eſt. Prob. anteced. ipſa experientia, qua videmus, quòd idem numero ſenſibile proprium, album v. g. quod modò quieſcit, poſtea movetur; conſequenterque figuram diverſam ab illa, quam habebat ante, aquirit: ſed hoc ita non eſſet, niſi permanente ſpecie repræſentativa albi, variaretur, ſeu corrumperetur ſpecies, quæ ſenſibile commune repræſentat, ſcilicet quietem, motum, aut figuram; ergo ſpecies repræſentativa ſenſibilis communis eſt realiter diſtincta ab ſpecie repræſentativa ſenſibilis proprii. Prob. 3. p. concluſ. quia ſenſibile proprium, cùm ſit ſpecificativum potentiæ, illam immutat per ſe primò; ſenſibile autem commune, cùm ab eo potentia non ſpecificetur, tantùm illam immutat per ſe ſecundò; g. ambo illam immutant in eodem reali temporis inſtanti. Patet conſeq. nam quod convenit alicui per ſe primò, & quod convenit ei per ſe ſecundò, in eodem temporis inſtanti illi conveniunt.

5 Dubitabis 1. utrùm ſenſus circa ſuum ſenſibile aliquando decipiatur? Reſpond. affirma-

mativè, quod non ſolum eſt verum de eo, cum verſatur circa ſenſibile commune, ſed etiam cum circa ſenſibile proprium verſatur. Prob. 1. pars nam quando quis propè terram navigat, apprehendit per viſum, terram moveri; quod quidem ſic non eſt. Deinde viſus aliquando apprehendit curbitatem in virga cuius pars eſt intra aquam; ſed hoc eſt decipi ſenſum circa ſenſibile commune; erg. &c. Dices; veritas, aut falſitas ſolum convenit actibus intellectus, quibus aliquid affirmatur, aut negatur de aliquo; ſed potentiis ſenſitivis repugnant huiuſmodi actus, ut eſt certum; g. nequeant decipi circa ſenſibile. Reſpond. diſt. mai. ſolum actibus intellectus convenit veritas, aut falſitas, judicativa, concedo; non judicativa, neg. mai. & conceſſa min. neg. conſeq. Verùm itaque eſt, quod veritas, aut falſitas formalis rigorosè ſumpta ſolum competit actibus intellectus; datur tamen aliqua veritas, aut falſitas latè ſumpta, quæ ſtat in eo, quod res per ſenſum percipiatur, ut in ſe eſt, aut aliter ac eſt in ſe; quo pacto benè poteſt ſenſibus competere deceptio.

6 Prob. 2. p. eiuſdem reſolutionis: quia guſtus v. g. hominis infirmi illud, quod eſt dulce, apprehendit ut amarum. Deinde, viſus apprehendit in Iride colores, qui revera in eo non ſunt; ergo aliquando fallitur ſenſus circa ſenſibile proprium. Dices; Ariſt. 2. de anima text. 63. inquit, quod ſenſus errat circa ſenſibile commune, non verò circa proprium; g &c. Reſp. quod Ariſt. ibi ſolum intendit, ſenſum rarius errare circa ſenſibile proprium, quam circa commune. Cuius ratio eſt ipſa experientia; cum enim obiectum eſt diſtans, quandoque non contingit errare circa proprium, ſed ſolum circa commune. Patet hoc in aſtris, quæ etſi valde diſtent, viſus non errat circa lucem, ſiquidem illa lucida apprehendit, quæ lux eſt ſenſibile proprium; apprehendit tamen illa quieſcentia,

par-

parva, & plana, cum ſint in continuo motu, magna, & rotunda; & ſic erat circa ſenſibile commune, ut ex dictis pro illius explicatione patet.

7 Dubit. 2. quomodo verum ſit, quod ſenſus læditur a ſenſibili excellenti? Reſp. hoc eſſe verum, ſi intelligatur de ſenſibili excellenti, non quatenus ſenſibile eſt, ſed quatenus eſt productivum aliquarum qualitatum diſconvenientium ſenſui. Sic Scotus in 4. diſt. 43. quæſt. 2. §. *Poteſt dici, verſ. Ad aliud dico*, litt. L. Ratio pro 1. p. eſt quia ſenſibile, quatenus tale, nullum aliud habet munus, quam terminare ſenſationem, producere ſpeciem impreſſam, ac media iſta ipſam ſenſationem: ſed nullo ex his modis lædit ſenſum: quatenus ſenſibile, non lædit illum. Prob. min. non quatenus terminat, talis enim terminatio eſt ex parte obiecti, non ex parte ſenſus; nec quatenus eſt productivum ſpeciei impreſſæ, quia hæc non ſentitur a ſenſu, nec aliquid ſenſus deſtruit: nec denique quatenus producit ſenſationem, quia hæc potius eſt perfectiva ſenſus, quam noxia illi: ergo &c. Eo, vel maximè, quia nihil lædi, aut corrumpi poteſt per id ad quod naturalem dicit inclinationem; ſed ſenſus naturalem dicit inclinationem ad ſenſibile, imò eo majorem, quo ſenſibile eſt perfectius; g. nequit lædi à ſenſibili excellenti, quatenus ſenſibile eſt, 2. pars ſic declaratur, & ſimul prob. Sol v. g. cum aliquis per aliquod temporis ſpatium illum directè aſpicere conatur, lædit viſum; ſed hoc non provenit ab eo, præcisè quatenus ſenſibile eſt, ut jam oſtendimus; erg. provenit ab eo, quatenus aliquam qualitatem producit, quæ eſt ſenſui noxia, ſeu diſconveniens.

QUÆSTIO III.

Utrum ad ſenſationem neceſſariò requiratur realis præſentia obiecti?

1 PRo quæſt. intelligentia tria, tamquam certa ſupponenda ſunt. Primum eſt, illam ſolum procedere de ſenſibus externis; ad ſenſationes enim ſenſuum internorum, eſt abſq; dubio, non requiri neceſſariò realem obiecti præſentiam; ſiquidem experientia oſtendit, imaginationem ſæpè verſari circa res abſentes. 2. eſt, ſenſationem aliam eſſe veram, quæ ſcilicet terminatur ad obiectum ſecundum ſuum verum eſſe; ita eſt viſio albedinis nivis v. grat. aliam apparentem, cuiuſmodi eſt illa, qua aliquando viſus eſt Chriſtus D. in Euchariſtia ſub forma pueri; & poſt eius reſurrectionem à Magdaleua ſub forma hortulani, & à Diſcipulis ſub forma peregrini: quæ viſiones non ad verum eſſe Chriſti, ſed ad illas formas apparentes, terminabantur. 3. eſt, quod naturaliter ad ſenſationem externam requiritur realis præſentia obiecti; huiuſmodi enim ſenſationes neceſſario ſunt intuitivæ, ac proindè terminatæ ad obiectum realiter præſens, & exiſtens. Reſtat ergo tantum controvertenda hæc difficultas, an (abſoluta ad hoc interveniente Dei potentia) fieri poſſit, quod ſenſus rem, quæ non eſt illi realiter præſens, percipiat.

2 Dicimus ad quæſt. implicat omnino, dari ſenſationem externam, v. gr. viſionem, terminatam ad eſſe reale alicuius rei, abſque phyſica, & reali præſentia eiuſdem rei, aut terminatam ad eſſe apparens rei, abſque eo quod talis res ſit præſens ſenſui ſecundum eſſe apparens. Hæc concluſ. expreſsè deducitur ex Scoto in 2. diſt. 3. quæſt. 9. §. *Ad quaſtionem igitur, verſ. Et ut breviter*, litt. C. quem omnes Scotiſtæ ſequun-

quuntur. Prob. 1, quoad 1. p. de ratione quidditativa intuitivæ, ſeu experimentalis cognitionis, ſive intellectualis, ſive ſenſitiva ut, prout ab abſtractiva differt, & terminari ad obiectum, prout in ſe realiter præſens, & exiſtens eſt: ſed quævis externa ſenſatio, ut viſio, eſt cognitio intuitiva, ſeu experimentalis, ut nullus negare poteſt: g. de intrinſeca, & eſſentiali ratione illius eſt terminari ad obiectum, ut in ſe realiter præſens, & exiſtens eſt; ſed quod eſt de quidditativa ratione alicuius, implicat omninò aliquando ei non convenire: g. & quod ſit aliqua externa ſenſatio, ut viſio, abſque reali obiecti præſentia. Mai. in qua tantum poteſt eſſe difficultas, evidenter conſtabit ex dicendis lib. ſequenti, cum de cognitione intuitiva intellectuali ſermonem inſtituamus.

3 Prob. 2: eadem pars: nam ſi ſenſus externi poſſent obiectum non præſens percipere, & oculi poſſent in tenebris videre, & tactus, ac guſtus poſſent ſentire obiectum abſens: ſed hæc omnino implicatoria ſunt, ut eſt evidens: ergo. Prob. mai. præſertim de viſu, in quo tantum dubitari poteſt veritas ſequelæ: non eſt magis abſens à potentia viſiva obiectum ob defectum lucis, aut medii illuminati, quam ob defectum phyſicæ, & realis præſentiæ illius, imò multò minus, ſiquidem ob defectum præſentiæ, eſt abſolutè abſens, ob lucis tantum defectum eſt abſolutè præſens, ut per ſe conſtat: ſed juxta contrarios, poteſt viſus percipere obiectum, abſque eo quod ſit realiter præſens: g. & poterit videre obiectum, quod in tenebris eſt, & abſque eo quod medium ſit illuminatum; non enim apparet aſſignabilis aliqua diſparitatis ratio. Ex his ſatis conſtat 2. par. concluſ. quia, ſi omnis ſenſatio externa eſt intuitiva, & experimentalis: erg. ſicut de ratione intrinſeca ſenſationis veræ eſt terminari ad eſſe verum obiecti, quod præſentialiter exiſtit; ita

de

de intrinſeca ratione ſenſationis apparentis erit terminari ad eſſe apparens objecti etiam præſentialiter exiſtens.

4 Pro aliquorum ſolutione argumentorum oportet obſervare, quod etiamſi apparitiones n. 1. relatæ, & aliæ huiuſmodi ſint miraculoſæ, tale tamen miraculum non ſtat in eo, quod Deus ſe ſolo producat in potentia obiecti apparentis ſpecies impreſſas, quas ipſum obiectum debebat producere; ſed ſtat in eo, quod Deus efformet talia obiecta apparentia; his enim ſemel efformatis, naturaliter potentia movetur ab illis, ut eliciat ſenſationem. Obſervandum item eſt, quod, licet ad externas ſenſationes requiratur obiectorum præſentia; hoc non provenit præcisè ex eo, quod ſpecies impreſſæ ab illis in conſervari dependent, nam hoc poteſt divinitus à Deo ſuppleri, ſiquidem quidquid facit media cauſa ſecunda efficienter, ſe ſolo facere poteſt; ſed ad tales ſenſationes ideò requiritur obiectorum præſentia, quia cum ſint intuitivæ, & experimentales, intrinſecè, & eſſentialiter exigunt terminari ad obiectum realiter præſens, quatenus præſens, ut dictum eſt.

5 Obſervandum denique eſt, quod in caſu, quo Deus divinitus conſervaret ſpeciem impreſſam in ſenſu, abſente objecto (quod eſſe poſſibile, nullatenus dubitamus) talis ſpecies non haberet rationem formalem formæ repræſentantis obiectum; quia ut ſic eſſentialiter exigit, eo quod ſenſatio eſſet neceſſariò intuitiva, præſentiam obiecti, ſed tantum haberet rationem phyſicæ qualitatis, ſicut hanc ſolùm habet in aere medio, per quem tranſit ex objecto ad potentiam. Cuius ratio eſt, quia effectum phyſicum qualificandi tribuit formaliter, ſeu in genere cauſæ formalis, quem implicat à Deo impediri, dum forma ineſt ſubiecto; effectum autem repræſentandi ob-

objectum tribuit in genere cauſæ efficientis, quatenus ſcilicet concurrit ſimul cum potentia ad eliciendam ſenſationem, qui quidem impediri poteſt, & de facto impeditur, cum objectum, quod erat præſens, abeſt. Hoc amplius patebit, cum de modo, quo ſpecies impreſſæ ad ſenſationes concurrunt, infra agamus.

QUÆSTIO IV.

Utrùm ſenſibile proprium indiviſibiliter exiſtens à ſenſu percipi poſſit?

1 SEnſus huius difficultatis eſt, an, ſicut ad hoc quod obiectum à ſenſibus percipiatur eſt neceſſarium, quod ſit præſens, etiam ut ab illis percipiatur, neceſſarium ſit, quod tale objectum exiſtat modo diviſibili, & extenſo: an autem ſufficiat, quod inextenſè, & indiviſibiliter exiſtat? Et licet controverti poſſit de omnibus ſenſibus, præſertim tamen proponitur de viſu; & ex huius determinatione, quid de aliis ſenſibus dicendum ſit clarè innoteſcet.

2 Hanc circa quæſtionem quamplures ſunt dicendi modi. Aliqui enim dicunt, quod ſenſibile proprium per miraculum indiviſibiliter exiſtens, hoc eſt, abſque quantitativa extenſione actuali poteſt à ſenſu externo, cuius eſt obiectum proprium percipi adhuc naturaliter: Alii aſſerunt, quod ſenſibile proprium indiviſibiliter exiſtens, & etiam ipſe modus indiviſibiliter exiſtendi, poteſt de potentia Dei abſoluta percipi à ſenſu. Alii affirmant, quod neque ſenſibile proprium indiviſibiliter exiſtens, neque talis modus indiviſibiliter exiſtendi, poteſt percipi à ſenſu, adhuc abſoluta Dei interveniente potentia. Auctores, qui has ſententias defendunt, videri poſſunt apud Maſt. tom. 3. diſput. 5. de Anim. quæſt. 7. art. 2. Pro

Sco-

Scoti tamen, & à nobis tenenda ſententia.

3 Dicimus 1. ad quæſt. ſenſibile proprium indiviſibiliter exiſtens nequit naturaliter percipi à ſenſu. Hæc concluſ. procedit contra AA. primæ ſententiæ, & prob. ſic, viſio naturalis exigit fieri, ſaltim partialiter, ab objecto immittente ſpeciem ſui in oculum; ſed ſenſibile indiviſibiliter exiſtens v. gr. corpus Chriſti D. exiſtens in Euchariſtia, non poteſt mittere in oculum ſpeciem ſui; g. neque naturaliter percipi à ſenſu. Prob. min. quia agens naturale, ut naturaliter agat, requirit conditiones neceſſario, & naturaliter requiſitas ad agendum, quarum una, & præcipua eſt, quod ſit naturaliter præſens, & localiter approximatum paſſo; ſed ſenſibile indiviſibiliter exiſtens, ut corpus Chriſti in Euchariſtia non eſt naturaliter præſens, nec localiter approximatum oculo, quia ibi non eſt ut in loco naturali, ut eſt manifeſtum; g. ſenſibile indiviſibiliter exiſtens nequit mittere naturaliter ſpeciem ſui in oculum; & conſequenter, &c.

4 Dices; non minus, imò magis neceſſaria conditio ad agendum eſt ſubſiſtentia, quam locatio connaturalis: illa enim eſt intrinſeca agenti, hæc autem extrinſeca, & accidentalis; ſed licet agens non habeat propriam, & connaturalem ſubſiſtentiam; poteſt adhuc ſuaptè natura elicere connaturales actiones, ut patet in humanitate Chriſti: erg. &c. Reſp. neg. maj. & paritatem inter præſentiam localem, & ſubſiſtentiam: nam iſta non pertinet ad actionem; agens enim, ut poſſit operari, ſufficit quod ſit ſingulare; unde accidentia ſeparata à ſubiecto adhuc agere poſſunt; ſubſiſtentia ergo ſolùm pertinet ad complementum naturę in linea ſubſiſtentiali, non autem ad agendum, ideòque communiter dicitur, actiones eſſe ſuppoſitorum; non quoad efficientiam, ſed tantum quo-

ad

ad denominationem ; at præſentia localis eſt conditio neceſſaria ad agendum connaturali actione, ut ſup. oſtenſum eſt.

5 Dicimus 2. ſenſus poteſt de potentia Dei abſoluta percipere obiectum indiviſibiliter exiſtens. Sic Scotus in 4. diſt. 10. quæſt. 9. §. *Ad quæſt. ergo* litt. B. procedit hæc concl. cont. A A. tertiæ ſententiæ. Prob. ſi aliqua eſſet ratio, ob quam repugnaret, ſenſum videre ſenſibile proprium indiviſibiliter exiſtens, illa eſſet, quam aſſignant contrarii, ſcilicet omnino implicare, ſenſibile proprium indiviſibiliter exiſtẽs videri, quin ſimul videatur ipſe modus indiviſibiliter exiſtendi: ſed falſum omnino eſt, implicare, quod tale ſenſibile videatur, quin & ipſe modus indiviſibiliter exiſtendi ſimul videatur; erg. aſſignata repugnantia eſt nulla. Prob. min. quia quævis ſenſatio, quamtumvis intuitiva ſit, intrinſecè, & eſſentialiter ſolum exigit terminari ad ſenſibile proprium ſingulare præſens, & exiſtens, ut præſens, & exiſtens eſt; quod autem talis præſentialitatis modus, ſive diviſibilis, ſive indiviſibilis ſit, percipiatur, non eſt de intrinſeca, & eſſentiali ratione ſenſationis; etiam prout intuitivæ: erg poteſt ſenſatio terminari ad ſenſibile proprium ſingulare præſens, & exiſtens, prout præſens, & exiſtens eſt, quin terminetur ad modum præſentialitatis illius, ſive diviſibilis, ſive indiviſibilis ſit.

6 Confirm. quia, licet ſenſibile commune, utpotè non ſpecificativum potentiæ, non poſſit illam movere, niſi dependenter à ſenſibili proprio, utpotè potentiæ ſpecificativo; ſenſibile tamen proprium non dependet à ſenſibili communi, ut à ratione formali movendi potentiam ſenſitivam, ſed tantum, ut à conditione naturaliter requiſita ad ſic movendum. Cuius ratio eſt, quia, cum ſpecies impreſſa, per quam ſenſibile proprium movet potentiam

ad

ad ſenſationem, debeat naturaliter produci ab ipſo ſenſibili proprio; neceſſariò in hoc requiritur magnitudo quantitativa, quæ eſt ſenſibile commune, ſine qua non habet localem propinquitatem, quæ eſt requiſita ad producendam talem ſpeciem, ut n.3. dicebamus; ſed Deus, abſoluta eius interveniente potentia, poteſt ſupplere talem dependentiam, producendo ſe ſolo in potentia ſpeciem impreſſam, quam ipſum ſenſibile proprium, ſi exiſteret diviſibiliter, produceret; g. poteſt ſenſus de potentia Dei abſoluta percipere ſenſibile proprium indiviſibiliter exiſtens, quin talis modus indiviſibiliter exiſtendi neceſſariò percipiat.

7 Arg. 1. cognitio intuitiva neceſſariò terminari debet ad rem exiſtentem, ut exiſtentem; ſed in caſu propoſito obiectum ſenſationis eſſet ſenſibile proprium indiviſibiliter exiſtens; g. talis ſenſatio neceſſariò terminaretur ad rem indiviſibiliter exiſtentem, ut taliter exiſtentem; & conſequenter implicat, intuitivè percipi rem indiviſibiliter exiſtētem, quin & modus indiviſibiliter exiſtendi ſimul percipiatur; ſed hic ſic percipi nequit, ut in ſequenti concluſione dicetur; g. &c. Reſp. diſt. mai. cognitio intuitiva debet terminari ad rem exiſtentem, ut exiſtentem, concedo; ut taliter exiſtentem, neg. mai. & conceſſa min. neg. conſeq. Cognitio itaque intuitiva ex ſua formali ratione tantùm exigit terminari ad rem præſentem, & exiſtentem, prout præſentem, & exiſtentem, ita quòd hæc reduplicatio cadat ſupra abſolutam exiſtentiam, & præſentiam, non tamen ſupra talitatem præſentiæ, & exiſtentiæ, ut n. 5. & 6. oſtendebamus. Inſt. g. talis cognitio eſſet abſtractiva, ſiquidem præſcinderet à modo exiſtendi ſui obiecti; ſed cognitio abſtractiva repugnat ſenſibus externis, ut ſup. dicebamus; erg. &c. Reſp. neg. conſeq. nam cognitio abſtractiva non ſolùm præſcindit à tali modo exiſtentiæ, ſed etiam ab ipſa exiſten-

ſtentia; quod non haberet ſenſatio, de qua loquimur, nam licet præſcinderet à tali modo exiſtentiæ, non tamen ab ipſa exiſtentia.

8 Arg. 2. ſubſtantia ſpiritualis nequit percipi à ſenſu; erg. neque ſenſibile proprium indiviſibiliter exiſtens. Patet conſeq. à paritate; nam etiam illa exiſtit indiviſibiliter. Reſp. conceſſo anteced. neg. conſeq. Ratio diſparitatis eſt, quia ſenſibile proprium cùm ſit effectum quantitate & colore, etiamſi indiviſibiliter exiſtat, poteſt terminare ſenſationem, præſcindendo à tali modo indiviſibiliter exiſtendi, ſubſtantia tamen ſpiritualis non ſolum non poteſt videri, eò quod indiviſibiliter exiſtat; ſed etiam & principalius, quia ſecundum propriam entitatem eſt extra ſphæram obiecti ſenſibilis.

9 Dicimus 3. modus indiviſibiliter exiſtendi quem haberet tale ſenſibile proprium, v. g. modus indiviſibiliter exiſtendi, quem habet Chriſtus D. in Euchariſtia, nequit, adhuc de potentia abſoluta, percipi à ſenſu. Prob. nam implicat, quod à ſenſu percipiatur id, quod nullatenus eſt ſenſibile: ſed modus indiviſibiliter exiſtendi nullatenus eſt ſenſibilis; g. implicat, quod percipiatur à ſenſu. Prob. min. quia modus indiviſibiliter exiſtendi ſi ab aliquo ſenſu percipi poſſet, maximè à viſu; ſed ab hoc non, cùm non ſit reſpectu iſtius ſenſibile proprium; non enim eſt color, aut lux, neque ſenſibile commune, cum non contineatur ſub aliquo ex quinque aſſignatis ſup. quæſt. 2. num. 1. g. modus indiviſibiliter exiſtendi nullatenus eſt ſenſibilis; & conſequenter, &c. Hæc concluſ. etiam patet ex dictis pro 2. concl. ex quibus etiam benè intellectis, quælibet argumenta facilè poſſunt diſſolvi.

DISP.

DISP. III.

De ſpeciebus impreſſis ſenſibilibus.

CUm præcedenti in diſput. ſæpè ſæpius dari ſpecies impreſſas, tamquam quid certum ſuppoſuerimus, modo opus eſt inquirere, & explicare exiſtentiam, naturam, & munus talium ſpecierum. Pro quibus ſit.

QUÆSTIO I.

An dentur, aut ſint neceſſariæ, & quid ſint ſpecies impreſſæ ſenſibiles?

1 PRo deciſione quæſt. prænotandum eſt, quod hoc nomen *ſpecies* multifariam uſurpari ſolet: prout tamen ad noſtrum attinet inſtitutum, ſumitur pro quadam ſimilitudine obiecti ab ipſo efficienter producta, & potentiæ, ſeu ſenſui impreſſa; quæ ſimilitudo virtualis communiter appellatur ſpecies impreſſa, eò quod obiectum mediante illa intentionaliter imprimitur in potentia. Huiuſmodi ſpecies impreſſa variis nominibus gaudet apud AA. alii enim illam appellant imaginem obiecti; alii imitationem, alij ſimulacrum, alii denique picturam in tabulis potentiarum exaratam. De hac igitur ſpecie præſens procedit quæſtio.

2 Dicimus 1. ſpecies ſenſibiles impreſſæ ſunt neceſſariæ ad ſenſationes tam internas, quam externas; proindeque neceſſariò tales ſpecies dantur. Sic Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 6. & 7. ubi hoc tamquam certum ſupponit, & communiter hoc idem tuentur omnes AA. contra Nomin. & alios. Prob. ex Ariſt. qui 3. de Anim. cap. 8. inquit; *Atqui neceſſe eſt, aut res*

ipſas, aut formas in anima eſſe. At non ſunt in ea res ipſæ profectò; non enim in ipſe lapis anima, ſed forma (id eſt ſpecies) *lapidis ineſt*. Prob. ratione; nam ſenſus, ſive internus, ſive externus, eſt ex ſe indifferens ad hoc, vel illud objectum percipiendum: g. ut eliciat ſenſationem circa hoc objectum, potius quam circa aliud, neceſſe eſt, quod detur in ſenſu aliquod principium illum determinans ad ſenſationem hujus objecti, potius quam illius: ſed hoc principium eſt ſpecies impreſſa ſenſibilis; g. hæc eſt neceſſaria in ſenſu, & conſequenter neceſſariò datur. Cætera patent, & antec. ſi circa illud poteſt eſſe aliquod dubium, conſtat ex illo Philoſophi axiomate communiter recepto, nempè, quod potentia cognoſcitiva eſt ex ſe, veluti tabula raſa, in qua nihil eſt depictum.

3 Dices: quod ſenſus ſufficienter determinatur ad hoc ut eliciat ſenſationem, per ipſam objecti præſentiam. Hoc tamen falſum eſt: nam ſenſus internus, ut eſt imaginativa, percipit res abſentes: erg. præſentia objecti non eſt id, quod ipſum determinat ad percipiendum potius hoc obiectum, quam illud. Deinde, quia juxta Ariſt. ſup. cit. non ſunt in anima res ipſæ, ſed formæ, ſeu ſpecies illarum: g. ſenſus non determinatur ab ipſis obiectis, ſed à ſenſibilibus ſpeciebus impreſſis eorum. Fatemur ingenuè, quod communis, tam Ariſt. quam aliorum Philoſophorum, auctoritas magis ſuadet talium ſpecierum impreſſarum ſenſibilium neceſſitatem, quam aliqua efficax ratio, ut videri poteſt apud noſt. Ponc. de An. diſp. 2. q. 6. concluſ. 1. per totam.

4 Arg. cont. hanc concl. ſi tales ſpecies impreſſę ſenſibiles eſſent neceſſariæ, ideò eſſet, quia ſunt rationes cognoſcendi obiectum, ſed non ſunt rationes cognoſcendi illud; erg. Prob. quia ratio cognoſcendi aliud debet prius cognoſci, ut apertè patet in imagine alicuius rei: ſed ſpecies

cies impreſſæ ſenſibiles nequeunt præcognoſci; ergo non ſunt rationes cognoſcendi obiectum; conſequenterque, &c. Reſp. neg. min. & ad illius probationem dicimus, dupliciter poſſe aliquid eſſe rationem cognoſcendi aliud. Uno modo ut *quod*, ita ut non ſolum ſit ratio, qua aliud cognoſcitur, ſed etiam ſit ratio, ut cognoſcitur. hoc modo imago Cæſaris v. grat. eſt ratio cognoſcendi ipſum Cæſarem. Alio modo eſt aliquid ratio cognoſcendi aliud, tantum ut *quo*, eo quod ſolum eſt forma, qua actuatur, & determinatur potentia ad eliciendam cognitionem, ſeu ſenſationem; hoc ſecundo modo ſpecies impreſſæ ſenſibiles ſunt rationes cognoſcendi, ſeu ſentiendi obiectum ſenſibile. Ex quo patet argumenti ſolutio.

5 Dicimus 2. ſpecies impreſſæ ſenſibiles non ſunt eiuſdem, ſed prorſus alterius rationis ab obiectis, quorum ſunt ſpecies. Sic Scotus in 2. diſt. 3. quæſt. 9. §. *Ad rationes*, lit. I. Probat. nam ſi tales ſpecies eſſent eiuſdem rationis cum obiectis illarum, quidquid competit earum objectis, & ipſis ſpeciebus conveniret: ſed hoc eſt falſum; quia ſæpè accidit, quod obiecta ſint contraria, ut album, & nigrum; aut impenetrabilia, ut duo corpora quanta; & tamen eorum ſpecies nec ſunt contrariæ, nec impenetrabiles, cum ſimul ſint in eadem parte ſubjecti, ſeu eadem potentia; erg. ſpecies impreſſæ ſenſibiles non ſunt eiusdem rationis cum earum obiectis. Ex quo infertur, quod tales ſpecies non ſunt de prædicamento ſubſtantiæ, nec quantitatis, ſed tantum de prædicamento qualitatis.

6 Dicimus 3. ſpecies impreſſæ ſenſibiles non ſunt formales, ſed tantum virtuales ſuorum obiectorum ſimilitudines. Sic Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 6. §. *Ad rationes alterius opinionis*, lit. M. ubi dicit, quod ſpecies impreſſa tribuitur potentiæ, ut poſſit habere obiectum prius na-

turaliter ſibi præſens, quam illud cognoſcat: ſed ſi ſpecies impreſſa eſſet formalis ſimilitudo, ſeu repræſentatio obiecti, non poſſet eſſe in potentia ante cognitionem obiecti, ſiquidem formalis repræſentatio obiecti eſt ipſamet actualis cognitio illius; erg. &c. Prob. 1. concluſ. ex D. Auguſt. qui 1. de Trinit. cap. 12. aſſerit, ſpeciem impreſſam intelligibilem eſſe veluti ſemen obiecti, ſed ſemen tantum eſt ſimile principio, à quo deciditur, virtualiter; quatenus nempè eſt aliquomodo cauſa effectus, qui eſt formaliter ſimilis principio, à quo deciditur ſemen: erg. ſpecies impreſſa intelligibilis juxta D. Auguſt. non eſt formalis ſimilitudo obiecti, à quo producitur, ſed tantum virtualis, quatenus ſcilicet ſimul cum potentia concurrit ad productionem ſpeciei expreſſæ, ſeu formalis ſenſationis. Advertere tamen opus eſt, hoc verſari diſcrimen inter ſemen, & ſpeciem impreſſam, nempè, quod ſemen ita eſt virtus generantis, ut nullo modo participet, ſive in eſſe entitativo, ſive in eſſe repræſentativo, eſt ipſius geniti, ſed tantum eſt virtus ad producendum illum. Cæterum ſpecies impreſſa taliter eſt virtus ad producendam ſpeciem expreſſam, & intentionaliter exprimendum obiectum, ut habeat in ſe, ſaltim in eſſe repræſentativo, eſſe ipſius obiecti.

7 Prob. 2. concluſ. ratione, ſi ſpecies impreſſæ eſſent formales ſimilitudines, ſeu repræſentationes obiectorum, à quibus cauſantur, neceſſario ſuum effectum formalem communicarent potentiis, quibus ineſſent, ac proinde potentiæ redderentur formaliter cognoſcentes, nequit enim forma eſſe in ſubiecto, quin ſuum effectum formalem ei tribuat: ſed hoc eſt falſum, tum quia jam potentia, poſtquam ſemel comparavit ſpecies impreſſas obiectorum, ſemper eſſet actualiter cognoſcens illa, etiamſi hæc plurima eſſent, cujus oppoſitum

ex-

experientia oſtendit; tum etiam quia ſi talem formalem effectum formaliter tribueret, eſſet omninò ſuperflua productio ſpeciei expreſſæ, ſeu cognitionis formalis: erg. &c. Confirm. quia ſpecies impreſſa pertinet ad actum primum, & conſtituit objectum actu proxime cognoſcibile; ſpecies autem expreſſa ſpectat ad actum ſecundum, & conſtituit objectum actu cognitum, redditque potentiam formaliter cognoſcentem: ſed quod eſt tale in actu primo, dicitur eſſe virtualiter tale: ſicut, quod eſt tale in actu ſecundo, dicitur eſſe formaliter tale: ergo ſpecies impreſſa, quæ ſpectat ad actum primum, tantum eſt virtualis objecti repræſentatio.

8 Pro ſolutione aliquarum auctoritatum Philoſ. & aliarum rationum, quæ contra noſtram concluſ. militare videntur, oportet obſervare, quòd cùm ille 2. de Anim. text. 121. dicit, quòd ſicut impreſſo annulo in cera, manet forma, & effigies annuli ſine tali materia. Ita ſenſibile immittit propriam ſpeciem, quæ eſt ipſius natura, ſine materia; tantùm intendit, quòd effigies, & ſpecies conveniat in hoc, quod eſt eſſe ſimilitudines in repræſentando? non verò intendit, quòd ſint formales ſimilitudines; licet enim hoc conveniat effigiei annuli, non tamen ſpeciei impreſſæ, ut dictum eſt. Deinde, cùm ipſe ibid. text. 62. docet, potentiam per ſpeciem impreſſam fieri ſimilem objecto in eſſe repræſentativo, ſolùm vult, quòd ſic ſimilis fiat virtualiter, & in actu primo, non verò formaliter, & in actu ſecundo.

9 Præterea etiam eſt obſervandum, quòd eſſe virtualis ſimilitudo, ſeu repræſentatio objecti convenit formaliter ſpeciei impreſſæ, eſt enim ex natura ſua formali virtualiter repræſentativa objecti: ex hoc tamen nullatenus infertur eſſe formaliter repræſentativam objecti; quia eſt longè diverſum hoc ab illo,

ut evidenter patet hoc exemplo Solis, qui; quamvis ex natura ſua formali ſit virtualiter calidus; eo quòd entitas, ratione cujus eſt productivus caloris, formaliter convenit illi; non tamen eſt formaliter calidus, quia entitas caloris formaliter non eſt in illo. Sic pariformiter, etſi ſpecies impreſſa ex natura ſua formali ſit virtualiter repræſentativa objecti, eò quòd entitas, ratione cujus convenit ei eſſe partialiter productiva repræſentationis, convenit formaliter illi; non tamen eſt formaliter repræſentativa, quia ipſa repræſentatio, ſeu entitas repræſentationis non eſt formaliter in illa.

QUÆSTIO II.

Quomodo ſpecies impreſſa concurrant cum potentia ſenſitiva ad ſenſationem?

1 Dicimus ad quæſt. ſpecies impreſſa ſenſibilis concurrit cum potentia ad ſenſationem, ſeu perceptionem objecti partialiter efficienter; ita ut ſenſatio, ſeu objecti perceptio à ſola potentia provenire nequeat. Sic Scotus in 1. diſt.3. quæſt.7. §. *Ad quæſt.* Litt. K. & aliis in locis, contra aliquos aſſerentes, ſpecies impreſſas concurrere cum potentiis in genere cauſæ formalis. Quæ concl. (præterquamquod ampliùs conſtabit ex dicendis lib. ſeq. circa ſpecies impreſſas intelligibiles) expreſsè docetur à D. Auguſt. 11. de Trinit. cap.2. his verbis: *Gignitur ex re viſibili viſio, ſed non ex ſola, niſi adſit & videns; quocirca ex viſibili, & vidente gignitur viſio.* Prob. autem modò ratione: ſpecies impreſſæ, juxta Ariſt. cit. qu. præced. n.2. ſunt formæ in anima, ſed id, quod ſe habet per modum formæ in aliquo ordine, ſi ſit activum, influit efficienter in illius operatio-

tionem; g. ſpecies impreſſa efficienter influit in ſenſationem, ſeu perceptionem obiecti. Prob. min. à paritate, eo ipſo quòd forma ignis eſt forma illius, etiam eſt principium efficiens operationum eius; ſed ſpecies impreſſa eſt forma reſpectu potentiæ ſenſitivæ; g. & eſt principium effectivum operationum illius, & conſequenter, &c.

2 Prob. 2. quotieſcumque in aliquo effectu reſplendet duplex formaliter, & utraque non uni tantùm cauſæ, ſed duplici correſpondere poteſt, eſt ſignum evidens, quòd talis effectus, non ab una tantùm cauſa, ſed ab utraque provenit; ſed in viſione coloris v. g. eſt duplex formalitas, nempè vitalitas actus, & repræſentatio coloris, quarum prima ſoli potentiæ viſivæ, & ſecunda ſoli ſpeciei poteſt correſpondere; g. in talem viſionem non ſolùm potentia, ſed & ſpecies impreſſa, efficienter influit: Advertere tamen eſt, quòd hoc non eſt ita intelligendum, ut una formalitas effectus attingatur ab una cauſa, & alia ab altera; ſenſatio enim, cùm ſit una ſimplex phyſicè entitas, indiviſibiliter provenit à potentia, & obiecto, & nulla formalitas poteſt aſſignari in effectu, quæ ab utraque cauſa ſimul non attingatur; nam quamvis ſint cauſæ partiales partialitate cauſæ, ſunt tamen totales totalitate effectus; ſed intelligendum eſt, ita ut illæ formalitates, quæ in effectu reſplendent, arguant diverſas cauſas partialiter ad illius productionem concurrentes.

3 Nec valet ſi huic rationi reſpond. quòd ex duabus cauſis partialibus ad eumdem numero effectum concurrentibus, poteſt quævis aliquid tantùm ipſius effectus producere; cuius exemplum eſt in duobus calidis, quorum unumquodque poteſt aliquem tantùm gradum caloris producere; ſimiliter ergo in noſtro caſu, poterit potẽtia unam tantum formalitatem ſenſationis

attingere, & ſpecies impreſſa alterari. Non quidem valet hoc; licet enim hoc verificari poſſit in cauſis univocis, quæ aliquem effectum diviſibilem producunt; cujuſmodi ſunt illa duo calida in exemplo propoſito; non tamen poteſt eſſe verum in cauſis æquivocis, & præſertim in producentibus effectum entitativè indiviſibilem uti ſunt in noſtro caſu potentia, & ſpecies impreſſa ſenſibilis reſpectu ſenſationis, ſeu perceptionis objecti. Cujus ratio eſt, quia cùm ſenſatio ſit phyſicè indiviſibilis, nequit aliquid ejus ab aliqua cauſa produci, quin tota ſenſatio neceſſariò producatur; vitalitas enim ſenſationis non eſt quid realiter diſtinctum à repræſentatione objecti, ſed eſt eadem realiter entitas: unde reſpectu illius aſſignari nequeunt plures cauſæ partiales partialitate effectus; ſed tantummodò partialitate cauſæ, ut num. præced. dictum manet.

4. Argum. 1. ſpecies impreſſa ponitur in potentia ad determinandam illam, ut eliciat cognitionem hujus objecti verb. gr. potius quàm illius: ergo ſpecies determinat potentiam pro aliquo priori naturæ ante productionem cognitionis, ſeu ſenſationis: ſed pro illo priori ante productionem cognitionis, ſeu ſenſationis nequit illam determinare in genere cauſæ efficientis; efficere enim non poteſt concipi ante effectum: ergo pro illo priori, pro quo ſpecies determinat potentiam, ſolùm exercet munus cauſæ formalis, nempè informando illam, & inhærendo ei. Reſpond. conceſſis anteced. conſeq. & min. ſubſumpta, neg. ſecundam conſeq. Pro illo enim priori, in quo ſpecies impreſſa eſt, aut concipitur in potentia ante actum cognitionis, ſeu ſenſationis, determinat talem potentiam conjungendo ſe illi, ut intimè, & debitè ei approximata, potentia ſimul cum illa cognitionem, ſeu ſenſationem elicere poſſit, ad quam ipſa ſpecies efficienter concurrit;

ſed

ſed pro illo, priori ante cognitionem licet gerat munus cauſæ, formalis, inhærendo potentiæ, tanquam ſubiecto, quatenus ipſa species quoddam accidens, ſeu qualitas eſt, ac proinde non potens naturaliter eſſe ſine ſubiecto; non tamen ſic informat, ſeu inhæret, quatenus eſt ſpecies impreſſa, ſeu virtualis repræſentatio obiecti. Quod, ut amplius innoteſcat.

5 Obſervandum eſt cum Scoto ubi ſup. ſup. lit. M. *Verſ. Reſpondeo*, quod eſt valde accidentale ſpeciei impreſſæ, quatenus eſt ſimul cum intellectu principium intellectionis (idem dicendum eſt de ſpecie ſenſibili, ſuo modo) quod intrinſecè inhærat ſubiecto, & illud perficiat: nam etiamſi illud informet, & perficiat, non tamen per hoc tribuit ipſi intellectui aliquam cauſalitatem pertinentem ad cauſalitatem ipſius intellectus; unde, ſi tales ſpecies poſſent ineſſe intellectui abſque inhærentia per modum formæ, & ſic eſſet ei ſufficienter coniuncta, poſſunt talis intellectus, & talis ſpecies, tamquam duæ cauſæ partiales, efficienter influere in eamdemmet intellectionem, non minus quàm modò, cùm ſpecies informat intellectum, eique inhæret: Hanc doctrinam clariſſimam reddit Doctor ſubt. hoc ſatis apto exemplo; potentia motiva (inquit) in manu poteſt uti cultello, in quantum acutum eſt, ad dividendum aliquod corpus, iſta acuties, ſi eſſet in manu, ut in ſubiecto, poſſet manus uti ea ad eadem operationem, & tamen accidere manui, in quantum, in ea eſt potentia motiva, quod in ea acuties eſſet, & è converſo; quia acuties nullam perfectionem daret manui pertinentem ad potentiam motivam; quod apparet quia æquè perfecta eſt potentia motiva ſine tali acutie, & ita eodem modo utitur ea, quando eſt in alio coniuncto manui, ut cultello, ſicut uteretur ea, ſi eſſet in manu. Hæc Scotus, cuius verba ſolùm tranſcripſimus, quia clariora,

aut efficaciora ad ſuadendum intentum eſſe non poſſunt.

6 Ex quo non licet inferre, quòd ſenſatio, ſeu intellectio non proveniat ab uno per ſe principio, ſed ab aggregato ex principiis agendi diverſis; nam (ut inquit ipſe Scotus ibid. *Verſ. Pro idem*, lit. N.) in unoquoque ordine cauſæ oportet ponere reſpectus unius effectus, unam per ſe cauſam, & unam per ſe rationem cauſandi: quod contingit in præſenti; quia intellectus (idem eſt dicendum de ſenſu) in ſuo ordine cauſalitatis eſt unus, & habet unam rationem formalem cauſandi, & ſpecies, ſeu obiectum, in ſuo ordine eſt una cauſa, & habet unam rationem formalem cauſandi; ſed non oportet, talem cauſam, prout complectitur omnes cauſas partiales, habere unam rationen cauſandi, ſed poteſt habere plures unitas unitate ordinis, quæ unitas adeſt in præſenti, cùm intellectus ſit virtus illimitata, & ſe extendens ad plures effectus, proindeque ſuperior ad virtutem obiecti, ſeu ſpeciei, quæ quidem ſpecies eſt limitata, & determinata ad unũ effectum. Ex quibus patet, quomodo potentia, & ſpecies impreſſa ſint unum per ſe principium cognitionis, ſeu ſenſationis.

7 Arg. 2. actus vitalis debet eſſe à principio vitali; ſed ſpecies impreſſa non eſt vitalis, ut per ſe conſtat; g. nequit eſſe comprincipium effectivum cognitionis, ſeu ſenſationis, quæ eſt actus vitalis. Reſpond. diſt. mai. actus vitalis debet eſſe à principio *quod* vitali, conc. à principio *quo* vitali, neg. mai. & conceſſa min. neg. conſeq. Itaque ad vitalitatem effectus non requiritur, quòd principium *quo* ſicut eſt ſpecies, ſit vitale; ſed ſolùm eſt neceſſarium, quòd totùm principium *quod* conflatum ex potentia, & ſpecie vitale ſit: cùm ergo in noſtro caſu totum principium cognitionis, ſeu ſenſationis, conflatum ex potentia, & ſpecie ſit vitale, habet cognitio, ſeu ſen-

ſenſatio quidquid exigitur ad rationem actus vitalis.

8 Arg. 3. quamvis ad actum amoris neceſſariò præſupponatur cognitio, hæc tamen efficienter non influit in talem amoris actum: g. quamvis ad actum cognitionis, ſeu ſenſationis neceſſariò prærequiratur ſpecies impreſſa, non tamen debet dici, quòd hæc efficienter concurrat ad talem cognitionem, ſeu ſenſationem. Reſpond. neg. conſeq. Ratio diſparitatis eſt, quòd cognitio tantùm ſe habet ut conditio ex parte obiecti ad actum amoris; unde nil mirum, quòd ad talem actum efficienter non concurrat; at ſpecies impreſſa ſe habet ut principium *quo*, reſpectu cognitionis, ſeu ſenſationis, & ſic, quòd efficienter in illam influat, neceſſe eſt. Eò vel maximè, quia formalitas, quæ in effectu reperitur, non correſpondet illi, quod ſe habet tantùm tamquam conditio; & cùm repræſentatio obiecti, quæ reſplendet in cognitione, ſeu ſenſatione, correſpondeat ſpeciei impreſſæ, ut manet ſup. oſtenſum, hinc eſt, quòd hæc non tamquam conditio, ſed tamquam principium, ad illam concurrit.

QUÆSTIO III.

Quænam ſit cauſa ſpecierum ſenſibilium?

1 SUpponendum eſt tamquam certum, quòd ſpecies ſenſibiles educuntur de potentia ſubiecti. Ratio huius eſt, quia totum eſſe ſpecierum eſt quid cauſatum, & productum ab obiecto, ut dicemus infra; ſed non per veram creationem, ſiquidem nullum agens creatum poteſt creare; g. per veram eductionem de potentia ſubiecti. Ad quam nullatenus requiritur aliqua prævia alteratio, aut temporis ſucceſſio, ut patet in lumine.

2 Deinde etiam eſt ſupponendum, quòd præſens.

ſens difficultas non procedit de cauſis materiali, formali, aut finali ſpecierum ſenſibilium à ſenſibus externis (de ſenſibilibus à ſenſu interno agemus poſtea) certum enim omninò eſt, prædictas ſpecies non habere cauſam formalem, ſiquidem ipſæ, ſunt quædam accidentales formæ, quæ per nullas alias formas conſtituuntur. Deinde eſt etiam abſque dubio, quòd finalis illarum cauſa eſt ſenſatio ab ipſis, & potentia producta, cùm tales ſpecies gratia dictæ ſenſationis exiſtant. Dubitari tandem nequit, cauſam materialem illarum eſſe ſubiectum, cui inhærent, & de cuius potentia fuerunt eductæ; quod ſubiectum eſt tota illa potentia organica ſenſitiva, quæ ex parte organica corporis & ſenſitiva animæ facultate per ſe coaleſcit. Reſtat ergo controvertenda tantùm difficultas circa efficientem talium ſpecierum cauſam. Pro qua.

3 Dicimus ad quæſt. ſpecies impreſſæ ſenſibiles ſenſuum externorum tantùm producuntur ab objectis, quæ mediis illis percipiuntur, tamquam à cauſis æquivocis. Sic Scotus in 2. diſt. 13. quæſt. unica, §. *Quantum ad tertium. Verſ. Dico tunc*, lit. E. Prob. concl. 1. ex Ariſt. qui cap. 5. lib. 2. de An. docet, ſenſum pati, & reduci ad actum ſentiendi per obiectum: ſed hoc non præſtat obiectum in genere cauſæ formalis, aut per ſe ipſum immediatè: ergo per ſpeciem efficienter ab illo productam. Prob. 2. ratione; nam ideò colligimus, quòd calor v. g. efficienter provenit ab igne, ſeu ab eius calore; quia illo debitè applicato ponitur calor, & eo ablato, calor ſtatim deſinit eſſe; ſed obiecto debitè applicato potentiæ ſenſitivæ, ſtatim ponitur ſpecies in potentia; & illo ablato, ſtatim ſpecies deſinit eſſe; g. ideo eſt quia ſpecies impreſſæ ſenſibiles proveniunt efficienter ab obiecto. Quòd autem proveniant ab illo, ut à cauſa æquivoca, patet ex eo quòd tales ſpecies ſunt diverſæ rationis,

ac objecta à quibus proveniunt, ut dictum eſt quæſt. 1. num. 5.

4 Ex quo deducitur, ſpecies ſenſibiles eſſe minus perfectas, quàm objecta, à quibus producuntur; cauſa enim æquivoca eſt perfectior ſuo effectu. Nec obſtat, quòd Ariſt. ſpecies impreſſas appellet *formas ſine materia*; quia non ſic eas appellat, eo quòd judicet, illas eſſe entia ſpiritualia; alioquin ſibi concors non eſſet, dum aſſerit, ipſas in fieri, & conſervari dependere ab objectis ſenſibilibus, & educi ex potentia ſubjectorum materialium, cuiuſmodi ſunt potentiæ ſenſitivæ: quæ dependentia, aut eductio enti ſpirituali convenire nequit: tantùm ergo ibi Ariſt. intendit, quòd tales ſpecies habent eſſe valdè diminutum, ac ordinis imperfectioris, utpotè quid intentionale, quam eſſe materiale, quod habent obiecta, quæ mediis ipſis ſentiuntur.

5 Hic obſervare oportet, nos in præiacta concl. nullatenus negare, quòd una ſpecies impreſſa poſſit cauſari ab illa; nam hoc benè poteſt evenire, cùm aliqua ſpecies videri poteſt: quod igitur negamus eſt, aliquam ſpeciem externam, per quam aliquod obiectum ſentur, ſive hoc ſit ſpecies, ſive non, ab alio produci, quàm ab obiecto, quod per eam ſentitur; unde ſi in aliquo ſpeculo videatur ſpecies, & non obiectum principale, talis ſpecies, per quam potentia viſiva percipit alteram ſpeciem in ſpeculo producitur ab hac ſpecie viſa, tanquam à cauſa totali: ſi autem non videatur ſpecies, ſed principale obiectum, tunc illa ſpecies, per quam percipitur obiectum, producitur ab ipſo obiecto, & non ab ſpecie, quæ in ſpeculo reſplendet.

6 Dub. an tales ſpecies ſenſibiles dependeant in conſervari ab obiectis? Reſp. affirmativè. Ratio pro hac reſolutione eſt experientia ipſa, ex qua conſtat, quòd ſtatim, ac aufertur, ſeu abeſt obiectum, non amplius ſentitur, aut videtur: g. ſignum evidens eſt, quòd ſpecies, à quibus

ſimul

ſens difficultas non procedit de cauſis materiali, formali, aut finali ſpecierum ſenſibilium à ſenſibus externis (de ſenſibilibus à ſenſu interno agemus poſtea) certum enim omninò eſt, prædictas ſpecies non habere cauſam formalem, ſiquidem ipſæ, ſunt quædam accidentales formæ, quæ per nullas alias formas conſtituuntur. Deinde eſt etiam abſque dubio, quòd finalis illarum cauſa eſt ſenſatio ab ipſis, & potentia producta, cùm tales ſpecies gratia dictæ ſenſationis exiſtant. Dubitari tandem nequit, cauſam materialem illarum eſſe ſubiectum, cui inhærent, & de cuius potentia fuerunt eductæ; quod ſubiectum eſt tota illa potentia organica ſenſitiva, quæ ex parte organica corporis & ſenſitiva animæ facultate per ſe coaleſcit. Reſtat ergo controvertenda tantùm difficultas circa efficientem talium ſpecierum cauſam. Pro qua.

3 Dicimus ad quæſt. ſpecies impreſſæ ſenſibiles ſenſuum externorum tantùm producuntur ab obiectis, quæ mediis illis percipiuntur, tamquam à cauſis æquivocis. Sic Scotus in 2. diſt. 13. quæſt. unica, §. *Quantum ad tertium. Verſ. Dico tunc*, lit. E. Prob. concl. 1. ex Ariſt. qui cap. 5. lib. 2. de An. docet, ſenſum pati, & reduci ad actum ſentiendi per obiectum: ſed hoc non præſtat obiectum in genere cauſæ formalis, aut per ſe ipſum immediatè: ergo per ſpeciem efficienter ab illo productam. Prob. 2. ratione; nam ideò colligimus, quòd calor v. g. efficienter provenit ab igne, ſeu ab eius calore; quia illo debitè applicato ponitur calor, & eo ablato, calor ſtatim deſinit eſſe; ſed obiecto debitè applicato potentiæ ſenſitivæ, ſtatim ponitur ſpecies in potentia; & illo ablato, ſtatim ſpecies deſinit eſſe; ergo ideo eſt quia ſpecies impreſſæ ſenſibiles proveniunt efficienter ab obiecto. Quòd autem proveniant ab illo, ut à cauſa æquivoca, patet ex eo quòd tales ſpecies ſunt diverſæ rationis,

ac objecta à quibus proveniunt, ut dictum eſt quæſt. 1. num. 5.

4. Ex quo deducitur, ſpecies ſenſibiles eſſe minus perfectas, quàm objecta, à quibus producuntur; cauſa enim æquivoca eſt perfectior ſuo effectu. Nec obſtat, quòd Ariſt. ſpecies impreſſas appellet *formas ſine materia*; quia non ſic eas appellat, eo quòd judicet, illas eſſe entia ſpiritualia; alioquin ſibi concors non eſſet, dum aſſerit, ipſas in fieri, & conſervari dependere ab objectis ſenſibilibus, & educi ex potentia ſubjectorum materialium, cuiuſmodi ſunt potentiæ ſenſitivæ: quæ dependentia, aut eductio enti ſpirituali convenire nequit: tantùm ergo ibi Ariſt. intendit, quòd tales ſpecies habent eſſe valdè diminutum, ac ordinis imperfectioris, utpotè quid intentionale, quam eſſe materiale, quod habent obiecta, quæ mediis ipſis ſentiuntur.

5. Hic obſervare oportet, nos in præiacta concl. nullatenus negare, quòd una ſpecies impreſſa poſſit cauſari ab illa; nam hoc benè poteſt evenire, cùm aliqua ſpecies videri poteſt: quod igitur negamus eſt, aliquam ſpeciem externam, per quam aliquod obiectum ſentur, ſive hoc ſit ſpecies, ſivè non, ab alio produci, quàm ab obiecto, quod per eam ſentitur; unde ſi in aliquo ſpeculo videatur ſpecies, & non obiectum principale, talis ſpecies, per quam potentia viſiva percipit alteram ſpeciem in ſpeculo producitur ab hac ſpecie viſa, tanquam à cauſa totali: ſi autem non videatur ſpecies, ſed principale obiectum, tunc illa ſpecies, per quam percipitur obiectum, producitur ab ipſo obiecto, & non ab ſpecie, quæ in ſpeculo reſplendet.

6. Dub. an tales ſpecies ſenſibiles dependeant in conſervari ab obiectis? Reſp. affirmativè. Ratio pro hac reſolutione eſt experientia ipſa, ex qua conſtat, quòd ſtatim, ac aufertur, ſeu abeſt obiectum, non amplius ſentitur, aut videtur: g. ſignum evidens eſt, quòd ſpecies, à quibus

ſimul cum potentia elicitur ſenſatio, ſeu viſio, ab obiectis in conſervari dependent. Et confirm. exemplo luminis, quod dependere in conſervari à corpore luminoſo, dubitari rationabiliter nequit: ſed lumen eſt ſpecies impreſſa, ut tenet Scotus num. 3. alleg. & nos diſp. ſeq. dicemus: g. &c. Eſt tamen advertendum, nos in hac reſolutione loqui, attenta tantùm potentia ordinaria; quia de potentia abſoluta poſſe tales ſpecies à Deo conſervari in potentia, adhuc abſente obiecto, nullatenus dubitamus; ſiquidem ſolùm in genere cauſæ efficientis ab obiecto dependent. An autem in tali caſu eliceretur ſenſatio, vel non? Videantur quæ diſp. 2. quæſt. 3. n. 5. manent dicta.

7 Arg. 1. cont. dub. reſolut. aliquibus experimentis. Primum eſt, cùm quis firmo obtutu Solem aſpexit, poſtea, quamvis oculos claudat, vel verſus aliam partem vertat, adhuc pro aliquo tempore, licet imperfectè, ipſum Solem intuetur. 2. eſt, cùm aliquis aliquem intenſum colorem, v. g. albedinem, pro aliquo tempore firmiter inſpexit, dum poſtea oculos verſus alia obiecta convertit, apparent hæc veluti tali colore affecta; ſed huius non videtur alia cauſa aſſignabilis, niſi quod pro aliquo ſpatio remanent præcedentes ſpecies in oculis; g. &c. Reſp. illas ſenſationes, ſeu apparentias non fieri in ſenſu externo; ſed ob vehementiam ſenſibilium relinqui tantam impreſſionem, adeòque firmam imaginationem in ſenſu interno, ut obiectum, quod tantùm interius imaginamur, exterius intueri nobis videatur. Hoc explicari poteſt exemplo dormientium, & delirantium, quibus propter vehementiam apprehenſionis, quæ tantùm internè ſentiunt, videntur, quaſi exterius conſpecta.

8 Arg. 2. ſpecies ſenſibiles ſunt inſenſibiles, & remiſſibiles gradualiter, ut dicemus quæſt. ſeq. g. adhuc amoto obiecto; poterunt manere

in

in potentia ſecundum aliquos gradus, & ſenſus poterit uti eis continuando ſenſationem, etſi non ita perfectam, ſicut cum aderat obiectum. Neque ad hoc obſtat, quod tales ſpecies non habeant contrarium, & ita in inſtanti ſecundum totam ſuam entitatem producuntur, & etiam ſic in inſtanti deſinunt eſſe. Non enim obſtat hoc; quia nec impulſus ſagittæ v. grat. à proiiciente impreſſus habet contrarium, & nihilominus non deſineret eſſe ſecundum totam ſuam intenſionem, adhuc deficiente illo, qui eam projecit, ſed paulatim, & ſucceſſivè deſinit eſſe talis impulſus; g. idem dicendum eſt de ſpeciebus ſenſibilibus. Reſp. neg. conſeq. & ad id, quod ſubditur dicimus, rationem, ob quam ſpecies impreſſæ deſinunt eſſe in potentia, quando obiectum abeſt, non eſse ibi aſſignatam; ſed quia talis eſt natura, & conditio harum ſpecierum, ut quantumvis fuerint intenſæ, & in inſtanti deſinant eſse, cum obiectum abeſt; non autem ſic evenit in impulſu; nam cum hic ſit quædam virtus motiva inſtrumentalis in re projecta à proiiciente impreſsa, ut in huius abſentia, vel diſtantia talis res projecta localiter moveatur, ſuapte natura exigit per aliquod, licet breve, temporis ſpatium durare, adhuc in abſentia, vel diſtantia projicientis.

QUÆSTIO IV.

An ſpecies ſenſibiles aliqua gaudeant extenſione, aut intenſione?

1 PRænotandum eſt, quod ſpecies ſenſibiles, cum ſint materiales, & de ſubiecto materiali, ac extenſo educantur illique inhæreant; neceſsario ſunt diviſibiles ſubiectivè, ut patet in aliis accidentibus materialibus, quæ ad diviſionem ſubiecti dividuntur; quare cum in hoc nullum ſit dubium, difficultas in hoc ſenſu

ſu non procedit. Alia eſt aſſignabilis diviſibilitas, vel indiviſibilitas in ſpeciebus, quæ dicitur obiectiva, & in repræſentando. Illa ſpecies dicitur ſic indiviſibilis, quæ ita repræſentat obiectum, ut tota illa repræſentet totum obiectum, & quælibet illius pars etiam totum obiectum, & quamlibet huius partem repræſentet; quæ ſpecies neceſſario producetur indiviſibiliter ab obiecto, ita ut totum obiectum efficiat totam ſpeciem, & quælibet illius pars producat ſpeciem, non ſolum ſui, ſed totius obiecti, & omnium aliorum partium repræſentativam. Illa autem ſpecies vocatur modo explicato diviſibilis, quæ ita repræſentat obiectum, ut tota repræſentet totum, & pars ſpeciei partem obiecti; quam ſpeciem diviſibiliter producit obiectum, nempe totum obiectum totam ſpeciem, & determinata pars obiecti determinatam partem ſpeciei producit. Quo prænotato.

2 Dicimus 1. ſpecies impreſſæ ſenſibiles ſunt obiectivè diviſibiles, & extenſæ tanta diviſibilitate, ac extenſione, quanta gaudet obiectum, à quo producuntur; ac proinde diviſibiliter producuntur ab illo, in ſecundo ſenſu ex explicatis num. antec. Prob. hæc concluſ. nam ſpecies impreſſa eſt repræſentativa ſolum obiecti, à quo procedit: g. ſi obiectum eſt diviſibile, & extenſum, ipſa etiam ſpecies erit diviſibilis, & extenſa in repræſentando illud. Patet anteced. ex dictis in præcedentibus; conſequentia autem prob. & ſimul declaratur concluſio, nam quælibet pars obiecti eſt cauſa adæquatè productiva ſpeciei impreſſæ, quæ talem partem repræſentat; g. ſuperfluè; tam in obiecto ad ſpeciei productionem, quam in ſpecie ad obiecti repræſentationem, ponitur ſimultaneus influxus alterius partis obiecti, aut ſpeciei. Conſeq. conſtat ex repugnantia duplicis cauſæ totalis

reſpectu eiuſdem effectus. Prob. anteced. experientia, ex qua conſtat, quod quando intuemur aliquod obiectum extenſum, ſi aliqua iſtius pars abſcondatur, licet in oculo deſinat eſſe illa ſpecies impreſſa, quam emittebat talis obiecti pars, quæ abſcondita eſt; manet tamen integra illa ſpecies impreſſa, quam emittebat illa pars obiecti, quæ abſcondita non eſt; ergo ideo eſt, quia quævis pars obiecti eſt cauſa adæquata illius ſpeciei impreſſæ, quæ ipſam obiecti partem repræſentat.

3 Nec valet dicere, quod quævis pars totius obiecti debet producere ſpeciem repræſentativam ſui, & aliarum partium, eò quod non ipſa ſola operatur, ſed ſimul cum omnibus aliis partibus cooperatur; ideoque omnes concurrere debent ad productionem unius ſpeciei omnibus communis. Hoc quidem non valet; nam eſt omninò inintelligibile quomodo ex iſta cooperatione una pars poſſit acquirere virtutem ad producendam ſpeciem alterius partis repræſentativam, quam quidem ſpeciem producere non poſſet, ſi talis obiecti pars eſſet ſola; ſed per prædictam cooperationem talis pars non acquirit intrinſecè novam virtutem, ſed eamdem omninò, ac antea, retinet; erg. &c. Prob. min. quia cooperatio nihil aliud importat, niſi partiales operationes duarum partium, ita inter ſe diſtinctas, ut una non ſit alia, ſed omnes unam integrent totalem operationem, ut per ſe patet; ſed hoc ipſo, id quod producitur ab una parte, non producitur ab alia, ſed quævis ſuum terminum diſtinctum à termino producto ab alia, producit, ut patet in duabus cauſis partialibus non eſſentialiter ordinatis ad producendum effectum phyſicè indiviſibilem, ſed potius diviſibilem integraliter, quarum altera in productione ab altera non dependet.

4 Arg. 1. corpus lumiñoſum ita producit lumen.

men in medio, ut omnes partes luminoſæ conjungantur ad illuminandum per modum unius agentis: unde totum lumen productum, & quævis eius pars dependet à toto luminoſo, & à qualibet eius parte. Idem contingit in igne v. grat. cuius omnes partes per modum unius cauſant calorem indiviſibiliter: ſed lumen, ut dicemus in diſput. ſequenti, eſt ſpecies lucis: ergo ſpecies eſt indiviſibilis, & inextenſa. Confirmatur; nam experimur, quod plura exigua corpora; adhuc ſingula, ſimul coniuncta videntur, quæ ſi eſſent ſeparata, non viderentur, ut v.g. plura grana tritici: ſed huius nulla alia eſt excogitabilis ratio, niſi quod cum ſunt conjuncta, mutuò ſe juvant ad productionem ſpeciei, & per modum unius agentis indiviſibiliter operantis: g. &c. Confirm. 2. nam videtur impoſſibile, quod in re tam exigua, uti eſt pupilla oculi, & quodlibet punctum medii, ſint tot partes ſpeciei, quot ſunt in obiecto magnæ molis, nempè excelſo monte, & toto cœlo; g. ne hoc dicamus, tenendum eſt, ſpeciem impreſſam indiviſibiliter pruduci ab obiecto ſenſibili.

5 Reſp. ad arg. neg. maj. quia lumen eſt ſpecies lucis, ut in loco ibi citato dicetur, unde diviſibiliter producitur a luminoſo extenſo. Ad illud de igne (& idem eſt de aliis agentibus naturalibus) negatur paritas. Ratio diſparitatis eſt, quia effectus ignis, & alii ſimiles ſolum habent rationem effectus, atque ideò in quavis cauſa eiuſdem rationis virtualiter continentur: unde eorum productio poteſt attribui toti cauſæ, & cuilibet parti cauſæ; ſpecies autem nedum habet rationem effectus, verum etiam imaginis, & cùm imago non ſolum determinetur ad cauſam in ſpecie, ſed etiam in individuo; debet enim repræſentare ſuum obiectum cum omnibus conditionibus individuantibus, & ſenſibilibus, ideò talis ſpecies non continetur

tur

tur virtualiter, niſi in tali determinato individuo; quare ſpecies repræſentans unam partem obiecti in hac ſolum virtualiter continetur, & iſtam tantum poteſt repræſentare; unde illius productio, non cuiuslibet obiecti parti, ſed uni determinatæ, attribui poteſt.

6 Ad 1. confirm. reſp. quod illa multiplicatio exiguorum corporum, v. g. granorum tritici tantum ſe habet, tamquam conditio neceſſaria cuilibet ex illis, ut propriam ſpeciem emittat longiùs, quam emitteret ipſum ſolum: undequod coniuncta videantur, quæ ſi eſſent ſeparata, non poſſent videri, nullatenus provenit ex eo, quod omnia mutuo ſe adiuvent, & ut unica cauſa concurrant ad unius indiviſibilis ſpeciei productionem; ſed ex eo, quod talis coniunctio ſe habet ut conditio ad hoc, quod ſingula videri poſſunt. Ad 2 confirm. neg. antec. quia ſpecies impreſſæ, cum ſint quid intentionale, non afficiuntur quantitate molis, & ſic ad invicem penetrantur, ut patet in ſenſibus internis: unde nil mirum, quod plures ſpecies in oculi pupilla, etſi valde exigua ſit, ſimul concurrant.

7 Arg. 2. obiectum, etſi magnæ molis ſit, conſpicitur totum ex quolibet puncto medii: ut ex ipſa experientia conſtat: ſed hoc non videtur intelligibile, ſi aſſeratur, ſpeciem impreſſam repræſentare obiectum modo diviſibili ſup. explicato; tum quia percipi nequit, quomodo partes repræſentativæ obiecti ingentis magnitudinis in tam exigua ſpecie coadunari poſſunt; tum etiam quia iſte modus repræſentandi eſſet valde confuſus; g. ſpecies non repręſentaret obiectum modo diviſibili. Pro hujus argumenti ſolutione opus eſt prænotare, quod extenſio ſubiectiva, & extenſio obiectiva ſpeciei impreſſæ; ſi ad invicem comparentur, ſe habent ad modum, quo in albedine v. g. ſe habent latitudo extenſiva, & latitudo intenſiva: quare

re

re ſicut latitudo intēſiva albedinis reperitur tota in tota ipſius albedinis extenſione, & tota in quavis illius parte, ſic etiam virtualis repræſentatio totius obiecti, & partium illius, reperitur tota in tota extenſione ſubiectiva ſpeciei impreſſæ, & tota in qualibet parte talis extenſionis: unde tota extenſio obiectiva ſpeciei reperitur in tota extenſione ſubiectiva illius, & tota in qualibet iſtius parte. Hoc notato, reſp. neg. min. argumenti, & ad rationes pro illa, dicimus, quod ſicut benè intelligitur intenſionem qualitatis, quæ reperitur in tota extenſione illius, licet hæc maxima ſit, reperiri, & abſque ulla confuſione, in quavis parte talis extenſionis; ita etiam benè intelligitur, quod tota extenſio obiectiva ſpeciei reperiatur in tota extenſione ſubiectiva illius, & in quavis parte iſtius extenſionis, modo præexplicato.

8 Dicimus 2. ſpecies ſenſibiles ſunt etiam diviſibiles intenſivè, iuxta proportionem ad obiecta, quorum ſunt ſpecies; unde albedo v. g. intenſa ut quatuor producit ſpeciem ipſius repræſentativam intenſam ut quatuor, taliter, quod ſi illa albedo intendatur, etiam intendatur talis ſpecies. Hæc concl. ſicut & præcedens, eſt communis Scotiſtarum aſſenſus. Prob. ex ipſa experientia, quia potentia, v. gr. viſus, percipit intenſionem, & remiſſionem obiecti, v. gr. albi; ergo habet ſpeciem intenſam, vel remiſſam, proportionaliter ad obiectum. Prob. conſequ. nam extenſio in obiecto facit diviſionem extenſivam in ſpecie; ergo intenſio obiecti facit etiam diviſionem intenſivam in ſpecie. Hoc ipſum poteſt confirmari ex dictis pro concl. præcedenti. Notarii tamen debet, quod obiectum non ſolum cauſat ſpeciem ſecundum intenſionem proportionatam propriæ ipſius obiecti entitati, ſed etiam illam producit uniformiter difformiter; quia agens naturale fortius agit in propinquum, quam in remotum: unde

per-

perfectius videtur, ſeu percipitur obiectum propinquum, quam diſtans.

QUÆSTIO V.

Utrùm ſenſibili poſito ſupra ſenſum, poſſit fieri ſenſatio?

1 Cum Ariſtot. 2. de An. text. 15. doceat, quod ſenſibile poſitum ſupra ſenſum impedit ſenſationem; meritò hic præpoſita apponitur difficultas, in qua inquiritur, an dictum Philoſoph. intelligendum ſit de omnibus ſenſibus, an tantùm de aliquo, vel de aliquibus in ſpeciali? Aliqui AA. tam Scotiſtæ, quam Jeſuitæ, aſſerunt, debere tantum intelligi de aliquo, vel de aliquibus ſenſibus determinatè, non autem indifferenter de omnibus. Pro noſtra verò ſententia.

2 Dicimus ad quæſtionem: ſi ſenſibile ponatur immediatè ſupra ſenſum, nullatenus fit ſenſatio: unde neceſſariò requiritur, quod inter ſenſum, & obiectum ſenſibile intercedat aliquod medium, vel internum, vel externum, nempe, vel quod ſit pars ipſius ſentientis conjuncta organo ſenſorio, vel quod ſit corpus diſtinctum, & ipſi ſentienti conjunctum. Sic quamplures Scotiſtæ, & ferè omnes Thomiſtæ. Prob. 1. concl. ex Ariſt. qui 2. de An. cap. 7. text. 75. hæc habet verba; *Eadem autem eſt de odore, & ſono etiam ratio. Nihil enim illorum ſenſus inſtrumentum tangens, efficit ſenſum. Sed ab odore quidem, & ſono movetur medium: ab hoc autem utrumque ſenſuum inſtrumentum. Quod ſi quiſquam ſuper ipſum inſtrumentum ſenſus, vel id, quod ſonat, vel id, quod olet, poſuerit, nullus profectò ſenſus efficietur. Simili etiam modo ſe habet res in tactu & guſtu, &c.* g. præjacta concl. eſt expreſſa mens Ariſt.

2 Prob. 2. ratione; nam, ut in hac diſp. q. 1. num.

num. 2. dicebamus, potentiæ ſenſitivæ indigent ſpeciebus impreſſis, ut ſua obiecta percipiant; ſed ex hoc colligitur, neceſſe eſſe, quod aliquod medium intercedat inter potentiam ſenſitivam, & obiectum, ut hoc ab illa ſentiatur, ſeu percipiatur; g. neceſſariò admittendum eſt tale medium. Prob. min. quia, ſi potentia ſenſitiva tali medio non indigeret, ſed obiectum immediatè ipſi coniunctum percipere poſſet, omninò fruſtra poneretur prædicta ſpecies; ſi enim obiectum intimè illi unitum ab ea percipi poſſet, ut in ſe eſt; ad quid requiritur ſpecies impreſſa? Ad nihil ſanè, cùm ponatur ad hoc, ut ſuppleat vices obiecti diſtantis, ſeu abſentis, quod immediatè ſe ipſo eſſe præſens ſenſui nequit; g. vel ſpecies impreſſa non eſt neceſſaria ſenſui ad ſui obiecti perceptionem; quod in loco ſup. alleg. impugnatum manet, & eſt contra uniformem Philoſophorum conſenſum; vel ſenſus non poteſt percipere obiectum ſibi intimè unitum, quod eſt noſtræ concl. aſſertum.

3 Confirmat. nam ſi ſenſus percipere poſſet obiectum ſibi immediatè appoſitum, non eſſet aliqua ratio, quare de facto id ſic non eveniret; ſed hoc de facto ſic non evenit; g. ideò eſt, quia illud percipere non poteſt. Prob. min. ex ipſa experientia, ex qua conſtat, quòd neque oculus immediatè percipit ſuam pupillam, neque tactus primas qualitates ſibi immediatè propinquas; neque guſtus proximos ſuæ carnis ſapores, neque aliquos alios, niſi horum ſpecies à ſaliva deferantur; neque auditus, niſi motionem aëris interiecti; neque denique odoratus odores ſibi immediatè inexiſtentes; g. ſenſus de facto non percipit obiectum ſibi intimè unitum & conſequenter, &c.

4 Arg. contra hanc concl. ex aliquibus experimentis circa ſingulos ſenſus; in viſu enim experimur, quòd niſi uſque ad illum perveniat,

niat, ſeu continuentur lumen, non percipitur ab eo objectum. Deinde auditus, cùm digito v. g. premitur auricula, ſentit aliquod murmur: ſed hoc, ut patet, eſt immediatè ſupra ipſum ſenſum: g. item in guſtu, nam cùm aliquid dulce, aut amarum ponitur immediatè ſuper ipſam linguam ſentitur dulcedo, aut amaritudo. Præterea in odoratu; hunc enim penetrat fragrantia odoris ſibi immediatè appoſiti, non ſolùm uſque ad narium membranas, ſed & uſque ad ipſum cerebrum, ita ut immediatè percipiatur. Denique in tactu, qui ſenſus, ſive caro ſit, ſive nervus, ſi aliquo inſtrumento pungatur immediatè ſentit dolorem: g. omnes ſenſus percipiunt objectum immediatè ipſis appoſitum.

5 Reſp. hæc experimenta non obſtare noſtræ concl. Ad 1. dicimus, quòd etſi verum ſit, illam luminis continuationem uſque ad oculum requiri; illud tamen non videtur quatenus eſt oculis immediatum, ſed quatenus eſt in medio aut in objecto aliquantulum diſtante. Ad 2. quòd auditus nullatenus percipit ſonum aliquem intra ſe immediatè factum, ſed factum in aliquibus cavitatibus auriculæ, juxta ipſum ſenſum. Ad 3. concedimus, quòd major propinquitas objecti ſenſibilis requiritur, ut guſtus ſuum percipiat objectum, quam ut aliqui alii ſenſus ſua ſentiant objecta, quia eſt craſſior illis; numquam tamen percipit objectum ſibi immediatè conjunctum, ſed indiget aliquo medio, quod reſpectu hujus ſenſus eſt caro in lingua, ſicut in tactu caro in toto corpore: unde, licet appareat, aliquid immediatè unitum guſtui, vel tactui immediatè ab eo percipi ſic non eſt, ſed aliquod medium intercedit inter illud aliquid, & ipſos ſenſus, propter rationes ſup. allatas. Ad 4. dicimus, odoratum non percipere, ſeu ſentire illam particulam aromatis, ſeu odoris, quæ immediatè conjuncta eſt ipſi ſenſui,

ſed aliam propinquam tali particulæ. Ad 5. reſp. eodem modo, quo ad 3. reſponſum eſt. Quæ omnia ampliùs pateſcent ex dicendis pro ſingulis ſenſibus in ſequenti diſputatione.

D I S P. IV.

De ſenſibus externis in particulari.

INveſtigavimus hactenus ea, quæ communia ſunt quinque ſenſibus externis, modò de illis in ſpeciali conſideratis curſim, & breviter ſequitur agendum; ſed 1. de viſu, qui inter ſenſus externos primum obtinet locum, eo quòd ejus ſtructura mirabilior, ejuſque operatio ſubtilior eſt, quàm ſtructura, & operatio aliorum ſenſuum. Pro illo ergo ſit

Q U Æ S T I O I.

Quodnam ſit ſubiectum, ſeu organum potentiæ viſivæ?

1 PRo quæſt. intelligentia prænotandum eſt cum Galeno, & communi Medicorum conſenſu, oculorum ſtructuram conflari ex tribus humoribus, quinque tunicis, & ſeptem muſculis. Primus humor exiſtens in centro oculi (qui figuram orbicularem habet, inſtar parvi ovi) vocatur cryſtallinus, ſeu glatialis, eo quòd valdè ſimilis eſt grandini, ſeu cryſtallo. Qui humor eſt aliquantulum durus, habetque figuram quaſi lenticulæ. Hunc humorem circumdat quædam tunica valdè tenuis, quæ ideò ſpecularis, & aranea communiter appellatur, quia eximia tranſparentia, & ſubtilitate gaudet: ex qua tunica, & prædicto humore cryſtallino pupilla oculi coaleſcit. Deinde talis humor illa tunica coopertus habet ſibi adjunctum alium humorem, qui vocatur vitreus, in quo ita eſt

eſt immerſus humor cryſtallinus, ut aliqua eius pars ſupereemineat, ad modum quo globus ligneus in aquam immiſſus eminet ſuper illam. Quem humorem vitreum circumdat ſecunda tunica, quæ dicitur reticularis, eo quod ad modum retis eſt contexta pluribus venulis, & arteriis.

2 Poſt iſtam tunicam eſt alia, quæ vocatur uvea ob imitationem, quam in folliculo habet cum colore uvæ. Hæc tunica non eſt omninò diaphana, ſed aliquo colore affecta, & ideò non circumdat ex omni parte pupillam, ne impediatur viſio, quæ eſſe ſolet diverſi coloris; unde oculi nigri, cerulei, vel virides ſunt. Poſt hanc ſequitur alius humor, qui aqueus, ſeu albugineus nuncupatur, à quo humectatur pupilla; ne ab intrinſeco exſiccata, deficiat debitum organi temperamentum. Quem humorem ſequitur alia tunica, quæ vocatur cornea, eo quod eſt inſtar laminæ corneæ, eſtque tota ſplendida, & diaphana, quæ totum oculum ambit. Poſtea eſt ultima tunica, quæ dicitur adnata, ſeu adhærens, quia totum oculum fovet, & firmat, & ipſum in propria ſede continet affixum capiti. Præterea oculus eſt quaſi pendens, & ligatus ſeptem muſculis, ſeu funiculis facilè movibilibus, quibus oculus verſus omnem partem circum movetur.

3 Præter præiacta, ſunt etiem interius duo nervi, qui optici, ſeu viſorii communiter nuncupantur. Hi à cerebro in oculos tendunt, & ut ſpiritus animales ſenſationibus deſervientes in oculos tranſeant, & ut per illos ab oculis ſpecies ſenſibiles ſenſui communi miniſtrentur. Prædicti nervi cùm aliquantulum à cerebro diſtent, unus verſus partem dextram, & alius verſus ſiniſtram, poſtea coniunguntur, & ſtatim rurſus ad invicem diſcedunt, & ſeorſim in oculos tendunt; ex quo provenit, quod percuſſo, & perturbato cerebro, oculi vehementer læduntur, &

ideò ebrii, aut omninò non vident, aut res conſpiciunt multiplicatas, aut illas exiſtimant circumvolui, eo quòd nimio vini calore confuse, & celeriter plures excitantur ſpiritus, quibus oculi offuſcantur. His prænotatis, inquirimus in præſenti, quodnam ex prædictis ſit organum, & ſenſorium potentiæ viſivæ? Pro qua

4. Dicimus ad quæſt. potentiæ viſivæ organum, ſeu ſubjectum eſt ipſa oculi pupilla, quæ ut dictum eſt, ex humore cryſtallino, & tunica aranea coaleſcit. Sic Ariſt. 1. de Gen. Anim. c. 9. & lib. de ſenſu, & ſenſ. c. 1. & communiter Phil. contra aliquos aſſerentes, potentiam viſivam eſſe in duobus nervis opticis. Prob. concl. ratione congruentiæ: nam in prædicta oculi pupilla concurrunt omnes conditiones, quæ ad organum viſus requiri poſſunt, eſt enim pars oculi magis ſplendida, perſpicua, & diaphana; habetque à tergo alium humorem opacum, ſed tunicam ad modum quo ſpeculum habet quoddam bitumen ſtagneum, ſeu plumbeum, ut fieri poſſit ſpecierum impreſſio; eſt etiam in centro oculi collocata, taliter ut omnes oculi partes ſint à natura ordinatæ ad illam tuendam; ac denique eſt pars cæteris principalior; g. in illa tamquam in ſubiecto reſidet potentia viſiva.

5. Prob. 2. evertendo oppoſitam ſententiam; potentia viſiva nequit reſidere in nervis opticis; erg. Prob. anteced. quia tales nervi eò ſunt à natura deſtinati, ut per illos deſcendant ſpiritus animales, & aſcendant ſpecies ad cerebrum; ſed ad hoc requiritur, quòd ſint concavi, ſicut canales; erg. nequit viſio fieri in illis; conſequenterque neque in eis reſidere potentia viſiva. Prob. conſeq. nam ad viſionem requiritur, quòd ſpecies impreſſa ſubiectetur, & terminetur in aliqua parte, ultra quam non progrediatur. Quod patet in ſpeculo, in quo ſpecies non terminantur, niſi à tergo ſit corpus opacum, ut ſic progredi non poſſint; g. cùm nervi

opti-

optici ſint concavi, & non habeant partem ſolidam, cui ſpecies adhæreant, non poterit in illis fieri viſio, nec potentia viſiva in eis reſidere; & conſequenter, &c.

6 Nec obſtat, quod Ariſtot. lib. de ſenſu, & ſenſ. cap. 2. oppoſitum videatur docere; inquit enim ſic; *Non in ultimo oculi anima, aut animæ ſenſitivum eſt, ſed manifeſtum: quoniam interius*. Non quidem obſtat hoc, quia Ariſtot. per ly *ultimo oculi*, intelligit tantum externam oculi ſuperficiem, per ly autem *interius*, intelligit ipſam oculi pupillam; unde non eſt contra nos. Pro aliorum ſolutione argumentorum advertere opus eſt, quod in quovis animali eſt duplex potentia viſiva numero diſtincta. Ratio hujus eſt; quia multiplicatis numero ſenſoriis, multiplicantur numero potentiæ ſenſitivæ; ſed in quovis animali datur ad viſionem duplex ſẽſorium (nempè duplex pupilla) numero diſtinctum; g. & datur duplex potentia viſiva numero diſtincta. Ratio à poſteriori huius multiplicationis eſt, quod animal poſſit facilius ſpecies, ex quacumque parte veniant, haurire.

7 Dubit. utrum viſio fiat per intromiſſionem ſpecierum diffuſarum ab obiecto per medium illuminatum, & in oculis receptarum? Reſp. affirmativè, contra Platonem aſſerentem, fieri per extramiſſionem radiorum viſualium. Ratio pro noſtra reſolutione eſt; nam reliquæ ſenſitivæ potentiæ operantur per ſpecies ab obiecto per medium diffuſas, & in ipſis receptas, eo quod ſunt potentiæ vitales cognoſcitivæ, & actio vitalis eſt actio immanens, ut communiter ab omnibus tenetur; ſed viſio eſt actio perfectè vitalis inter alias externas actiones; g. fit per intromiſſionem ſpecierum, modo ſupradicto. Deinde, quia ſi viſio fieret per extramiſſionem radiorum viſualium, vel fieret extra oculos, vel intra illos per talium radiorum reflexionem; ſed neutro modo; g. Prob. 1. p. min. nam ſi fieret extra

oculos, fieret in aere: ſed ſic fieri non poteſt; tum quia productio viſionis non eſſet actio immanens; neque actio vitalis, ut patet; tum etiam quia ſolus aer denominaretur videns: erg. &c. Prob. 2. pars quia intelligi non poteſt, quomodo oculus tanta vi tales radios extramittat, ut in inſtanti, in quo fit viſio aſtrorum cœleſtium v. g. illi pertingant ad cœlum, & inde per reflexionem ad oculos revertantur; g. neutro ex his modis fit viſio, & conſequenter, &c.

QUÆSTIO II.

Quid ſint color, lux, & lumen, & quomodo inter ſe diſtinguantur?

1 PRo deciſione quæſt. prænotandum eſt, quod color dupliciter uſurpari poteſt, nempe, & pro colore vero, & pro colore apparente. Verus color eſt quædam ſecunda qualitas, reſultans ex temperamento primarum qualitatum in mixto, ut albedo nivis, nigredo corvi, &c. Color apparens vocatur, qui reſultat, non ex temperamento primarum qualitatum, ſed ab aliqua extrinſeca, nempe ex refractione lucis in tali, vel tali ſubiecto, & per tale, vel tale medium, huiuſmodi ſunt colores, qui apparent in Iride, in nubibus, in collo columbæ, & aliis ſimilibus. Quo prænotato.

2 Dicimus 1. ad quæſt. color, juxta Ariſt. 2. de An. cap. 7. text. 67. ſic 1. definitur: *Eſt motivum perſpicui in actu.* Deinde lib. de ſenſu, & ſenſ. cap. 3. ſic: *Eſt extremitas perſpicui terminati.* Ut hæ definitiones melius percipiantur, notandum eſt ex Ariſt. lib. 2. de An. cap. 7. quod *perſpicuum eſt id, quod non per ſe, ſed alieno lumine viſibile eſt.* Hoc dupliciter ſumi poteſt. 1. pro quovis corpore tranſparenti, ut ſunt aer, ignis, vitrum, &c. Hoc vocari ſolet perſpicuum indefinitum, ſeu indeterminatum, quia viſus in illius.

illius extremitate non ſiſtit, ſed ulteriùs videndo tranſit 2. ſumitur pro corpore, quod participat lumen, ſed propter magnam denſitatem, quam habet, translucidum non eſt, unde hoc vocatur perſpicuum terminatum; cujuſmodi ſunt aſtra. Perſpicuum 1. modo ſumptum eſt medium viſus, non autem 2. modo acceptum. Deinde perſpicuum indeterminatum adhuc eſt duplex, alterum, quod lucet proprio, & connaturali lumine, ut ignis in ſua ſphæra; alterum, quod lucet alieno, ut aer, vitrum, &c. quæ non niſi lumine derivato ab extrinſeco, ſplendent: unde illa ſemper ſunt actualiter illuſtrata; hæc autem aliquando ſunt actu illuſtrata, aliquando autem potentia.

3 Sed advertere oportet quòd 1. definitio convenit nedum colori vero, verummet apparenti: cùm enim uterque emittat ſpeciem ſui perſpicuum indeterminatum, ſeu diaphanum actualiter illuminatum, de utroque verum eſt dicere, quod eſt motivum perſpicui in actu. 2. autem definitio tantùm convenit dolori vero, & huic, non quatenus eſt quædam ſecunda qualitas reſultans ex primarum temperamento, ſed quatenus deſervit ad viſionem, & per ly *extremitas*, poſitum loco generis, intelligit Ariſtot. non ipſam ſuperficiem extremam, ſed id, quod natum eſt apparere, ſeu videri in illas ſic enim ait: *Etenim color in termino corporis inhabitat; ſed nequaquam terminus eſt*. Per illa autem verba, *perſpicui terminati*, poſita loco differentiæ, differt color verus ab apparenti, nempe à lumine, quod licèt ſit qualitas nata videri, non tamen ſolùm in extremitate perſpicui terminati, cùm videatur etiam in partibus profundioribus corporis diaphani, quod eſt perſpicuum interminatum.

4 Dicimus 2. lux ſic deſcribi poteſt: *Eſt qualitas ex ſe viſibilis independenter ab alia qualitate, qua non ſit ſpecies intentionalis eius, con-*

ſequentes naturam ſui ſubiecti, ita ut connaturaliter nequeat produci aut deſtrui, niſi illo producto, aut deſtructo. Per ly qualitas convenit lux cum aliis qualitatibus. Per illa verba, *ex ſe viſibilis independenter ab aliis qualitatibus*, differt lux à coloribus, qui abſque lumine videri non poſſunt. Interponuntur verò illa verba, quæ non ſit ſpecies intentionalis ejus, ut innuatur, quòd ad viſionem cujuſvis viſibilis requiruntur ſpecies intentionales. Per reliquas autem particulas excluditur lumen, quòd eſt ſpecificè diſtinctum à luce, ut ſtatim dicemus.

5 Dicimus 3. lumen eſt ſpecies intentionalis lucis, & quid eſſentialiter diſtinctum à luce, eſtque in ſe qualitas realis potens producere reales effectus, denominare lucidum ſubjectum in quo eſt, & percipi à potentia viſiva. Sic Scotus in 2. diſt. 13. q. unica per totam qui quomodo hoc fiat explicat exemplo deducto ex D. Auguſt. lib. de doctrina Chriſtiana, ubi ait, quòd cùm diſtinguitur res à ſigno, non ideò aſſeritur, ſignum non eſſe rem: alioquin ſignum eſſet nihil; ſed res appellatur id, quod nihil ſignificat; ſignum autem id, quod ita eſt res, ut ſimul ſit ſignum alterius: ſic ſimiliter, ait Doctor, cùm diſtinguimus eſſe intentionale ab eſſe reali, non ideò dicimus, quòd eſſe intentionale non eſt ens reale; aliàs nihil eſſet, ſed vocamus eſſe reale id, quod non eſt ratio ſentiendi; eſſe verò intentionale id, quod præter eſſe rèm, habet eſſe rationem ſentiendi; licèt tale eſſe reale, quod habet, ſit ita debile, ut pluries non ſentiatur, neque exerceat aliquas operationes, præter illam, qua ſimul cum potentia concurrit ad ſenſationem.

6 Advertit item Scotus, quòd duplex datur lumen, nempe primarium, & ſecundarium. Primarium eſt quod immediatè à luce cauſatur. Secundarium eſt, quod non cauſatur immediatè à lucè, ſed à lumine primariò; hujuſmodi eſt lumen, quod eſt in umbra; in hoc enim diſtingui-

tur

tur umbra à tenebris, quòd tenebræ ſunt privatio luminis tam primarii, quàm ſecundarii, umbra autem ſolùm caret lumine primario. Hoc ſecundum lumen ab aliquibus vocatur ſplendor, & ab aliis lumen accidentale.

7. Prob. 1. pars concl. (in prima enim nulla eſſe poteſt difficultas) quia ens phyſicum, & ens intentionale eſſentialiter, & ſpecificè diſtingui debent: ſed lux eſt qualitas phyſica, & lumen eſt qualitas intentionalis: erg. neceſſariò eſſentialiter, & ſpecificè diſtinguuntur. Maj. non indiget probatione; min. autem quoad primam partem prob. quia ſi lux non eſſet qualitas phyſica, ſi immediatè poneretur ſupra ſenſum, non impediret viſionem, ſicut nec impedit illam ſpecies intentionalis: ſed conſtat experientia, & alibi manet oſtenſum, quod ſenſibile, uti eſt lux, poſitum ſupra ſenſum impedit ſenſationem: erg. lux eſt qualitas, non intentionalis, ſed phyſica. Probat. eadem min. quoad 2. p. nempe quòd lumen ſit ſpecies intentionalis: nam lumen poſitum immediatè ſupra viſum non impedit viſionem, imò neceſſariò requiritur ad illam: g. non eſt qualitas phyſica, & ſenſibilis, prout ad viſionem juvat: aliàs enim impediret viſionem, ſed eſt qualitas intentionalis.

8. Neque huic doctrinæ obſtat, quòd lumen videatur; & ſpecies intentionalis videri nequit. Non obſtat hoc, nam lumen duo habet, nempè & eſſe rem, & eſſe ſpeciem intentionalem lucis; licet ergo quatenus ſpecies intentionalis eſt non videatur, ſed ſit ratio videndi lucem, quæ medio lumine videtur; cęterùm quatenus res eſt, poteſt videri media ſpecie ab ipſo lumine producta in potentia. Ex quo non infertur, quòd lumen non ſit realiter ſpecificè diſtinctum à luce; nam cùm lumen ſit lucis ſpecies producta ab ipſa in potentia, neceſſariò, quatenus ſpecies, à luce ſic diſtingui debet, licèt ipſum lumen,

quatenus res, aliam ſpeciem intentionalem producere poſſit. Unde, cùm communiter dicitur, quòd una ſpecies impreſſa non poteſt producere aliam, intelligendum eſt de ſpecie intentionali, quæ tantùm habet eſſe ſpeciei intentionalis; in præſenti tamen ſermo eſt de lumine, quod habet eſſe rei, & eſſe ſpeciei, ut ſup. præveniebamus. Ex quo provenit, quòd lumen denominat, tamquam forma, ſubjectum, cui ineſt, lucidum; nam cùm ſit res, benè ſic poteſt illud denominare.

9 Dicimus 4. neque lux, neque lumen ſunt ſubſtantiæ. Sic Scotus præcitatus numer. 5. §. *Hic tria*, *verſ. De primo dico*, lit. A. & infra §. *De ſecundo dico*. Probat. concl. nulla ſubſtantia eſt per ſe ſenſibilis; ſed lux, & lumen ſunt quid per ſe ſenſibile: erg. non ſunt ſubſtantiæ. Eſt enim lux quædam forma accidentalis, ſeu qualitas activa conſequens formam ſubſtantialem corporis luminoſi, ad modum quo calor conſequitur formam ignis, & frigus formam aquæ. Prob. ſpecialiter de lumine ratione Scoti: nam ſi hoc eſſet ſubſtantia, vel eſſet completa, vel incompleta; ſed neutra: erg. Prob. 1. p. min. quia ſi eſſet completa, vel eſſet ſpiritualis, vel corporea: non ſpiritualis, cùm ſit quid diviſibile, & extenſum, quod ſpirituali ſubſtantiæ repugnat; neque corporea; aliàs duæ formæ ſubſtantiales, & duo corpora ſimul eſſent, cùm lumen ſit ſimul cum toto aere, ut per ſe patet; g. &c. Probat. 2. p. ejuſdem min. quia ſubſtantiæ incompletæ ſunt tantùm duæ, nempè materia, & forma: ſed lumen non eſt materia; hæc enim eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, non autem ſic lumen, ut eſt notum; neque eſt forma, nam illud, cui lumen advenit adhuc ipſo lumine recedente manet perfectum in ſuo eſſe, ut experimur in aere, quandoque illuminato, & quandoque tenebroſo: erg. lumen non eſt ſubſtan-

ſtentia, ſed accidens de prædicamento qualitatis.

10 Argum. contra hoc; lumen dicitur reflecti, & refrangi; ſed hæc ſunt propria corporum; erg. lumen eſt corpus, & conſequenter ſubſtantia. Reſpond. quòd reflexio, & refractio dicuntur de lumine non propriè, ſed analogicè, & ſimilitudinariè tantùm; radius enim reflexus, ſeu refractus eſt pars luminis diſtincta à lumine recto. Pro quo advertit Scotus ubi ſup. §. *Quantum ad tertium*, litt. D. quòd eſt triplex radius luminis, nempè rectus, qui diffunditur à luminoſo per medium ejuſem diaphaneitatis, quamdiu virtus luminoſi durat; reflexus eſt, qui, occurrente corpore opaco, diffunditur in partem oppoſitam, eo quòd luminoſum agit, utpotè agens naturale, quantum poteſt, & quòd non poteſt in directum, agit in obliquum; refractus denique eſt, qui occurrente medio alterius diaphaneitatis, multiplicatur in tali medio. Videatur ibi Scotus.

11 Dicimus 5. colores apparentes non diſtinguuntur realiter à lumine; veri autem colores ſunt qualitates realiter, & ſpecificè diſtinctæ. Huius concluſ. 1. p. prob. nam colores apparentes penes diverſam aſpectum, diſtantiam, & ſitum ad corpus luminoſum variè ſeſe viſui repræſentant, ut ipſa experientia oſtendit; ſed hoc apertè innuit, illos nihil aliud eſſe, quàm ipſum lumen in tali, vel tali ſubiecto, per tale, aut tale medium, ſic, vel ſic refractum; g. colores apparentes ſunt ipſummet lumen, modo præexplicato 2. p. concl. deducitur ex Ariſt. lib. 2. de Anim. cap. 7. & lib. de ſenſu, & ſenſ. cap. 3. ubi colorem verum, & lumen diverſis quidditativè definit definitionibus; ſed hæ neceſſariò inferunt diverſam quidditatem in definitis; g. Prob. ratione; nam ſi veri colores non eſſent ſic diſtincti à lumine, nõ eſſent tam firmi,

ac permanentes, uti ſunt, ſed potius verſatiles penes diverſum aſpectum ad corpus luminoſum, ut de apparentibus dicebamus. Deinde, quia lumen non habet contrarium propriè, colores autem veri tale contrarium habent ut eſt manifeſtum. Præterea, quia productio luminis non eſt propriè, & rigorosè alteratio; productio autem coloris vera alteratio eſt. Denique, nam lumen eſt ſpecies intentionalis, ut num. 5. dicebamus; veri autem colores ſunt phyſicæ qualitates; g. iſti à lumine ſpecificè, & realiter diſtinguuntur.

12 Neque obſtat, quòd Ariſt. 3. de Anim. text. 18. doceat, lumen facere colores actu ex coloribus in potentia; unde videtur ſentire, quòd lumen eſt forma tribuens rebus colorem; & conſequenter, quòd color non eſt quid diſtinctum à lumine. Non quidem hoc obſtat, nam tam hæc auctoritas, quàm quævis aliæ dumtaxat debent intelligi de lumine in ordine ad actum videndi; licet enim lumen non ſit verus color: eſt tamen conditio neceſſariò prærequiſita, ut veri colores actu videantur, ut in ſequenti quæſt. dicemus.

QUÆSTIO III.

Quomodo lumen requiratur ad viſionem coloris?

1 SUpponendum eſt 1. tamquam certum, quòd ad videndum colorem requiritur lumen. Ratio pro hoc eſt ipſa coloris definitio ſup. data, nempe, *motivum perſpicui in actu*, quod idem eſt, ac qualitas ſuapte natura exigens medium actu perſpicuum, ſeu illuſtratum, ut ſpeciem ſui emittat in potentiam. Hoc idem conſtat ex ipſa experientia; experimur enim, colores non percipi à viſu, ſi medium non ſit illuſtratum; g. certum omninò eſt, quòd

ad

ad coloris viſionem requiritur neceſſariò medii illuſtratio ab ipſo lumine proveniens.

2 Supponendum eſt 2. quòd ad viſionem lucis, & luminis etiam requiritur medii illuminatio. Ratio huius eſt, quia lumen eſt ſpecies intentionalis lucis, ut jam oſtenſum eſt; ſed objectum (ſi per ſe immediatè cum potentia non concurrat) non poteſt percipi à potentia, quin ejus ſpecies in illa recipiatur, ut ex alibi dictis conſtat; g. ad viſionem lucis, & luminis, debet recipi in potentia viſiva ſpecies intentionalis, nempè lumen; atqui nequit hoc produci in potentia, quin prius in medio producatur, ut eſt certum: g. ad viſionem lucis, & luminis requiritur neceſſariò medii illuminatio.

3 Nec contra hoc eſt, quòd ſint aliqua corpora fulgida, quæ adhuc in obſcuriſſimo loco videntur, ut oculi felium, & alia huiuſmodi: ex quo videtur inferri, quod ad viſionem lucis, aut luminis non requiratur, quod medium illuminatum ſit. Non enim hoc noſtræ opponitur doctrinæ; nam talia corpora, quæ in obſcuro loco videntur, emittunt per medium uſque ad potentiam exiguum lumen, quod ſufficiens eſt, ut viſus illa percipiat. Quod patet ex eo, quod ſi eis in tali medio opponatur ſpeculum, hoc ſplendet ab ipſorum corporum lumine. Verùm quidem eſt, quod perfectius requiritur lumen ad viſionem coloris quàm ad viſionem lucis, ut conſtat in prædictis corporibus lucidis, in quibus, licet videatur lux, non tamen percipitur color in illis, aut circa illa exiſtens. Quibus ſuppoſitis, & omiſſis variis dicendi modis circa hanc quæſt. noſtram mentem per aliquas concluſiones explanabimus. Pro quarum intelligentia.

4 Notandum eſt, quod lumen requiritur ex parte obiecti, v. gr. coloris, ut illud videatur. Hæc doctrina eſt communis, & patet

ex-

experientia, qua experimur, quòd exiſtente medii illuminatione, videntur colores corporis illuminati; ſecus autem ſi illuminatum non eſt, quamvis ſit potentiæ proinquum: g. &c. Idem etiam conſtat ex eo, quod eò perfectius videntur colores, quo perfectius illuminatur; g. ſignum eſt, quod ex parte colorum requiritur lumen, ut hi videantur. Patet anteced. quia homo exiſtens in aliqua ſpelunca percipit quidem colores corporis illuminati extra ſpeluncam exiſtentis; & tamen non percipit colores corporis non illuminati intra ſpeluncam propè illum exiſtentis; & etiam eo perfectius percipit colores corporis illuminati exiſtentis extra ſpeluncam, quo perfectiori lumine tales colores illuſtrantur; erg. ut obiectum videatur, requiritur, quòd lumine illuſtratum ſit. Quo notato.

5 Dicimus 1. ad quæſt. lumen non requiritur ad viſionem coloris, tamquam ratio formalis, à qua color habeat, quòd intrinſecè viſibilis ſit. Hæc concluſ. procedit contra plures, qui oppoſitum tuentur, licet non in eodem modo dicendi conveniant; quos citat noſter Merin. lib. 1. de Anim. diſp. 7. quæſt. 7. num. 10. & ſequentibus. Prob. ex Ariſtot. hic lib. 2. cap. 7. text. 66. dicente loquendo de colore: *In ſe ipſo cauſam habet, ut ſit viſibile*; g. juxta Ariſt. color independenter à lumine eſt intrinſecè viſibilis. Prob. 2. ratione; quia color ex ſua propria ratione habet cauſas intrinſecas ſuæ permanentiæ, & ſuæ intrinſecæ viſibilitatis, quæ conſiſtunt in mixione primarum qualitatum; unde idem intrinſecè permanere debet, ſive accedat, ſive diſcedat lumen, quod eſt quid extrinſecum ei; g. intrinſeca viſibilitas coloris non dependet ab actuali exiſtentia, & influxu luminis; & conſequenter, &c. Confirmat. quia ſecundum omnes color eſt obiectum viſus, non ſolum terminativum, ſed & motivum; erg. eſt

per

per ſe; & intrinſecè viſibilis tam terminativè, quàm motivè; ac proinde color independenter à lumine eſt intrinſecè viſibilis.

6. Dicimus 2. lumen non requiritur ex parte coloris, tamquam concauſa ſimul cum colore productiva ſpeciei intentionalis ipſius coloris. Prob. quia ſpecies impreſſa ſenſibilis ſolum cauſatur effectivè ab illo objecto, quod virtualiter repræſentat, ut ſæpè dicebamus: ſed ſpecies impreſſa intentionalis coloris non eſt ratio cognoſcendi lumen, nec illud virtualiter repræſentat: erg. nullatenus talis ſpecies efficienter à lumine provenit. Eò, vel maximè, quia in ſpecie impreſſa coloris nullum eſt prædicatum, quod ipſi colori tamquam cauſæ adæquatè illius, correſpondere non poſſit: ergo color, ut ſpeciem ſui emittat in ſenſum, non indiget lumine, tamquam concauſa talis ſpeciei effectiva.

7. Dicimus 3. lumen requiritur ex parte coloris ad hoc, ut hic videatur, tamquam conditio neceſſaria, ut color emittat ſpeciem ſui intentionalem in potentiam. Prob. nam lumen eſt neceſſarium ex parte coloris, ut iſte videatur, ut numer. 4. notabamus: ſed non eſt ſic neceſſarium, tamquam ratio formalis à qua color intrinſecè viſibilis ſit; nec tamquam concauſa ſimul cum colore effectiva ſpeciei impreſſæ, ut in præcedentibus concluſionibus manet oſtenſum: g. tantum requiritur tamquam quædam diſpoſitio, ſeu conditio neceſſaria, ut color ſpeciem ſui in potentiam immittat. Contra præjactas concluſiones nullum eſt argumentum, quod ex dictis facilè non diſſolvatur; ſolùm pro doctrina numer. 2. ſuppoſita, advertere opus eſt, illud, quod ſatis vulgariter fertur, nempè aliquos homines, qui communiter *Zahories* appellantur, videre ſubterranea, & alias res, etiamſi medium non ſit illuminatum, eſſe inter fabulas computandum, nam eſt apertè falſum, ut ex

ibi

ibi dictis conſtat; fortaſſis enim tales homines ſolùm vident aliqua ſigna externa, ex quibus inferunt quid ſub terra lateat, aut hoc vident dæmonum ſuggeſtione.

8. Ex dictis colligitur, quòd potentia viſiva ſic deſcribi poteſt: *Eſt potentia vitalis materialis perceptiva coloris, lucis, ac luminis tantùm.* Dicitur *potentia vitalis*, per quod convenit cum aliis potentiis vitalibus, etiam ſpiritualibus, & ab his differt per ly *materialis*. Dicitur etiam, *perceptiva coloris, lucis, ac luminis*, in quo diſtinguitur à cæteris potentiis materialibus externis, quæ talia objecta percipere nequeunt. Denique per ly *tantum*, differt potentia viſiva à ſenſu interno communi, qui percipit omnia ſenſuum externorum objecta. Quomodo fiat viſio conſtat ex dictis in hac diſput. quæſt. 1. num. 7.

QUÆSTIO IV.

Quodnam ſit organum potentiæ auditivæ?

1 SUpponit hæc quæſt. ex ipſa experientia, dari potentiam auditivam, cujus adæquatum objectum eſſe ſonum, à nemine dubitatur. Inquirimus ergo modò, quodnam ſit ſubjectum, ſeu ſenſorium, in quo talis reſidet potentia? Pro cujus difficultatis reſolutione prænotandum eſt, quòd in aure, præter externam auriculam deſtinatam à natura, ut auditus à contrariis externis defendatur; & præter quamdam ſtrictam cavitatem habentem plures anfractus, ut aer externus in illis confractus ad finem talis ſtrictæ cavitatis pervenire poſſit; datur in extremitate prædictæ cavitatis veluti quoddam tympanum conſtans ex quadam pellicula, quæ vocatur miringa, & ex quadam ſubſtantia ſpirituoſa in predicta pellicula incluſa,

ſa, quæ licet immobilis ſit, & cum cæteris partibus ſolidis continuata, eſt tamen adeò ſubtilis, & aerea, ut aeri comparetur, imò aer animatus appellari ſoleat. Cuilibet præterea ex his tympanis eſt infixus quidam nervus deſcendens ab interiori parte cerebri, in qua reſidet ſenſus communis, per quem nervum deſcendunt ſpiritus animales à cerebro in auditum, & aſcendunt ſpecies ab hoc in ſenſum communem, ut de nervis opticis oculorum in præcedentibus manet dictum. Quo prænotato

2 Dicimus ad quæſt. potentia auditiva reſidet, tamquam in ſenſorio, in illa ſubſtantia aerea ſpirituoſa, quæ intra auriculam reperitur. Sic Ariſt. lib. 2. de An. cap. 8. ubi dicit, quod talis ſubſtantia ſpirituoſa eſt, quæ ſentit omnes differentias ſonus. Prob. 1. ratione: quia medium aptius ad audiendum eſt aer: g. ſenſorium potentiæ auditivæ debet eſſe illa pars, quæ eſt aeri ſimilior: ſed hæc eſt prædicta ſubſtantia, ut ſup. notabamus: g. Prob. 1. conſeq. tum quia ex proportione intermedium, & organum infert Ariſt. medium potentiæ auditivæ eſſe aerem. Tum etiam quia ſicut medium immutatur intentionaliter ab ſpecie, ita & potentia, reſpectivè loquendo: g. ſicut medium propter talem naturam, eſt proportionatum ad talem mutationem, ita potentia gaudere debet ſimili aliquomodo natura, ut tali ſpecie immutetur; & conſequenter, &c. Confirm. quia prædicta ſubſtantia inter cæteras potentiæ auditivæ integrales partes eſt magis munita, ut ex anatomiâ conſtat: ſed natura magis munire intendit partem principaliorem: erg. principalior pars potentiæ auditivæ eſt illa ſubſtantia ſpirituoſa, & conſequenter in illa talis reſidet potentia. Ex quo deducitur, quod potentia auditiva ſic poteſt deſcribit: *Eſt potentia vitalis materialis perceptiva ſoni tantum*.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

In qua aliqua difficultates circa ſonum reſolvuntur?

CUm adæquatum potentiæ auditivæ obiectum ſit ſonus, ut notabamus in præced. quæſt. ideo iſtam apponimus, in qua aliqua, quæ circa ſonum exagitari ſolent per ſequentes concl. reſolvemus.

1 Dicimus 1. ſonus, ex Ariſt. 2. de An. cap. 8. text. 85. eſt *qualitas ſenſibilis reſultans ex forti percuſſione corporum ſonantium, ex reſilientia medii*. Huius deſcriptionis bonitas ex illius explicatione apertè conſtabit. Dicitur igitur ſonus *qualitas ſenſibilis*, ut diſtinguatur à motu, tam corporum ſe invicem collidentium, quam corporis medii reſilientis inter prædicta corpora, uterque enim motus eſt ſenſibile commune, ſonus autem eſt ſenſibile proprium. Dicitur etiam *reſultans ex forti percuſſione*, tum ut intelligatur, quod niſi percuſſio fortis ſit, forſitan non erit ſonus, eo quod ad reſilientiam medii levis percuſſio non ſufficit; tum etiam, ut denotetur, tria ſaltim debere concurrere ad ſonum, ſcilicet percutiens, percuſſum, & medium, quod ex vi talis percuſſionis reſiliat. Præterea ſubduntur illæ particulæ, *corporum ſonantium*, eo quod, licet fiat fortis percuſſio, ſi corpora, quæ colliduntur, ſonora non ſint, ſonus non efficietur. Ponuntur denique illæ, *ex reſilientia medii*, ut denotetur, quod nequit ſonus generari, qui inter percutiens, & percuſſum interſit aliquod medium, quod ex vi talis percuſſionis reſiliat. Ex his ergo bonitas præjactæ deſcriptionis apertè conſtat.

2 Dicimus 2. ſubiectum ſoni eſt illud corpus medium reſiliens, non vero corpora ſe invicem collidentia. Hæc concluſ. eſt communis, & illam

illam quoad 1. p. oſtendit experientia; nam ſtante vento ex illa parte, aut loco ubi ſonus fit, iſte auditur in loco, in quo antea non audiebatur: cuius alia non eſt aſſignabilis ratio, niſi quod ſonus ſubiectetur in aere medio reſiliente ex corporum colliſione: qui aer, cum moveatur à vento flante, movetur etiam ſonus, qui in ipſo eſt, & ideo ſpecies intentionales, quas emittit ſonus in totam ſuæ activitatis ſphæram, attingunt uſque ad remotiorem locum, ad quem non attingerent, ſi aer, cui ineſt ſonus, ac proinde ipſe ſonus, non moveretur à vento flante verſus locum, in quo auditur: ergo ſubiectum ſonus eſt corpus medium reſiliens. Ex quo patet etiam 2. p. concluſionis.

3. Dicimus 3. non ſolum in aere, ſed etiam in igne, necnon & in aere ſonus ſubiectatur, licet in aqua non ita aptè, ſicut in illis. Hæc concl. quoad 1. p. patet experientia; experimur enim, quod cum quis violenter dividit flammam; aut cum intra illam aliqua corpora ſolida ſe inv. cem fortiter percutiunt, cauſatur ſonus, ſicut cum huiuſmodi percuſſio in aere fit: g. ſonus etiam ſubiectatur in igne. 2. par. concl. etiam conſtat experientia; nam ſi duo lapides v. gr. ſub aqua fortiter collidantur, auditur ſonus; & idem eſt cum lebes immiſſus in puteum terram attingit: erg. Hoc ipſum patet ratione; quia aqua habet omnes conditiones, ut ſit medium reſiliens, & ſubiectum ſonus, etſi non ita aptè ſicut aer; eſt enim mollis, potens facilè dividi, ac comprimi violenter: g. &c. Si hæc concl. videatur opponi aliquibus Philoſophi auctoritatibus, dicendum eſt, illum locutum eſſe de aere, & eius ſpecialius meminiſſe, eo quod aer eſt medium aptius ad ſonum, & præſertim, ut perfectè audiatur. Et in eodem ſenſu nos ſumus ſupra locuti, cum diximus, aptius medium ad audiendum eſſe aerem.

4. Diximus 4. ſonus eſt quid diſtinctum à mo-

motu locali, tam corporum ſe invicem collidentium, quam corporis medii reſilientis; & eſt qualitas ad 3. qualitatis ſpeciem, quæ dicitur paſſio, ſpectans. Prob. 1. p. huius concl. nam motus eſt ſenſibile commune, ut in ſuperioribus manet dictum: ſed ſonus eſt ſenſibile proprium, ut per ſe conſtat: erg. Hoc ipſum confirmat experientia in ſono campanæ v. gr. qui per aliquod temporis ſpatium permanet, adhuc tranſacto motu tam corporum ſe collidentium, quam medii reſilientis: ergo ſonus eſt aliquid diſtinctum ab his motibus. Prob. quod ſonus ſit qualitas; quia cum non ſit ſubſtantia, neque quantitas; nam iſtæ permanent, tam cum aliquid auditur; quam cum nihil auditur; neque relatio, quia hæc à ſenſu percipi nequit; ergo eſt qualitas. Denique, quod ad 3. qualitatis ſpeciem ſpectet, patet, quia cum ſonus ſit primò ſenſibilis, nequit pertinere ad 1. vel 2. ſpeciem qualitatis, quæ inſenſibiles ſunt; nec ad quartam, cum hæc ſit ſenſibile commune; g. ad tertiam; ſed ſonus non eſt diu permanens, ſed citò tranſiens; g. non eſt paſſibilis qualitas, ſed paſſio, & conſequenter, &c. Recolantur dicta in Logica diſp. de qualitate circa illius ſpecies.

5 Dicimus 5. ſonus ex natura ſua intrinſeca exigit fieri in inſtanti; per accidens tamen de facto fit ſucceſſivè. Prob. concl. quoad 1. p. nam ſonus eſt qualitas non habens aliquod per ſe contrarium ei diviſibiliter oppoſitum; ſed hujuſmodi qualitates ex natura ſua fiunt in inſtanti, ut patet in luce, impulſu, & aliis ſimilibus; ergo ſonus ex natura ſua petit fieri in inſtanti. Prob. autem quoad 2. p. quia motus, per quem producitur ſonus, diſpoſitivè pendet in ſuo fieri à motibus localibus tam corporum ſe collidentium, quam corporis medii reſilientis; ſed iſti motus ſunt neceſſariò ſucceſſivi, ut nullus ignorat; g. & motus, per quem ſonus producitur, erit ſaltim per accidens, ſucceſſivus. Videantur

quæ

quæ in libris de Gener. & Corrupt. loquendo de nutritione, dicebamus; quia ex ibi dictis hæc concl. evidenter patebit.

6 Dicimus 5. ſonus non immutat phyſicè potentiam auditivam, ſed tantùm intentionaliter, id eſt, media ſpecie ſui impreſſa intentionali producta in potentia ab ipſo ſono. Hæc concl. probat. 1. à priori ſic; quia ad ſenſationem tantùm requiritur, quòd obiectum media ſpecie ſui impreſſa uniatur potentiæ, ut ſæpè diximus; ſed ut ſonus ſpeciem ſui impreſſam immittat in auditum, non eſt neceſſarium, quòd ſecundum ſuum eſſe phyſicum reale uniatur tali potentiæ; ergo neque quòd illam phyſicè immutet. Prob. min. quia piſcatores experiuntur, quod piſces intra aquam exiſtentes audiunt voces hominum exiſtētium extra aquam, eo quòd confugiunt ad profundiores fluminis partes; ſed certum eſt, quòd phyſicus ſonus non pervenit uſque ad aures piſcium, cùm ad illas non perveniat aer reverberatus, cui ſonus phyſicè ineſt; ergo ſolùm pervenit ſpecies impreſſa intentionalis ſoni; & conſequenter, &c.

7. Prob. 2. nam ſi extremitati alicuius trabis longiſſimæ ex una parte quis applicet auditum, percipit ſonum, etiam leviſſimum, in parte adverſa factum; ſed hoc fieri nequit per traiectionem ſoni phyſici, & realis, non enim apparet quomodo hic tranſire poſſit ab extremo ad extremum trabis; ergo fit per immiſſionem ſpeciei intentionalis tantùm, quæ cùm ſubtilior ſit, totam trabem penetrare poteſt; & conſequenterque, &c. Confirm. à paritate; nam color, & odor concurrunt mediis ſpeciebus intentionalibus ad actus videndi, & olfaciendi, etiam in ſententia eorum, qui hoc negant in ſono; g. & ſonus mediis talibus ſpeciebus concurrit cum auditu ad auditionem; & conſequēter illum intentionaliter immutat. Patet conſ. quia nulla

eſt aſſignabilis communis, aut ſpecialis ratio in illis obiectis, quæ in ſono pariter non reperiatur.

QUÆSTIO VI.

In qua ea, quæ ad ſenſum olfactus ſpectant, examinantur.

1 PRo his, quæ ad olfactum pertinent, præmittendum eſt, naſum coaleſcere carne cartilaginoſa, & diſtingui duobus meatibus, inter quos ſtat quædam cartilago, quaſi paries interpoſitus. Deinde prædicti meatus ducuntur ex una parte uſque ad cerebrum, & attingunt duas cellulas, quæ ſunt in anteriori cerebri parte, quæ vocatur ventriculus illius; ex altera verò parte exeunt ad finem palati quodam flexuoſo circuitu. Præterea in ſummitate naſi prope concava oculorum eſt quoddam os ſpongioſum, & foraminoſum, in quo ſimul coniunguntur talium foraminum viæ ad cerebrum, ad palatum & ad nares, iuxta quod os reperiuntur ex utroque latere duæ carunculæ ſimiles extremitatibus mamillarum, quæ propterea carunculæ mamillares dicuntur. Denique à cerebro uſque ad prædictas carunculas ſunt duo nervi, per quos ad illas deſcendunt ſpiritus vitales, & ſimiliter aſcendunt ad ſenſum communem ſpecies intentionales odorum, qui ab olfactu percipiuntur.

2 Dicimus 1. organum, ſeu ſubiectum potentiæ olfactivæ ſunt carunculæ mamillares. Hæc concl. eſt communis. Prob. quia in illis ſunt omnes conditiones, quæ ad hoc deſiderari poſſunt: g. &c. Prob. min. in primis enim exiſtunt iuxta cerebrum, & ab illo originem ducunt; quæ coditiones ad ſenſum olfactus requiruntur ex Ariſt. 2. de Gener. Animal. cap. 4. Præterea, cum ſint partes ſpongioſæ, & ante

reſpi-

reſpirationem compreſſæ, & earum pori quaſi aperti, ſunt valde aptæ ad hoc, ut per reſpirationem dilatentur, & pori earum aperiantur, & ſic pateat aditus ad ingreſſum ſpecierum odoris. Tandem habent in ſe humiditatem, & frigiditatem derivatam à cerebro, ſuntque in potentia ſiccæ, & calidæ, quæ eſt conditio requiſita in organo olfactus, ut illius objectum, nempè odor, qui eſt actu ſiccus, & calidus, poſſit mediis ſui ſpeciebus intentionalibus ipſam potentiam olfactivam immutare.

3 Dicimus 2. obiectum olfactus eſt odor, qui non eſt aliqua ſubſtantia, ſed accidens ad 3. ſpeciem qualitatis pertinens. Prob. concl. quoad 1. p. nam omnem odorem percipere poteſt olfactus, & nullus alius ſenſus externus illum percipere poteſt; g. ideò eſt, quia adæquatum olfactus objectum eſt odor, 2. p. (præterquam quod eſt Ariſt. lib. de ſenſu, & ſenſ. cap. 5.) prob. ſic evidenti experientia rerum odoriferarum, quæ ſolent permanere integræ in ſuo eſſe ſubſtantiali & abſque aliqua ſenſibili diminutione in illo, licet totum odorem, quem habebant, deperdant; g. talis odor non eſt ſubſtantia, ſed accidens. Conf. quia obiectum odoratus debet eſſe aliquid ſenſibile proprium, & per ſe, ſicut obiecta aliorum ſenſuum; ſed ſubſtantia non eſt ſenſibilis per ſe, ſed per accidens: g. odor non eſt ſubſtantia. Ex quibus patet quomodo potentia odorativa deſcribi debeat; eſt enim, *potentia vitalis materialis perceptiva odoris tantùm*. Quæ deſcriptio eodem modo eſt intelligenda, ac deſcriptio potentiæ viſivæ ſup. data. Quod autem ad tertiam ſpeciem qualitatis pertineat, patet ex dictis quæſt. præced. num. 4. probando, ſonum ad 3. qualitatis ſpeciem ſpectare.

4 Dicimus 3. odor definitur ſic: *Eſt qualitas ex quodam temperamento primarum orta, in humido, ſiccitate, & calore dominante*. Quæ defini-

tio

tio ſi explicari poteſt. Dicitur, *qualitas*, per hoc enim convenit odor cum obiectis aliorum ſenſuum, quæ etiam qualitates ſunt, & diſtinguitur à ſubſtantia, quantitate, & relatione. Dicitur, *ex quodam temperamento primarum orta*; quia odor, iuxta Ariſt. de ſenſu, & ſenſ. cap. 5. reſultat ex temperamento, & permixtione primarum qualitatum, elementa namque ex ſe, ut fert commune proloquium, neque habent odorem, neque ſaporem: unde, ſi aliquando in elemento reperiantur, ideò eſt, quia ſunt impura, & aliquid permixtionis habent. Ponuntur demum illæ particulæ; *In humido, calore, & ſiccitate dominante*: eo quòd calor, & ſiccitas debent exuperare humiditatem: quod ipſa experientia demonſtrat; res enim odoriferæ magis redolent, cùm calor extrinſecus magis excitat, & auget ſiccitatem, decoquendo, & ſubtilizando humiditatem.

5 Dicimus 4. medium aptum, ut odor immittat ſpeciem ſui in potentia, eſt aer, & etiam aqua. Sic Ariſt. lib. 4. de hiſtoria Anim. cap. 8. Hæc concl. alia non indiget probatione, quam ipſa experientia, qua experimur, nos olfacere per aerem, & piſces per aquam. Neque obſtat, quod piſces intra aquam careant reſpiratione: nam hæc, ut ipſe Ariſt. advertit, ſolum eſt neceſſaria ad olfactionem in animalibus, quæ habent organum olfactus abſconditum, & coopertum, & ita arctum, ut indigeat dilatari reſpiratione, quod non ſic habent piſces, & aliqua etiam animalia terreſtria.

6 Dicimus 5. odor immutat potentiam olfactivam intentionaliter, ſeu per ſpecies impreſſas, quas in talem potentiam emittit. Hanc concluſ. tenent, qui ſpecies impreſſas ſenſibiles eſſe neceſſarias ad ſenſationem, aſſerunt; quæ ſic prob. nam exhalationes odoriferæ, cùm ſint valde tenues ſubſtantiæ, communiter ſurſum feruntur, niſi alibi à vento deferantur, aut

ſal-

ſaltem in aquas non ſe immergunt ex natura ſua; ad hoc enim tantum ab aliquo extrinſeco compelli poſſunt, quæ in caſu ſtatim proponendo non facilè aſſignatur: ſed experientia oſtendit, res odoriferas in aere conſtitutas ſentiri, ſeu percipi à piſcibus exiſtentibus ſub aquis, ut patet de Crocodilis, qui ad odores carnium, quæ in arboribus à piſcatoribus apponuntur, ex aquis emergunt; g. ideò eſt, quia eorum olfactus tantùm intentionaliter immutatur ab odore. Confirm. nam plures res odoriferæ non evaporant; g. ſaltim in his requiritur ſpecierum multiplicatio, à quibus intentionaliter potentia immutetur. Patet conſeq. & antec. prob. nam ex continua evaporatione cauſatur, non ſolum diminutio, ſed etiam conſumptio rei odoriferæ; ſed multa aromata, licet in odore acuta, diu retinent odorem; g. plura odorifera non evaporant ac proinde tantùm intentionaliter immutant olfactum.

QUÆSTIO VII.

In qua ea, quæ ad ſenſum guſtus pertinent, elucidantur.

1 PRæmittendum eſt, quod circum latera oris ſunt diſpoſiti dentes, gingivis carneis ſtabiliti; quorum anteriores ſunt magis acuti ad ſcindendum cibum: poſteriores verò magis lati ad ipſum cibum conterendum. Præterea cuiuſque animalis lingua eſt diſpoſita idoneo modo, ut propriam vocem efformare, & emittere queat: quæ lingua ſcilicet penes radicem nititur valido oſſe, & inferiori ſui parte alligatur faucibus, & quaſi vinculo cohibetur, ne laxetur nimis. Tota lingua circumdatur quadam tunica, quæ toti ori eſt communis. Conſtat etiam novem muſculis inſervientibus motui illius, & ad efformandam vocem, & ad convehendum cibum. Deinde eſt in lingua

quidam nervus mollior cæteris peculiariter deputatus ad guſtum. Ad radices tandem linguæ ſunt duæ glandulæ carneæ, quæ communiter appellantur tonſillæ,& earum munus eſt ex humoribus ſalivam ad humectationem linguę,ſine qua nulla delectatio ex cibo capi poſſet. Hoc igitur præmiſſo.

2 Dicimus 1. organum, ſeu ſenſorium guſtus ineſt illi nervo molliori cæteris nuper explicato; qui licet per totam linguam dilatetur ſufficienti modo, ut ſapor à tota lingua percipiatur, virtutem tamen ſuam præſertim exercet in cuſpide linguæ; ut experientia manifeſtat. Hæc concl. eſt communis, & prob. quia ſenſorium guſtus debet eſſe terreæ, & ſiccæ naturæ, ut omnes cum Ariſt. tenent; ſed caro linguæ non eſt huiuſmodi, eſt enim hæc naturæ aquæ; utpotè valdè humida, & ideò aptior ad rationem medii interni excipientis ſapores, ſive ſpecies impreſſas eorum, quam ad eliciendum ipſum guſtandi; g. reſidet in prædicto nervo. Hic eſt adnotandum, quod alter nervus cum muſculis deſerviens ad motum linguæ, diverſum munus habet, & eſt durior, quam ad huiuſmodi ſenſationem requiratur.

3 Dicimus 2. obiectum guſtus eſt ſapor. Prob. nam ſapor eſt ſenſibile proprium, & non perceptibile ab alio ſenſu externo, niſi à guſtu; g. eſt illius obiectum. Ex quo colligitur, guſtum ſic deſcribi poſſe; *Eſt potentia vitalis materialis perceptiva ſaporis tantùm*. Quæ definitio explicatur eodem modo, ac aliorum ſenſuum definitiones in præcedentibus exponebamus. Sapor autem ſic communiter definitur: eſt qualitas ſecunda reſultans ex permixtione primarum cum tali determinato temperamento, in calido, aut ſicco, humido dominante. Circa quam definitionem idem dicendum eſt, quod circa definitionem odoris in quæſt. anteced. dicebatur, advertendo, quod per illas particulas, *in calido,*

aut

aut ſicco, humido denominante, differt ſapor ab odore; odor enim reſultat ex temperamento, in quo ſiccitas, aut caliditas ſuperat humiditatem; ſapor autem ex temperamento in quo humiditas exuperat ſiccitatem; unde ad præſtandum rebus inſipidis ſaporem, communiter utimur rebus humidis, ſcilicet liquoribus.

4 Dicimus 3. medium per quod ſapor immutat guſtum, eſt intrinſecum viventi, nimirum caro, qua operitur ille nervus, qui eſt organum guſtus; ad quam carnem pervenit ſapor ſecundùm ſuum eſſe phyſicum reale, & inde emittit ſpecies intentionales uſque ad ipſum organum; unde ſapor non immutat guſtum realiter phyſicè, ſed intentionaliter tantum. Hæc concl. quoad 1. p. ex ipſa experientia conſtat, non enim guſtamus, niſi id, quod ſuper linguam immediatè ponitur. 2. autem pars patet ex Ariſt. 2. de An. cap. 12. ubi indiſcriminatim de omnibus ſenſibus loquens, dicit, eſſe receptivos ſpecierum intentionalium ſuorum obiectorum: ſive medium, per quod tales ſpecies immittuntur in potentiam, intrinſecum, ſive extrinſecum ſit. Deinde etiam cap. 5. docet, quod ſenſus patitur ab obiectis, ſed non ab illis phyſicè immediatè; nam ſapor, qui ponitur in illa carne, non attingit immediatè nervum, qui eſt ſenſorium guſtus & præterea, quia ut alibi dicebamus, in quovis ſenſu ſenſibile poſitum immediatè ſupra illum, non efficit ſenſationem, imò impedit illam; g. ſenſus tantum intentionaliter patitur ab obiectis: & conſequenter, &c. Utrùm autem ſapor ſit ſubſtantia, an autem accidens? Colligendum eſt ex dictis circa ſonum, & odorem in præcedentibus qq. Videantur ibi dicta.

QUÆSTIO VIII.

In qua ea, quæ ad ſenſum tactus attinent, diſquiruntur.

1 CIrca ſtructuram ſenſus tactus nihil peculiariter dicimus, eo quod non eſt affixus alicui parti determinatæ corporis, ſed diſperſus per totum illud, ſeu per omnia membra, exceptis oſſibus, quæ communiter omni ſenſu carere cenſentur. Notandum tamen eſt, quod ad ſtructuram totius corporis, præter carnem (ſub qua intelligimus cutem, membranam, & alia huiuſmodi) concurrit magna copia nervorum, quibus tota corporis texitur compago. Qui nervi à cerebro originem trahunt, & deſerviunt vehendis ſpiritibus animalibus ad totum corpus, ſicut deferũtur ad cæteros quatuor ſenſus, ut ſua munera exerceant. Unde negari non poteſt, in quovis corporis membro eſſe vim tactivam, eo quod in quovis ſit vis ſentiendi: vertitur tamen in dubium, an ſenſorium tactus ſit tota caro animalis; an tantùm ſupradicti nervi? Pro hac ergo, & aliis circa hunc ſenſum difficultatibus.

2 Dicimus 1. proprium organum tactus tantùm reſidet in prædictis nervis, non autem in carne, niſi tamquam in medio intrinſeco, per quod immittuntur ſpecies ab obiecto tãgibili in ipſum ſenſorium tactus. Sic Ariſt. lib. 2. de An. cap. 11. text. 116. ubi hæc profert verba; *Omninò autem ſic caro, & lingua ſeſe ad huius inſtrumentum ſenſus* (loquitur de tactu) *habere videntur, ut aer, & aqua ſeſe habent ad viſum, & auditum atque olfactum.* Et poſt pauca concludit ſic: *quare ſine dubio ipſa caro medium eſt in tactu*; g. præjacta concl. eſt expreſſa Ariſt. mens. Illam etiam tenet Scotus q. 2. de An. & prob. ratione ipſius; nam organum ſenſuum particularium debet communicari cum organo ſenſus communis, ut

ſic particulares ſenſus ſuas emittere poſſint ſpecies in illum, ſed pura caro non communicatur cum ſenſu communi, ut eſt notum; ſed hoc convenit ſolis nervis; g. organum ſenſus particularis, cuiusmodi eſt actus, nequit eſſe pura caro, ſed nervi ſupradicti. Hoc ipsū probari poteſt illa ratione communi, nempè, quod ſenſibili ſupr. ſensū immediatè poſito, nullatenus fit ſenſatio.

3 Obſervandum tamen eſt, quod cum Ariſt. dicit, organum tactus eſſe in corde, ſolum intendit, quod in corde magis vigeat ſenſus tactus, & eſt in illo, ſicut in eo quod eſt principium tam vitæ, quam ſenſationis. Cum autem dicit, quod caro eſt organum tactus, non loquitur de organo primo, ideſt, de eo, cui immediatè ineſt potentia tactiva; ſed de ſecundo, hoc eſt de illo, quod licet tantum ſit medium tactus, eſt tamen medium intrinſecum, ideoque poteſt aliquo modo organum tactus appellari. Vel non loquitur de pura carne, ſed de carne nervoſa. Quo obſervato, facilè reſp. ad aliqua argum. quæ contra præjactam concl. fieri ſolent. Ex quibus deducitur, quod ad immediatam ſenſationem tactus per ſe non requiritur aliquod medium extrinſecum; manus enim immerſa in aqua ſentit illius frigiditatem, quin inter ipſam, & aquam mediet aliquod corpus; requiritur tamen medium intrinſecum, nempè caro, eo quod ſenſibile immediatè coniunctum ſenſui, ut ſæpè dictum eſt, impedit ſenſationem.

4 Dicimus 2. obiectum potentiæ tactivæ ſunt qualitates tangibiles, nempè quatuor primæ qualitates ſæpè numeratæ, & etiam aliquæ ſecundæ, ut durum, & molle; grave, & leve, lubricum, & aridum; aſperum, & lene, tenue, & craſſum, & alia huiuſmodi. Hæc concl. eſt communis, & prob. quia ſenſus tactus, ſicut & cæteri ſenſus, debet pro obiecto habere aliquod genus, aut ſpeciem ſenſibus qualitatis, à qua intentionaliter immutetur; ſed huiuſmodi

obiectum alia qualitas eſſe nequit, quam tangibilis, ſeu perceptibilis tactu; nulla enim alia ipſi tactui propria, & diſtincta à ſenſibilibus propriis aliorum ſenſuum, poteſt aſſignari; ergo obiectum tactus eſt qualitas tangibilis, &c. Ex quo deducitur, ſenſum tactus ſic deſcribi poſſe; *Eſt potentia vitalis materialis perceptiva qualitatis tangibilis tantum*. Quæ definitio explicari debet, ſicut & aliæ cæterorum ſenſuum manent explicatæ.

5 Dicimus 3. tactus ſolum percipit qualitates excedentes illas, quæ actu ſunt in organo, ſeu ſenſorio ipſius potentiæ tactivæ. Sic Ariſt. lib. 2. de An. cap. 11. text. 118. ubi ſic ait; *Simile calidum, atque frigidum, vel durum, aut molle non ſentimus, ſed exuperationes*. Et poſt pauca hæc ſubdit; *Sic & in tactu neque calidum, neque frigidum id actu ſit oportet, ſed utrumque potentia, quod utrumque eſt perceptuum*: g. ex mente Philoſophi organum tactus, ſicut & organa aliorum ſenſuum, tantum percipit in obiecto qualitates exuperantes connaturale ipſius organi temperamentum. Confirm. quia organum tactus, & quodvis aliud alterius ſenſus, ut eliciat ſenſationem, debet immutari a ſuo obiecto, & ab eo pati, ut ſæpè oſtenſum eſt; ſed non poteſt pati, aut recipere à ſuo obiecto illam qualitatem, quam ipſum organum actualiter habet, ſimile enim in omninò ſibi ſimile agere nequit, ut lib. 1. de Gener. & Corrupt. diſput. 6. quæſt. 3. probatum eſt; g. &c. Deinde conf. experientia; plus enim ſentimus aquæ frigiditatem, ſi hanc manu calida tangamus, quam ſi manu frigida; cuius experimenti nulla alia eſt ratio, niſi quod ſenſus tactus tantum percipit in tangibili exuperantias frigiditatis, quæ major eſt in aqua reſpectu manus calidæ, quam reſpectu manus frigidæ; g. &c.

6 Dicimus 4. ſenſus tactus ſpecificè differt à ſenſu guſtus. Sic Ariſt. 2. de An. cap. 11. & 3.

de hiſt. anim. cap.8.Prob. nam ex diverſitate objectorum formalium, cujuſmodi ſunt in præſenti quæ habent diverſum modum immutandi ſenſum infertur à poſteriori diverſitas eſſentialis ipſorum ſenſuum: ſed ſapor diverſo modo immutat guſtum, ac qualitas tangibilis immutat tactum: g. &c. prob. min. nam ſi eodem modo utrumque ſenſibile immutaret ſenſum, ſequeretur, quòd ſicut ſapor percipitur per guſtum, ſic etiam perciperetur per tactum; & ſicut qualitas tangibilis percipitur per tactum, ſic etiam perciperetur per guſtum: ſed hoc manifeſtè contradicit ipſi experientiæ; g. immutant diverſo modo, & conſequenter, &c.

7 Dubit. utrùm ſint plures ſpecies tactus? Reſp. negativè. Ratio eſt; nam (juxta Scotum in 2. diſt. 3. quæſt.8. §. *Ad argumenta, Verſ. Ad tertium*, lit. L.) ex determinato numero potentiarum debet colligi determinatus numerus organorum: ergo è contra, ex determinato numero organorum colligi debet determinatus numerus potentiarum: ſed organum tactus eſt tantùm unum: eadem enim parte corporis ſentimus calorem, & ſiccitatem, vel qualitates oppoſitas g. unica ſpecificè eſt potentia tactiva. Advertere hic oportet, nos in præſenti loqui de potentia tactiva ſubſtantiali, non autem de illa, prout includit diſpoſitionem qualitativam, per quam organum diſponitur ad recipiendum ſpecies ſenſibiles objecti tangibilis; in hoc enim ſenſu certum eſt potentiam tactivam ſpecie plurificari; ſiquidem alia eſt diſpoſitio pro receptione calidi, & frigidi, & alia pro receptione ſicci, & humidi. Cum quo poteſt reſponderi ad plura argumenta, & ad quamdam Scoti auctoritatem, quæ contra nos militare videtur.

8 Nec obſtat, quòd Ariſt. 2. de An. tex. 107. & 108. ex eo probat, eſſe plures ſenſus, quia unica potentia ſenſitiva eſt perceptiva unius contrarietatis: atqui tactus eſt perceptivus plu-

rium contrarietatum, nempè calidi, & frigidi, duri, & mollis, &c. ergo ſunt plures ſpecie tactus. Non quidem obſtat hoc; nam (præterquam quòd loquitur ibi Ariſt. non aſſertivè, ſed dubitativè tantùm, ut legenti textum patebit) tantùm intendit, quòd omnes illæ qualitates quoad eſſe reale, nequeant ad unam ſpecificè reduci; cum quo benè ſtat, quòd in eſſe ſenſibili intentionali (quo pacto illas reſpicit potentia tactiva) univocentur ſub ratione tangibilis qualitatis; quatenus ſcilicet omnes eodem modo ſenſum tactus intentionaliter immutant, ut dictum eſt.

9 Ex dictis colligitur, ſenſum tactus immutari à ſuo objecto, non phyſicè, ſed intentionaliter tantùm, nempè per ſpecies ſui impreſſas: quod apertè conſtat ex dictis pro objecto guſtus in fine quæſt. præced. Colligitur etiam, objectum potentiæ tactivæ non eſſe ſubſtantiam, ſed accidens pertinens ad prædicamentum qualitatis; quod adeò manifeſtum eſt, ut aliqua non indigeat probatione. Plura alia fortaſſis circa ſenſus externos deſiderabuntur; ſed quia parum neceſſaria, & ferè nil in ſcolis controvertibilia, atque quia apud RR. Scotiſtas, & alios facilè videri poſſunt, brevitatis ergo omittuntur in præſenti.

DISP. V.

De ſenſu interno, ſeu communi.

ACtis jam iis, quæ ad ſenſus externos, tam in communi, quàm in particulari, attinent, immediatè ſequitur agendum de his, quæ ad ſenſum internum ſpectant. Pro quibus ſit

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit ſenſus internus?

1 QUæſt. hæc ſupponit, & meritò, dari in ſenſitivis ſenſum internum, ſeu aliquam potentiam ſenſitivam internam diſtinctam ab externis. Sic Ariſt. 3. de Anim. cap. 7. text. 31. Scotus q. 9. de An. & in 4. diſt. 45. qu. 3. per totam, & communiter omnes Philoſophi. Cuius ſuppoſitionis ratio eſt; quia animalia in eodem ſubiecto diſtinguunt colorem à ſapore; ſed ſic non diſtinguunt per aliquem ſenſum externum: g. per internum. Mai. conſtat experientia; nam canis v. g. aliquando accurrit ad aliquam rem, putans, deceptus ipſius colore, eſſe cibum; quam tamen, cùm guſtaverit, relinquit. Prob. autem min. nam nequit aliqua potentia cognoſcere diſtinctionem inter aliqua duo, niſi utrumque apprehendere poſit, ſi enim unus homo v g. ſolùm cognoſceret album, & alius ſolùm nigrum cognoſceret; nec alter eorum ſolus], nec ambo ſimul poſſent percipere differentiam inter album, & nigrum, ut eſt per ſe notum; ſed nullus ſenſus externus poteſt ſe ſolo apprehendere ſaporem, colorem; quia nulla potentia adæquata ſuum obiectum tranſcendere poteſt; g: nullus ſenſus externus poteſt talia obiecta diſtinguere: ſed diſtinguuntur, ſeu diſcernuntur à brutis; ut manet oſtenſum: g. per ſenſum internum; & conſequenter datur hic in ſenſitivis. Quo ſuppoſito;

2 Præmittendum eſt pro clariori quæſt. intelligentia, ſenſum iſtum internum penes diverſas operationes, ſeu munera, quæ exercet, diverſis omnibus nuncupari. Dicitur enim *ſenſus communis*, quatenus percipit ſpecies intentionales omnium objectorum, quæ à ſenſibus exter-

nis percipiuntur, & per tales ſpecies illa obiecta ſentit, & diſcernit, cùm actualiter à ſenſibus externis ſentiuntur. Vocatur *phantaſia*, quatenus prædictas ſpecies conſervat, & per illas objecta ſenſuum externorum cognoſcit, adhuc cùm ab iſtis actualiter non percipiuntur. Appellatur *imaginativa*, quatenus ex obiectis cognitis poteſt componere aliquod tertium, ut cùm monte, & auro v. g. cognitis, ex illis componit, & imaginatur montem aureum; & per hoc diſtinguitur à phantaſia, quæ tantùm circa obiecta ſimplicia verſatur. Nuncupatur *æſtimativa*, quatenus ſimul cum obiectis ſenſatis percipit aliquas eorum affectiones à ſenſibus externis non ſenſatas; ut cùm v. g. ovis fugit lupum, non quia hic talis figuræ, aut coloris ſit; ſed quia apprehendit illum, ut ſibi noxium; & cùm avis colligit palleas, non quia ſint talis coloris; ſed quia illas apprehendit, ut utiles ad nidificandum; & cùm ſimul cum rebus ſenſatis apprehenduntur etiam ſenſationes, quæ ut ex dictis conſtat, à ſenſibus externis percipi nequeunt.

3 Dicitur *memoria ſenſitiva*, quatenus utitur ſpeciebus in ipſo ſenſu communi conſervatis ad cognoſcenda obiecta, quæ in tempore præterito fuerunt cognita, ſeu ſenſata, præſcindendo, ſeu non cognoſcendo connexionem alicuius alterius cirumſtantiæ, quæ ſimul cum tali obiecto tunc concurrit. Vocatur denique *reminiſcentia*, quatenus recordatur obiecti olim ſenſati, & ſimul connexionis alterius circumſtantiæ; ut v. g. cùm per ſenſum internum recordamur Ioannis, & alicuius, vel plurium circumſtantiarum, quæ in tali occaſione ſimul concurrerunt. Hoc præmiſſo, inquiritur in præſenti, an propter prænumerata munera diſtincta admittendi ſint plures ſenſus interni realiter diſtincti; an unicus, & realiter indiſtinctus? Pro qua difficultate.

Di-

4 Dicimus ad quæſt. ſenſus internus eſt unus realiter indiſtinctus, qui diverſis gaudet nominibus propter prædicta diverſa munera, quæ exercet. Hæc concluſ. eſt communis inter Scotiſtas. Prob. nam potentiæ non ſpecificantur, aut diſtinguuntur, niſi per actus adæquatos: ſed omnes actus, quibus ſenſus internus exercet quodcumque munus ex ſupra dictis, ſunt inadæquati: ergo per illos nequit ſenſus internus diſtingui, aut plurificari. Mai. conſtat ex dictis in lib. 1. diſput. 2. quæſt. 1. Min. verò prob. quia illi actus ſunt inadæquati, quorum obiecta formalia, conveniunt in aliqua ratione formali obiectiva, reſpectu illius potentiæ, cuius ſunt actus: patet hoc in viſione albi, & viſione nigri, quæ ſunt actus inadæquati reſpectu potentiæ viſivæ: ſed omnia obiecta prædictorum actuum ſenſus communis conveniunt in ratione communi ſenſibilis (ſumpto ly *communi* pro eo quòd ab omnibus ſenſibus externis ſigillatim percipi poteſt) quæ eſt ratio formalis, per quam ſenſus internus diſtinguitur ab externis: ergo tales actus ſunt inadæquati; & conſequēter ex pluralitate illorum non plurificatur ſenſus internus.

5 Confirm. nam ſi ob aliquam rationem eſſent admittēdi plures ſenſus interni realiter diſtincti, maximè propter diverſitatem prædictorum munerum, ſeu operationum: ſed talia munera, ſeu operationes poſſunt provenire ab eadem realiter indiſtincta potentia: g. &c. Prob. min. hac paritate: potentia intellectiva eſt in ſe una realiter indiſtincta; & nihilominus eſt principium diverſarum operationum, nempe apprehenſionis, judicii, & diſcurſus. Similiter voluntas eſt una realiter indiſtincta potentia, & tamen eſt principium amoris, & odii, quæ ſunt diverſæ operationes: g. nulla eſt ratio ponendi plures ſenſus internos realiter diſtinctos. Obſervandum hic eſt, quòd tales actus ſenſus interni po-

R 6 ſunt

ſunt dici ſpecie diſtincti; licèt enim conveniant in ratione communi, ſub qua ſua obiecta attingunt; reſpiciunt tamen illa diverſo modo, ut eſt notum. Hoc exemplificatur in cognitionibus intuitiva, & abſtractiva, quæ licet idem obiectum reſpiciant, & ab eadem potentia proveniant, ſpecie tamen differunt ob diverſum modum attingendi illud, nempe intuitiva attingit obiectum, ut præſens, & exiſtens eſt; abſtractiva autem à tali præſentia, & exiſtentia obiecti præſcindit.

6 Arg. 1. ſenſus communis facilè recipit ſuorum obiectorum ſpecies, & difficulter illas conſervat; phantaſia autem difficulter recipit illas, & facile conſervat: g. exigunt diverſas diſpoſitiones in ſuis organis; ac proinde in eodem organo eſſe nequeunt: ſed hoc arguit realem diſtinctionem potentiarum: g. &c. Reſpond. neg. conſeq. quòd enim ſenſus communis facilè recipiat, & difficulter conſervet; è contra autem phantaſia, provenit ex eo quòd peculiare munus ſenſus interni, penes quod denominatur ſenſus communis, tantùm eſt actualiter recipere ſpecies intentionales omnium obiectorum, quæ à ſenſibus externis percipiuntur, & per illas talia obiecta ſentire, & diſcernere: munus autem ſpeciale ſenſus interni, penes quod denominatur phantaſia, tantùm eſt prædictas ſpecies conſervare, & per illas cognoſcere obiecta ſenſuum externorum, adhuc cum talia obiecta præſentia non ſunt: cùm igitur hæc munera ſint actus inadæquati reſpectu ſenſus interni, hinc eſt, quòd non inferunt in illo diſtinctionẽ quoad eius intrinſecam entitatem, ſed tantùm quoad extrinſecam connotationem. Unde falſum omninò eſt, hoc provenire ex diverſis organorum diſpoſitionibus. Ex quo patet, poſſe abſolutè negari ſuppoſitum antecedentis, vel hoc debere explicari iuxta dicta in præallata noſtra reſponſione.

7. Arg. 2. in aliquibus animalibus reperitur

ſen-

ſenſus communis ſine memoria; g. ſaltim iſtæ potentiæ realiter diſtinguuntur. Reſp. omiſſo anteced. diſtinguendo conſequens: diſtinguuntur ſecundum rationes formales ut ſic, neg. ſecundum rationes peculiares alicuius ſenſus communis, & alicuius memoriæ, concedo conſeq. Non ergo dubitamus, quòd ſi in aliquo animali poſſit eſſe ſenſus communis abſque omni prorſus memoria, talis ſenſus communis realiter diſtinguatur à memoria, ſed quod vertitur in dubium eſt, an ſenſus communis in eodem animali ſimul cum memoria exiſtens realiter ab illa diſtinguatur? Cuius negativam partem nos tuemur. Quòd prædicta conſeq. non benè inferatur ex illo anteced. patet ex eo quòd licèt animalitas poſſit eſſe in aliquo animali abſque rationalitate, non benè infertur, quòd animalitas, & rationalitas in homine ſint realiter diſtinctæ, ut eſt manifeſtum.

8 Arg. 3. ſæpè in eodem animali læditur una potentia ſenſitiva, altera illæſa manente: ex hoc enim oritur, quòd abſque aliquo defectu in ſenſu communi, memoria aliquando deterior reddatur, & aliquando penitus deperdatur; g. tales potentiç realiter diſtinguuntur. Reſp. conceſſo anteced. neg. conſeq. quòd enim memoria deterior reddatur, manente ſenſu communi in tota ſua perfectione, provenit ex eo quòd requirantur aliquæ diſpoſitiones ad exercendum actus memoriæ v. gr. quæ ad exercendum actus ſenſus communis non requiruntur. Unde poteſt potentia manere integra in ſua intrinſeca entitate, & tamen aliquos proprios actus non exercere, ob defectum alicuius extrinſeci ei, uti ſunt tales diſpoſitiones, quæ ſive inſint tali potentiæ, ſive non, non immutant intrinſecam eius entitatem.

9 Dub. quodnam ſit organum ſenſus interni? Reſp. eſſe cerebrum. Ratio huius eſt experientia ipſa ex qua conſtat, quod læſo capite minus ha-

babiles ſumus ad eliciendos actus ſenſus interni; & etiam conſtat, quòd qui vehementer ſpeculantur, potiùs capite, quàm corde, aut alia parte, dolere ſolent: g. ideò eſt, quia huiuſmodi operationes producuntur in capite, non autem in corde, aut alia corporis parte. Confirm. quia (ut ex anatomia conſtat) ex ſingulis ſenſibus externis tendunt ad cerebrum quidam nervi, qui communiter appellantur ſenſorii, per quos ſpecies impreſſæ vehuntur: ſed prædicti nervi non ducuntur ad cor, ſed in cerebro ſiſtunt: g. ideò eſt, quia tales ſpecies non deſerviunt alicui potentiæ internæ exiſtenti in corde, ſed exiſtenti in cerebro; & conſequenter, &c.

10 Argum. cont. hoc, ex Philoſ. pluribus in locis, ſenſus interni reſident in corde: g. &c. Confirm. nam cor eſt principium vitæ: erg. in illo ſenſus interni reſidere debent. Reſpond. ad arg. ideò Philoſophum docere, ſenſus internos reſidere in corde, eo quòd habent dependentiam à ſpiritibus vitalibus generatis in corde, & ab hoc communicatis ſenſibus internis. Ad confirm. reſp. quòd aliud eſt eſſe principium vitæ ſenſitivæ, & aliud eſſe principium nutritivæ; fatemur ergo libenter, quòd principium vitæ nutritivæ principaliter reſideat in corde; negamus tamen, quòd principium vitæ ſenſitivæ in illo reſideat.

QUÆSTIO II.

Quodnam ſit objectum ſenſus interni?

1 PRo deciſione quæſt. præmittendum eſt, quòd obiecta, quæ percipere poteſt ſenſus internus, alia dicuntur ſenſata, alia inſenſata. Obiecta ſenſata ſunt, quæ immediatè, directè, & per ſe percipiuntur à ſenſibus externis. Huiuſmodi ſunt omnia ſenſibilia propria, & etiam

etiam communia. Inſenſata ſunt, quæ ab externis ſenſibus non attinguntur, ſed à ſolis internis. Huiuſmodi ſunt ſenſationes externæ, & internæ, affectiones rerum ſenſibilium, & privationes, in hypotheſi, quod hæc omnia à ſenſu interno cognoſcantur. Prima obiecta dicuntur ſenſata, eo quod à ſenſu interno non percipiuntur, niſi prius ab aliquo ex externis ſentiantur. Secunda autem vocatur inſenſata, eo quod tantùm immediatè, & primò à ſenſu interno percipiuntur; non tamen ab aliquo ex externis. Quo præmiſſo, inquiritur in præſenti, an ſenſus internus, nedum obiecta ſenſata, verùmet inſenſata percipere poſſit? Cui difficultati per ſequentes concluſiones faciemus ſatis. Igitur.

2 Dicimus 1. ſenſus internus poteſt percipere obiecta ſenſuum externorum; non tamen percipit primis actibus affectiones inſenſatas eorum, ut convenientiam, aut diſconvenientiam, & alias huiuſmodi. Hæc concl. quoad 1. p. patet ex dictis in hac diſp. q. 1. num. ubi oſtendimus, dari ſenſum internum, eo quòd animalia diſcernunt inter omnia ſenſibilia externa; g. neceſſariò fundum eſt, ſenſum internum percipere obiecta ſenſuum externorum. Quoad 2. p. (quam expreſsè tenet Scotus in 1. diſt. 3. q. 2. §. *Quinto dico*, lit. F.) prob. ſic: nam ovis v. g. videndo lupum, vel perciperet per ſenſum internum inimicitiam, aut diſconvenientiam per ſpeciem ſenſibilem ipſius lupi, vel per aliam ſpeciem, vel ſine ſpecie nulla? non hoc ultimum; nam ad quamcumque cognitionem, & præſertim ſenſitivam, requiritur, quòd obiectum cum potentia concurrat media aliqua ſpecie. Neque ſecundùm; quia non eſt aſſignabilis aliqua cauſa à qua talis alia ſpecies ſive realiter, ſive modaliter à ſpecie ſenſibili diſtincta produci poſſit. Nec denique primum; quia ſpecies ſenſibilis lupi eiuſdem rationis eſt, ut eſt in ove &

g. ſi eſt repræſentativa lupi, prout diſconvenientis, non ſolùm illum ſic repræſentabit ovi, ſed etiam alteri lupo: ſed hoc eſt falſum, ut ipſa experientia oſtendit: ergo ſenſus internus non percipit primis actibus convenientiam, aut diſconvenientiam, vel alias affectiones inſenſatas obiectorum ſenſuum externorum.

3 Notanter diximus, *primis actibus*, nam eſt omninò certum, quòd poſt aliquam experimentalem notitiam alicuius obiecti, poſſunt animalia apprehendere talis obiecti convenientiam, vel diſconvenientiam. Hoc patet exemplo canis, qui fugit hominem manu baculum tenentem, eo quòd ab illo aliquando fuit percuſſus; appetit etiam cibum, cuius delectationem aliquando percepit, quærit illum, & redit iterùm ad eumdem locum, in quo aliquando talem cibum invenit; ſed hoc facit beneficio memoriæ retinentis ſpecies tam obiecti ſenſibilis, quàm ſenſationis, & delectationis, per quas ſpecies poteſt ſenſus internus, vel æſtimativa percipere modo ſibi proportionato, convenientiam, vel diſconvenientiam obiecti: g. &c.

4 Dicimus 2. ſenſus internus percipit aliquomodo privationes, & negationes; ſed non per proprias earum ſpecies. Sic colligitur ex Scoto in 1. diſt. 3. q. 3. §. *Quantum ad ſecundum, verſ. Secundum rationem*, lit. K. Prima pars concluſ. patet ex eo quòd verè concipimus, ſeu percipimus nos non videre in tenebris, imò & animalia bruta percipiunt carentiam filiorum, proptereàque magnum ſentiunt dolorem; g. ſenſus internus percipit aliquo modo negationes, & privationes. Prob. 2. p. concl. quia non eſt aſſignabilis aliqua cauſa productiva talis ſpeciei; g. non datur talis ſpecies. Prob. antec. nam ipſa negatio nequit illam cauſare, ut patet, cùm ſit non ens; ac proinde nihil poteſt cauſare. Deinde nec illam cauſare poteſt for-

ma

ma poſitiva oppoſita; lux enim v. gr. vel illius ſpecies, non poteſt producere ſpeciem, quæ repræſentet tenebras; ſiquidem nullum oppoſitum eſt productivum ſui oppoſiti. Nec denique poteſt ſenſus internus ab illis abſtrahere talem ſpeciem, tum quia non eſt agens; tum etiam quia huiuſmodi ſpecies nequit virtualiter contineri in illis: g. ſenſus internus non percipit privationes, & negationes per proprias ſpecies.

5 Reſtat ergo, quòd tales privationes percipiat quodam actu quaſi diviſivo, per formam oppoſitam, aut eius ſpeciem, ut loquens de cognitione intellectiva, docet Scotus in 1. diſt. 23. quæſt. un. §. *Item arguo ſic*, litt. D. Quod manifeſtum fiet hoc exemplo: ſpecies vituli v. g. exiſtens in memoria vaccæ movet ſenſum internum iſtius ad cognitionem illius, & appetitum ad amorem; cùm ergo vitulus abeſt, quia non adeſt cognitio viſiva in oculo vaccæ, percipit inde ſenſus internus iſtius vitulum non eſſe præſentem, ſeu eſſe abſentem. Unde ſenſus internus non tendit immediatè in negationem; quia ſi numquam habuiſſet cognitionem formæ poſitivæ oppoſitæ, non perciperet ipſam negationem: v. gr. ſi vacca nunquam percepiſſet vitulum, neque poſſet apprehendere carentiam illius, cùm abeſt; percipit igitur vitulum per ſpeciem illius in memoria relictam; abſentiam autem illius percipit, quatenus percipit, non habere actualem viſionem illius, quam prius habuit. Quod non eſt intelligendum formaliter, ita ut advertat rationem futuri, præſentis, vel præteriti; ſed tantùm materialiter, & quodam modo confuſo.

6. Dicimus 3. ſenſus internus percipit actus non ſolùm ſenſuum externorum, ſed & appetitus ſenſitivi, & proprios ipſius actus. Sic deducitur ex Scoto in 4. diſt. 45. qu. 3. §. *Circa iſtam quæſt.* ubi licet problematicè procedat, in noſtram

ſtram tamen concl. magis inclinat. Prob. 1. par. nam oculari experientia conſtat; etiam bruta animalia, aliquando quærere illa, quæ amiſerunt in eodem loco, in quo prius illa inveniebant; ſed hoc manifeſtè denotat, quòd recordantur, ſe in illo loco vidiſſe objectum, & de illo delectationem percepiſſe; cujus ex deſiderio moventur ad inquirendum illa: g. &c. Deinde etiam aliquando appetunt aliquos actus externos elicere: g. eorum appetitus movetur ex cognitione illorum actuum, ut convenientium: atqui hujuſmodi cognitio non poteſt eſſe alterius potentiæ, quàm internæ ſenſitivæ: g. hæc percipit actus ſenſuum externorum.

7 Hic tamen eſt advertendum, quòd hujuſmodi actus percipiuntur à ſenſu interno ſpeciebus diſtinctis ab illis, quibus ipſa objecta percipiuntur. Ratio eſt, quia diverſa obiecta diſtinctis ſpeciebus neceſſariò debent cognoſci: ſed obiecta ſenſuum externorum, & actus, quibus percipiuntur, ſunt obiecta omninò diverſa, ut eſt per ſe manifeſtum; g. ſpecies, quibus actus ſenſuum externorum à ſenſu interno percipiũtur, ſunt diſtinctæ à ſpeciebus, quibus percipiuntur ipſa obiecta.

8. Probantur 2. & 3. p. præiactæ concl. quia, ut inquit Scotus quæſt. 9. de Anim. imaginatio ſæpè ſentit proprium actum; nam imaginamur, nos imaginatos fuiſſe: memoramur, nos fuiſſe memoratos; & ſomniamus, nos ſomniare: ſed huiuſmodi actus non eliciuntur à ſenſu externo, ut patet; neque ab intellectu; quia recordatio ſæpè repetita cadit etiam ſupra actum præteritum recordationis; & cùm ſomniamus, nos ſomniare, certum eſt, illud ſomnium, quod eſt actus ſenſus interni, cadere ſupra hoc aliud ſomnium, quod etiam eſt actus potentiæ ſenſitivæ internæ: g. ſenſus internus percipit proprios ſuos actus. Idem patet de cognitione actuum appetitus ſenſitivi; dubitari enim nequit

quit, quod bruta poſſunt aliquando appetere delectationem ſenſitivam internam, ſed talis actus appetendi neceſſariò ſupponit cognitionem illius, quod appetitur: g. &c.

9 Si autem inquiratur, à quo producatur ſpecies media, qua ſenſus internus ſuos proprios actus cognoſcit, reſpond. talem ſpeciem produci ab ipſis actibus in eadem potentia ſenſitiva. Nec obſtat, quod hoc non contingat in aliis potentiis ſenſitivis; viſio enim non cauſat ſpeciem ſui in potentia viſiva à qua elicitur, ſed tantum in ſenſu communi; & idem evenit in reliquis potentiis ſenſitivis. Non quidem obſtat hoc; nam licet in potentiis ſenſitivis externis hoc non contingat, non ob hoc denegandum eſt potentiæ internæ, tum quia hoc efficaciter perſuadent ipſæ experimentales coniecturæ; tum quia intra ordinem potentiæ ſenſitivæ, interna primatum, & principatum tenet. Argum. quæ contra præjactas concluſiones fieri poſſunt, ommittimus, & quia, noſtris rationibus benè perceptis, illa non multum urgent, & quia apud RR. præſertim noſt. Maſt. tom. 3. diſp. 5. quæſt. 8. art. 2. ſubtiliter enodata invenientur.

10 Dubit. utrum potentia ſenſitiva interna judicare, & diſcurrere poſſit? Reſpond. negativè. Ratio eſt, quia talis potentia tantum percipit (præter ea, quæ in præcedentibus concluſionibus ſtatuebamus) illa, quæ ſunt obiecta ſenſuum externorum: ſed proportio prædicati cum ſubiecto, cuius cognitio neceſſario requiritur ad judicium, & proportio conſequentis cum antecedenti, cuius cognitio etiam requiritur ad diſcurſum, nequeunt eſſe obiecta ſenſuum externorum: erg. neque potentiæ ſenſitivæ internæ. Prob. min. quia eiuſmodi proportio eſt relatio, ut nullus dubitat; ſed relatio non eſt obiectum alicuius ex ſenſibus externis, cum neque ſit ſenſibile

pro-

proprium, neque commune; erg. &c. Co
nam ad judicium requiritur cognitio forn
connexionis prædicati cum ſubiecto; & a
ſcurſum, cognitio connexionis illativæ c
quentis cum antecedenti; ſed talium conn
num cognitio ſupergreditur vires cuiuslib
tentiæ ſenſitivæ, ut per ſe conſtat; g. poter
ſenſitiva interna nec judicare, nec diſcurr
valet.

11 Arg. contr. hoc, Proverb. 6. dicitur;
ad formicam, ò piger, & diſce ſapientiam; ſe
huiuſmodi ſapiētiam neceſſario requirunt
dicium, & diſcurſus; ergo hæc reperiuntu
ſenſitivis; & conſequenter, &c. Confir. rat
nam intellectus pro hoc ſtatu pendet in ſu
ratione à ſenſu; g. judicium, & diſcurſus in
ctus pendet à judicio, & diſcurſu alicuius ſ
ſed non externi, ut patet: erg. ſaltim inter
conſequenter, &c. Reſp. ad argum. neg. c
nam Scriptura ſolum ibi monet, quod ex p
dis operationibus formicę inſtinctu patrat
ſumus nos depromere ſapientiam; ſeu uti
cognitionem, ut noſtras operationes provi
rigamus. Ad conf. diſting antec. intellectu
det à ſenſu, in receptione ſpecierum, conc
ipſa ratione formali judicii, aut diſcurſus
ant. & conſ. Igitur cū nihil ſit in intellectu
fuerit prius in ſenſu, conſequenter nullu
jectum incomplexum intellectus pro ho
cognoſcit, quod prius à ſenſu non fuerit
ptum; ſemel autem recepta illius ſpecie in
lectu, jam omnes iſtius actus ſunt omnino
pendentes à ſenſu.

D

DISP. ULTIMA.

De appetitu ſenſitivo.

PRo complemento eorum, quæ ad animam ſenſitivam, ut talem, ſpectant, ſolum de illius appetitu reſtat agendum. Pro quo ſit.

QUÆST. UNICA.

Quid, & quotuplex ſit appetitus ſenſitivus, quodnamque eius obiectum, & ſubiectum?

1 PRo huius quæſt. intelligentia præmittendum eſt, quod in ea non agimus de appetitu innato, qui non eſt, niſi quædam naturalis inclinatio, ſeu propenſio rei in ſuam perfectionem, conveniens tam animatis, quam inanimatis, ut materiæ, quæ huiuſmodi appetitu inclinatur ad formas: ſed loquimur de appetitu elicitivo, nempe illa potentia ſenſitiva à qua animalia proſequuntur bonum ſenſibile eis propoſitum per ſenſitivam cognitionem: & fugiunt eiuſmodi malum, ſimiliter illis propoſitum. Quem appetitum dari in nobis, & etiam in animalibus irrationalibus, ipſa experientia evidenter oſtendit: experimur enim tam nos, quam illa quadam vi interna ſenſitiva proſequi bonum ſenſibile, & malum ſenſibile fugere. Ex quo conſtat, & amplius ex dicendis conſtabit, dari appetitum huiuſmodi ſenſitivum. Quo præmiſſo.

2 Dicimus 1. pro 1. p. quæſt. appetitus ſenſitivus eſt, *vitalis facultas effectu, ſeu inclinatione affectiva tendens in obiectum cognitione ſenſitiva apprehenſum*. In hac definitione communiter conveniunt Phil. quæ, ut quid ſit talis appetitus, conſtet, ſic explicatur. Ponitur in

illa

illa ly, *vitalis facultas*, loco generis; per hoc enim convenit appetitus ſenſitivus cum omnibus potentiis cuiuslibet animæ. Cæteræ particulæ gerunt vicem differentiæ; nam per ly, *affectu, ſeu inclinatione affectiva tendens in obiectum*, diſtinguitur ab illis potentiis ſenſitivis, quæ; abſque aliquo effectu in ſua objecta tendunt. Per poſteriora denique verba, ſcilicet, *cognitione ſenſitiva apprehenſum*, ſecernitur appetitus ſenſitivus ab appetitu rationali, nempè voluntate; hæc enim non tendit in objectum cognitione tantùm ſenſitiva apprehenſum, ſed perceptum intellectiva cognitione. Ex hac appetitus ſenſitivi definitione, ipſius explicatione, ſatis conſtat 1. p. quæſtionis.

3 Dicimus 2. pro 2. p quæſt. appetitus ſenſitivus eſt unus realiter, qui quatenus proſequitur delectabilia per ſenſum apprehenſa, dicitur concupiſcibilis; quatènus autem reſpicit bonum laborioſum, aſperum, & difficile, tenditque ad repellendas difficultates, quæ obiiciuntur, ut bonum apprehenſum aſſequatur, dicitur iraſcibilis. Hæc concluſ. eſt valde conformis principiis Scoti, qui in 3 diſt. 24. quæſt. unic. § *Contra illam opinionem*, *verſ. Contra tertiam rationem*, ante litt. C. impugnans quamdam ſententiam Henrici, hæc habet verba; *Cuius eſt concupiſcere obiectum honeſtum, eius eſt fugere obiectum inhoneſtum; igitur concupiſcibilis eſt pugna*. Et licet in 3. diſt. 34. quæſt. unic. §. *Notandum ulterius*, *verſ. Quarum diſtinctio*, litt. F. oppoſitum videatur tenere; non tamen revera ſic eſt, ut videbimus infra.

4 Prob. concluſ. ſic; nam unus eſt realiter ſenſus internus, pro pluribus; & valde diverſis actibus, ut in præced. diſp. oſtendebamus; erg. & unus realiter debet eſſe appetitus ſẽſitivus exercens diverſos actus, repellendo ſcilicet ſibi noxia, & amplectendo, ſeu proſequendo ſibi convenientia. Patet conſeq. à paritate, & quia fun-

damentum oppoſitæ ſententiæ ad ſtatuendos plures appetitus ſenſitivos realiter diſtinctos, eſt realis multiplicatio ſenſuum à contrariis adſtructa; à nobis tamen non admiſſa.

5 Confirm. nam actus concupiſcibilis, & actus iraſcibilis ſub eodem motivo, formalique ratione tendunt in objecta; erg. ſunt actus ejuſdem realiter potentiæ. Patet conſeq. ex dictis diſp. præced. quæſt. 1. num. 4. & 5. Prob. autem antec. nam ideò appetitus per actum iraſcibilis propellit noxia, quia ſibi vult proficua, & convenientia; & ideò per actum concupiſcibilis proſequitur, ſeu amplexatur delectabilia, quia vult ſibi utilia, & convenientia; erg. idem motivum, & eadem ratio formalis bonitatis ſibi utilis, & convenientis eſt, ſub qua appetitus movetur in utrumque objectum, videlicet in noxium, fugiendo illud, difficultateſque ab eo objectas vincendo; & inconveniens; ſeu delectabile illud amplectendo, ſeu proſequendo. Ex quo deducitur, quod arduitas, ſeu difficultas, circa quam immediatè verſatur iraſcibilis, non ſe habet, ut ratio formalis motiva in objecto appreheñſo; ſed illius repulſio ſe habet, ut medium ad conſecutionem objecti convenientis; unde patet, quod à tali arduitate, aut ab eius repulſione nequit ſpecificari appetitus; ſiquidem eadem realiter potentia eſt, quæ tendit in finem, & in media ad conſequendum illum. Qua doctrina plures contrariorum objectiones ſolvi poſſunt.

6 Verba Scoti 2. loco allegato, *verſ. Patet autem*; ante litt. H. quæ præjactæ concluſioni opponi videntur, hæc ſunt; *Ex hoc ſequitur, quod iraſcibilis, & concupiſcibilis in parte ſenſitiva habent diverſa organa: quia idem non poſſet moveri ſimul diverſis motibus talibus*: ſed diverſa organa neceſſariò arguunt diverſas potentias ſenſitivas: erg. concupiſcibilis, & iraſcibilis arguunt appetitus realiter diſtinctos. Hoc ta-

tamen Scoti verba noſtræ concluſioni null
nus opponuntur; nam ibi Subtil. Doct. ta n
intendit, quod diverſæ diſpoſitiones requi
tur in illa parte organi, per quam potenti
-petitiva ſenſibilis exercet actus concupiſce
ac requiruntur in alia parte eiuſdem organ
quam exercet actum iræ: ex hac tamen
doctrina non infertur, concupiſcibilem, &
ſcibilem eſſe potentias appetitus realiter di
ctas. Sicut enim optimè ſtat, quod orga
appetitus ſenſitivi habeat partes extenſioni
liter diſtinctas, & tamen ſit unum realiter
num, eo quod tales partes non ſunt ad inv
diſcretæ, ſed inter ſe continuatæ; ſic ſimi
optimè ſtat, quod potentia appetitiva ſenſ
habeat diſtinctas partes extenſionis, corre
dentes partibus extenſionis organi, & tam
eadem realiter potentia, eo quod illius p
diſcretæ non ſint, ſed inter ſe realiter c
nuatæ.

8 Dicimus 3. obiectum adæquatum,
tale appetitus ſenſitivi prout involvit pote
tam concupiſcibilem, quam iraſcibilem
bonum delectabile, & conveniens, ac n
noxium, & inconveniens. Prob. concluſ.
illud eſt obiectum adæquatum alicuius po
in quod hæc per ſuos actus tendere poteſt
appetitus ſenſitivus poteſt tendere, tam in
ctabile, & conveniens, quam in noxiu
inconveniens, ut ex dictis conſtat; erg u
que eſt adæquatum illius objectum. Hoc
confirmari paritate potentiæ intellectivæ
tivæ, &c. Obſervandum hic eſt, quoc
amor circa bonum conſequendum vocatu
derium, & circa bonum iam conſecutum
tur complacentia, ſeu gaudium: ita odiu
ca malum imminens, ſeu futurum, dicitur
& circa malum præſens dicitur triſtitia.
appetitui ſenſitivo modo convenienti eſt
candum.

8 Dicimus 4. ſubiectum, ſeu organum appetitus ſenſitivi eſt cerebrum. Sic videtur ſupponere Scotus ſupra allegatus diſtinct. 34. ante litt. H. Prob. nam affectus ſenſitivus movetur ſenſatione ſenſus communis; ſed ſenſatio ſenſus communis reſidet in cerebro, ut diſput. anteced. quæſt. 1. num. 9. dicebamus; erg. & ipſe appetitus ſenſitivus. Prob. mai. nam talis appetitus non movetur per aliquam ſpeciem: hoc enim eſt proprium potentiæ perceptivæ, ſeu cognoſcitivæ. Neque ſe ipſum adæquatè movet: alioquin non indigeret ſenſatione: erg. ſi dependenter ab iſta movetur, ipſe appetitus ſubjectari debet ubi ipſa ſenſatio ſubjectatur; & conſequenter, &c. Ubi oportet obſervare, quod cum in Sacra Scriptura dicitur; *De corde exeunt cogitationes*. Et, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* per priora verba nomine cordis denotatur ipſa anima; & per poſteriora intenſus affectus in unum objectum, nempè Deum, unitus, ideòque ibi additur: *Ex totis viſceribus tuis.*

9 Dubit. an appetitus ſenſitivus ſubdatur imperio voluntatis politicè, an diſpoticè? Pro huius dub. reſolut. notandum eſt, quod eſt duplex imperium unius reſpectu alterius, unum ſcilicet politicum: ſeu civile, quo aliquis dominatur aliquorum, qui habent poteſtatem reſiſtendi, & non obediendi, quale eſt imperium Regis in ſubditos; & aliud diſpoticum, ſeu ſervile: ut cùm ille, cuius alter dominatur, non habet facultatem reſiſtendi, & non obediendi. Quo notato.

10 Reſp. ad dub. appetitum ſenſitivum ſubdi voluntati non diſpoticè, ſed politicè tantùm. Ratio huius eſt, nam appetitus poteſt non obedire voluntati, imò & facere oppoſitum; erg. ſolum politicè ſubditur illi. Prob. antec. nam ſæpè experimur in nobis aliquos mo-

tus, & inclinationes ſenſuales contra noſtram voluntatem, iuxta illud Apoſt. ad Roman. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Et ad Galat. 5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, &c.* g. poteſt appetitus ſenſitivus non obedire voluntati, & oppoſitum facere; conſequenterque, &c. Ex quo nullatenus infertur, appetitum ſenſitivum eſſe liberum, ſed quod ſit adeo vehemens oſtenſio delectabilitatis obiecti, ut non ſinat ſenſum averti ab illa per rationem, & ſicut quandoque equus indomitus non obedit ſeſſori (hic enim reſpectu illius tantùm imperium diſpoticum habet) & tamen ex hoc non ſequitur, equum eſſe liberum: ita dicendum eſt, cùm appetitus ſenſitivus non obtemperat voluntati.

LIBER TERTIUS
DE ANIMA.

PEractis in præcedentibus iis, quæ ad animam, tam vegetativam, quam ſenſitivam, prout tales, pertinent, de anima intellectiva, ſeu rationali, quæ longè nobilior eſt aliis, pro coronide totius huius Tractatus, diſputandum venit. Igitur ſit.

DISPUT. I.

De anima intellectiva, ſeu rationali.

CUm ex ſup. dictis, tam in Præludio ad hos lib. præmiſſo, quàm in duabus diſput. immediatè poſt illud propoſitis, ſatis conſtent ea, quæ ad animam rationalem ſecundùm ſe, ſive ſecundùm rationem communem, ſive ſecundùm rationem peculiarem, attinent; & etiam ex ibi dictis pateat, quid dicendum ſit circa identitatem talis animæ cum ſuis potentiis, & cu juſvis iſtarum cum aliis ejuſdem animæ comparatæ; ideò in præſentiarum de pluribus difficultatibus, quæ circa ipſas animæ rationalis potentias, ab AA. exagitari communiter ſolent, à nobis etiam eſt diſputandum. Et cùm ordine naturæ, tam in eſſendo, quàm in operando, præcedat voluntatem intellectus, priùs de hoc, ac illius actibus, quàm de voluntate, habebimus ſermonem. Pro illo ergo ſit

QUÆSTIO I.

Quot, qualiaque ſint munera tam intellectus agentis, quàm poſſibilis?

1 PRæſens quæſtio unum ſuponit, & alterum inquirit. Supponit enim, dari intellectum agentem. Quod ſuppoſitum eſt commune omnium Philoſophorum placitum, cum quibus conſentit noſter Subtilis Doctor in 1. diſt. 3. quæſt. 6. §. *Secundùm tertiam viam, verſ. De ſecundo membro*, ante litt. F. & alibi ſæpè, Cujus ſuppoſiti ratio eſt, quia in omni re, quæ non eſt ſemper in actu, ſed aliquando in potentia, & aliquando in actu, neceſſario ponenda eſt, ſeu concedenda aliqua entitas,

per quam ſit in potentia, & aliqua entitas, aliquod munus, per quod intelligatur e actu: ſed Anima rationalis non eſt actu per objecta intelligibilia, hoc eſt, no ſemper actu informata ſpeciebus talium ctorum; ſed quandoque in actu, & qua que in potentia, ut per ſe notum eſt: erg. per illam entitatem, per quam tantùm e potentia, ſeu potens recipere ſpecies int gibiles objectorum, concedenda eſt aliqua titas, ſeu aliquod munus, per quod ſi actu: ſed hujuſmodi eſt intellectus agen quo producuntur ſpecies intelligibiles in intellectu, ut poſſibili, ut ex dicendis pat erg. &c.

2 Hinc non erit difficile agnoſcere, qui intellectus agens, quidque intellectus poſ lis, ſeu paſſibilis ſit. Eſt ergo intelle agens quædam facultas effectiva, ſeu pro ctiva ſpecierum intentionalium objecto exiſtentium in phantaſmate; intellectus poſſibilis, ſeu paſſibilis eſt quædam facu Animæ, qua mediante, poteſt cognoſcere jectum per ſpiritualem cognitionem, cuju productionem concurrunt ſpecies intellig les, quæ producuntur per intellectum ag tem; his enim ſpeciebus fecundatus intelle poſſibilis, conſtituitur in actu primò potens cere cognitionem.

3 Contra præjactum tamen ſuppoſitum guit Durandus ſic; nullus datur ſenſus age erg. neque intellectus agens. Antecedens omnibus admittitur, & conſequentia tene paritate rationis. Confirmatur, nam eate eſſet neceſſarius intellectus agens, quatenus ſenſibiles, & materiales efficerentur ab eo telligibiles, & ſpirituales: ſed nequit intel ctus, cùm ſpiritualis ſit, agere in res ſenſi les, & materiales, erg. talis intellectus n eſt neceſſarius; & conſequenter, &c. Reſpo

ad

ad argumentum neg. conſeq. Ratio diſparitatis inter ſenſum, & intellectum eſt, quòd cum objectum ſenſibile ſit per ſe proportionatum ſenſui, utpotè materiale cum materiali, ideò non eſt neceſſarium conſtituere in illo ſenſum agentem ad productionem ſpecierum, quæ cum ipſo proportionentur; at, cùm objectum ſenſibile, & materiale proportionatum non ſit potentiæ ſpirituali, uti eſt intellectus, ideò neceſſarius eſt intellectus agens, à quo ſimul cum phantaſmate ſpecies ſic proportionata producatur. Ad confirmationem reſp. quòd ad hoc, ut intellectus agens producat ſpecies intelligibiles objectorum materialium relucentium in phantaſia, non eſt neceſſarium, illum aliquid agere in phantaſmata, ſed, quòd ſimul cum his concurrat ad productionem talium ſpecierum intelligibilium, ut dicemus infrà.

4 Argum. 2. ſi intellectus agens produceret ſpecies intelligibiles in intellectu paſſibili, ille eſſet præſtantior iſto; nam omne agens præſtantius, & nobilius eſt patienti: ſed omninò falſum eſt, intellectum agentem eſſe nobiliorem paſſibili: g. Confirm. nam in Angelo, licet ſit ſpiritualis ſubſtantia, ut etiam eſt anima rationalis, non datur intellectus agens: g. neque in anima rationali dari debet. Reſp. ad argum. concedendo libenter majorem, conſiderato intellectu paſſibili, quatenus præcisè paſſibilis, & receptivus eſt ſpecierum intelligibilium, quæ ab agente producuntur; in hoc autem ſenſu falſa eſt min. cùm ut ſic nobilior ſit intellectus agens, quàm paſſibilis; iſte tamen conſideratus, quatenus ſimul cum ſpecie intentionali, ſeu intelligibili elicit intellectionem, longè perfectior eſt, quàm intellectus agens; dubitari enim nequit, actionem elicitivam intellectionis eſſe perfectiorem actione productiva tantùm ſpeciei intelligibilis. Unde ſemper

intellectus paſſibilis abſolutè dicendus eſ
ſectior agente.

3 Ad confirm. neg. abſolutè antec. o
tum enim expreſſe docet Scotus in 2. diſti
quæſt. 11. §. *Contra ex eiſdem*, litt. A. Datu
dem in Angelis intellectus agens; nam po
activa, quæ ex ſe non involvit imperfectio
ſed potius perfectionem in natura inferior
eſt naturæ ſuperiori deneganda; cum erg
tentia activa intellectus agentis ex ſe non
perfectionem, ſed perfectionem importet,
natura Angelica in linea intellectualitatis
rior natura humana, hinc eſt, quod intel
agens etiam in Angelis eſt concedendu
autem inquiratur, ad quid talis intellectus
in Angelis ſit ponendus? Reſpond. quod
ter alia, quæ expendit Scotus ubi ſup. §. *R*
deo ergo, litt. E. F. & G.) ad hoc, ut illiu
tute, ſi Angeli non haberent ſpecies omni
rum immediatè à Deo infuſas, illas ſibi p
comparare. Quæ ratio, licet nulla alia ad
eſt valdè ſufficiens; non enim ab aliqua no
ri natura debet removeri virtus, qua ſibi
mam perfectionem acquireret, ſi iſtam a
quo extrinſeco agente non haberet, quam
tura minus nobili omnes admittunt.

6 Dicimus 1. ad quæſt. duplex commu
munus attribuitur ab AA. intellectui ut
ti. Primum eſt illuminare phantaſmata
eſt, vel producere ſimul cum phantaſma
ciem intelligibilem, quæ una cum inte
elicit intellectionem; vel (juxta alios) pr
re ipſam intellectionem, ſeu actum i
gendi. Hæc concluſ. ſic à nobis propon
ut quid circa hanc difficultatem ſit tenend
clarius innoteſcat. Dicimus ergo, quod
ducere ſpeciem intelligibilem, & illumi
phantaſmata, non eſt duplex diſtinctu
nus intellectus agentis, ſed unicum d
xat, eſt enim omninò idem in intellectu

minare phantaſmata, & producere prædictam ſpeciem intelligibilem.

7 Ratio huius eſt, quia, ut docet Ariſtot. 3. de Anim. text. 18. quem citat Scotus quol. 5. litt. R. intellectus agens ſe habet ad phantaſma, ſicut lumen ad colores; ſed lumen ad colores taliter ſe habet, quod, cum hi nequeunt emittere ſpecies viſibiles in oculum, eo quod in tenebris latent, poſtea cum lumine tales ſpecies emittunt, & viſum immutant, conſequenterque lumen facit colores proximè viſibiles, qui erant tantum viſibiles remotè: ergo intellectus agens eatenus illuminat phantaſmata, quatenus facit, quod obiecta, quæ tantum erant intelligibilia remotè, fiant proximè intelligibilia: ſed hoc facit producendo ſpeciem intelligibilem obiectorum, quæ relucent in phantaſia; ergo illuminatio phantaſmatis, & productio ſpeciei intelligibilis eſt idem omninò munus. Prob. min. ſubſumpta, in qua ſolum poteſt eſſe difficultas; nam, ut inquit Scotus cit. quando neceſſarium eſt, plures cauſas concurrere ad agendum, una earum non eſt in potentia propinqua ad agendum, niſi altera concurrat; ſed phantaſma nequit producere ſpeciem intelligibilem, niſi concurrente actione intellectus agentis, ut per ſe conſtat; ergo per iſtam actionem intellectus agentis conſtituitur phantaſma in potentia proxima ad producendam ſpeciem intelligibilem; ſed hoc eſt illuminari phantaſma ab intellectu agente, ut patet ex ſup. poſita paritate luminis reſpectu colorum; ergo in intellectu agente eſt idem omninò munus producere ſpeciem intelligibilem, & phantaſma illuminare.

8 Ex quo deducitur cum Scoto in 1. diſtinct. 3 quæſt. 6. §. *Contra iſtam opinionem, verſ. Ex alio membro*, ante litt. D. intellectum agentem per talem illuſtrationem phantaſmatis nihil cauſare

re in illo, ſed ſolum in intellectu poſſibili, in quo concurrente phantaſmate, imprimit ſpeciem intelligibilem. Quo non obſtante, dicitur, intellectum agentem illuſtrare phantaſma, non tamen illuſtrare intellectum poſſibilem; quia elevat, & coadiuvat phantaſma, ut emittat ſpecies intelligibiles in intellectum (propter quod etiam lumen corporeum dicitur illuſtrare colores) & quia per actionem intellectus agentis depuratur phantaſma à conditionibus materialibus.

9 Nec valet dicere, ut quidam inquit Scotiſta, à nobis aſſignatam phantaſmatis illuſtrationem eſſe fictitiam: nam vel per talem illuſtrationem intelligitur, quod intellectus agens cauſet in phantaſmata aliquod ſpirituale lumen & hoc eſſe non poteſt, quia phantaſma, utpotè quid corporeum, nequit recipere lumen ſpirituale: vel quod intellectus concurrat cum phantaſmate ad productionem ſpeciei intelligibilis; & hoc frivolum quidem eſt: nam hoc modo etiam convenit phantaſmati reſpectu intellectus, ſiquidem etiam cùm hoc concurrit phantaſma ad prædictæ ſpeciei productionem. Non quidem valet hoc: conſtat enim ex dictis num. 7. quomodo intelligendum ſit, quod intellectus illuſtret phantaſma. Ratio autem, ob quam dicitur, intellectum illuſtrare phantaſma, & non è contra, etſi etiam hoc cum illo ad præfatam productionem concurrat, eſt, quia intellectus agens eſt, qui principaliter concurrit, & elevat ſuo concurſu phantaſma ad productionem ſpeciei intelligibilis, non autem è converſo, & præcipuè; quia intellectus agens per ſuum concurſum reddit obiectum relucens in phantaſmate proximè intelligibile, ut manifeſtum eſt.

10 Deinde dicimus, quod illuminare phantaſma, & producere intellectionem, ſeu actum intelligendi, ſunt quidem duo munera

rea-

realiter diverſa; productio autem intellectionis non eſt munus intellectus (*juxta communem loquendi modum*) ut agentis. Aſſumptum hoc quoad 1. p. eſt adeò manifeſtum, ut probatione non indigeat, ſi enim phantaſmatis illuſtratio eſt idem, ut ſup. oſtenſum eſt, ac actio terminata ad ſpeciem intelligibilem virtualiter tantùm repræſentantem obiectum, productio autem intellectionis eſt actio terminata ad ipſam intellectionem formaliter exprimentem obiectum, conſequenter hæc ſupponit illam; proindeque ſunt munera realiter diverſa. Ratio autem 2. p. præjacti aſſumpti eſt; nam ſi ex eo quòd intellectus producit intellectionem, diceretur *agens*, pari ratione quælibet potentia productiva alicujus operationis diceretur agens propætereaque daretur voluntas agens, & ſenſus agens; ſed hoc contradicit Ariſt. qui rationem potentiæ agentis ſoli intellectui concedit: ergo ideò eſt; quia intellectus non dicitur agens, eò quòd producat intellectionem, & conſequenter, &c. Vnde cùm Ariſt. dixit, intellectum agentem eſſe, cujus eſt omnia facere, tantum intendit, quòd, ut agens, omnia efficiat vel mediatè, vel immediatè; quia ipſe producit ſpeciem intelligibilem, & ab hac ſimul cum intellectu poſſibili producitur intellectio.

11 Notanter in aſſumpto apposuimus illa verba *Iuxta communem loquendi modum*, quia revera controvertere, an producere intellectionem ſit munus intellectus agentis; an intellectus poſſibilis; Potiùs eſt quæſt. de nomine, quàm de re; ſiquidem inter intellectum poſſibilem, & agentem nulla realis, verſatur diſtinctio, ut ex infra dicendis conſtabit: unde ſi intellectus poſſibilis producit intellectionem, quòd intellectus agens illam etiam producat, neceſſe eſt. Quapropter Scotus quol. 15. §. *Si vero*, poſtquam propoſuiſſet utramque

ſententiam, alteram ſcilicet denegantem i
lectui agenti productionem intellectionis
teram illi concedentem talem productio
hæc habet verba: *Breviter, ſi non teneret*
ſtinctio potentiarum, nec re abſoluta, nec re
ne reali, ſed tantùm quod idem abſolutum qu
modò illimitatum eſt principium immedia
multorum actuum, & ſic reſpectu alterius
tur, & alterius dicetur alia, & alia poten
tunc prima via probabilis videtur, illa ſci
quę tribuit intellectui agenti effectionem
lectionis. En quomodo, juxta Scotum,
ſuppoſita totali indiſtinctione entitativa
intellectum poſſibilem, & agentem, di
re, an effectio intellectionis tribui debe
tellectui poſſibili, an agenti, eſt tantùm
de nomine. Contra ſtatuta munera intel
agentis ſic intellecta, ut manent explicat
alicuius momenti obiici poteſt.

12. Dicimus 2. intellectui poſſibili tri
muniter munera attribuuntur, ſcilicet re
ſpeciem intelligibilem productam ab inte
agente, & phantaſmate; producere intel
nem; & media iſta operari circa obiectum
formaliter intelligendo. Concl. hæc, u
veritas pateat, ſic declaratur; ſtatim en
intellectus agens ſpeciem intelligibilem
cit, illam recipit intellectus paſſibilis. D
ſimul cum tali ſpecie in ſe recepta eſt pr
potens producere intellectionem; ob ha
munera paſſibilis; & poſſibilis nuncupatu
inde tali intellectione ab illo producta,
ipſo recepta, operatur circa obiectum
formaliter intelligendo. Quo pacto voca
tellectus operativus. Duo priora mune
perfectionem involvunt, non autem te
unde hoc etiam in Deo reperitur; ſecus
illa.

13 Ex his patet diſcrimen intellectus,
rum potentiarum cognoſcitivarum, nec

a

appetituum, tam rationalis, quam ſenſitivi, à potentiis vegetativis; iſtæ enim tantùm ſunt productivæ, non verò operativæ, illæ autem utrumque munus ſortiuntur. Hic obſervare oportet, quòd intellectus abſolutè, & ſimpliciter ſtat pro intellectu poſſibili, non pro agente. Cuius ratio eſt, quia intellectus ſimpliciter eſt virtus ſpiritualis cognoſcitiva: ſed intellectus agens, formaliter quoad hoc munus, non eſt virtus formaliter cognoſcitiva, ut ex ſupra dictis conſtat: g. &c. Hæc 2. concl. eodem modo eſt intelligenda, ac altera præcedens manet num. 11. explicata.

QUÆSTIO II.

An, & quomodo phantaſma concurrat cum intellectu agenti ad productionem ſpeciei intelligibilis?

1 PRo deciſione quæſt. præmittendum eſt, quòd in ea non agimus de ſpeciebus impreſſis rerum ſpiritualium; ad cauſandas enim iſtas nullum phantaſma poteſt concurrere, cùm proprium phantaſma non habeant, ſiquidem non ſunt per ſe ſenſibiles, conſequenterque nec phantaſiabiles, & ad talium rerum cognitionem intellectus agens, prout agens, non concurrat; quia ſunt ex ſe proximè actu intelligibiles, & ut docet Scotus quol. 15. ſub lit. Q. poſſunt propria virtute, abſque interventu intellectus agentis, ſui ſpecies cauſare in intellectu poſſibili; ſunt enim eiuſdem rationis cum eo quantum ad immaterialitatem; unde ſolùm eſt ſermo de ſpeciebus impreſſis ſenſibilibus rerum materialium, quæ cùm per ſe phantaſiabiles ſint, non poſſunt abſque phantaſmatis miniſterio intellectum, utpotè ſpiritualem movere.

2 Deinde præmittendum eſt, ut melius modus, quo intellectio, ſeù cognitio fit, agnoſcatur, quòd obiectum ſenſibile, viſibile v.g. prius emit-

tit ſpeciem ſui in potentiam viſivam. Deinde viſio, à qua cauſatur alia ſpecies, & emitti in ſenſum internum, à quo ſimul cum illa ſ cie elicitur interna ſenſatio. Præterea illa ſ cies impreſſa ſenſui interno, quæ vocatur pha taſma eſt quid materiale, & cùm intellectus potentia ſpiritualis, nequit in ſe recipere tal ſpeciem materialem, ideòque aſſignatur int lectus agens productivus ſimul cum tali ph taſmate ſpeciei impreſſæ intelligibilis ſpirit lis, quæ quia talis, eſt forma proportionata hoc, ut in intellectu paſſibili recipiatur à ſimul cum tali ſpecie intelligibili produci ſpecies expreſſa, ſeu intellectio, media operatur circa obiectum, formaliter inte gendo, ſeu cognoſceudo illud. Hoc igitur do intellectio fit. Eſt autem in præſenti d cultas, an prædicta ſpecies impreſſa intellig lis producatur ab intellectu agenti, ut à ca totali; an verò ut à cauſa partiali, ita ut ſi cum illo concurrat phantaſma ad talem p ductionem; & in quo genere cauſæ ſic c currat?

3 Dicimus 1. intellectus agens non eſt ca totalis ſpeciei impreſſæ intelligibilis virtual repræſentantis objectum ſenſibile, ſed ad ſpeciei cauſationem indiget concurſu phan matis. Sic Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 7. §. *Co iſtam opin. Verſ. Hoc etiam*, lit. A. Prob. rati ipſius, nam cauſa naturalis in eſſe talis perf exiſtens, ideſt diſpoſita, & non impedita, totalis ſemper actu agit; ſed ſi intellectus a non indigeret concurſu phantaſmatis ad ductionem prædictæ ſpeciei intelligibilis, cauſa naturali totali perfectè diſpoſita, & impedita; ergo ſemper talem ſpeciem pr ceret; ſed hoc eſt falſum, ut nullus dubita poteſt: ergo & quòd ſit intellectus agens talis cauſa illius ſpeciei. Mai. eſt princip ab omnibus admiſſum; minor etiam eſt t

ta; nam non eſt aſſignabile aliquid, ob quod intellectus agens (ex hypotheſi, quòd concurſu phantaſmatis non egeat) non ſit perfectè diſpoſitus, ſeu non impeditus ad productionem ſpeciei intelligibilis, ut perpendenti patebit; ergo &c.

4 Confirm. quia ex oppoſito noſt. concluſ. ſequeretur poſſe intellectum agentem imprimere intellectui paſſibili quamlibet ſpeciem rei ſenſibilis; unde poſſemus intelligere rem, quæ numquam fuit præſens nobis, imò &, quæ numquam extitit in rerum natura; ſed hoc eſſe falum, evidenter conſtat; ergo. Deinde ſequeretur, ut docet Scotus citatus ſub lit. K. ſpeciem non eſſe ſimilitudinem objecti: ſed hoc in bona Philoſophia admitti nequit; ergo &c. Prob. mai. quia talis ſimilitudo obiecti, quæ in ſpecie reluceret, debet provenire efficienter ab aliqua cauſa; ſed non ab intellectu agente præciſè, ut per ſe patet; neque à phantaſmate, juxta oppoſitam ſententiam: g. à nullo, & cõſequenter non eſſet in ſpecie ſimilitudo objecti; quod ut dictum eſt, ſuſtineri non poteſt.

5 Dicimus 2. phantaſma non concurrit cum intellectu agẽte ad productionem ſpeciei intelligibilis in genere cauſæ materialis. Hæc concl. procedit contra aliquos, quos ſuppreſſis nominibus, citat noſt. Merin. 3. de An. diſput. 3. quæſt. 3. num. 3. Prob. nam phantaſma nequit concurrere cum intellectu agente materialiter, tamquam ſubiectum, in quo ſpecies intelligibilis recipitur, ſpecies enim intelligibiles, ut docet Scotus ubi ſup. conſtituunt memoriam intellectivam; proindeque neceſſariò recipiuntur in intellectu: aliàs anima ſeparata non poſſet recordari eorum, quæ agnovit, cùm eſſet corpori unita, quod eſt falſum: ſed ſi tales ſpecies recipiuntur in intellectu, recipi nequeunt in phantaſmate, ut eſt manifeſtũ: g. phantaſma non concurrit materialiter hoc modo. Neque concurrit

ma-

materialiter, ut ſubiectum, ex quo ipſæ ſ
educuntur; nam licet in hoc cauſalitas ma
propriè conſiſtat, ſemper tamen neceſſar
ma educitur ex illo ſubiecto, in quo ſub
tur: ſed phantaſma non eſt ſubiectum, i
ſpecies intelligibiles ſubiectantur; g. nequ
jectum, ex quo tales ſpecies educuntur, &
ſequenter nullatenus materialiter con
phantaſma cum intellectu agente ad prod
nem ſpeciei intelligibilis.

6 Dicimus 3. phantaſma, ſeu ſpecies ſe
lis reſidens in phantaſia, concurrit cum in
ctu agente efficienter, tamquam cauſa pa
principalis ad productionem ſpeciei intell
lis. Sic Scotus q.7.ſup. citata per totam:
quotieſcumque in aliquo effectu ſunt plur
malitates, quæ ab unico principio neq
provenire, neceſſariò aſſignari debent pl
lius comprincipia, à quibus omnes forma
imbibitæ in effectu originem trahant: ſed i
cie impreſſa intelligibili ſunt tot prædica
formalitates, quot à ſolo intellectu agent
venire non poſſunt: g. intellectus agens n
cauſa efficiens totalis ſpeciei intelligibil
conſequenter, &c. Major eſt adeò man
ut non poſſit negari; ideò enim obiectum
non eſt cauſa efficiens totalis actus ſecund
lis, v. g. viſionis; quia in iſta reperitur i
ſecè formalitas vitalitatis, quæ ab obie
provenire non poteſt, ut per ſe patet.
reperitur in actu quoad ſubſtantiam ſupe
rali elicito à potentia naturali, quæ med
ſupernaturaliter operatur, nam ideò hui
di actus non reſpicit potentiam, ut cauſa
totalem: quia invenitur in illo prædicatu
pernaturalitatis, quod nequit provenire
à principio ſupernaturali. Prob. autem m
ſpecies intelligibilis habet, & eſſe objecti r
ſentativam, & eſſe ſpiritualem; ſed hæ
dicata nequeunt à ſolo intellectu prov

nam eſſe repræſentativum obiecti non provenit à potentia, quia iuxta Ariſtot. eſt tamquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictum; & quia aliàs ſuperfluus eſſet concurſus obiecti, ex quo, & potentia neceſſariò paritur notitia; ergo datur aliud comprincipium concurrens ſimul cum intellectu agente ad efficientiam talis ſpeciei; ſed nullum aptiùs eſt aſſignabile, quàm phantaſma, ut ex ſupradictis conſtat; g. concurrit hoc, tamquam cauſa efficiens partialis, & principalis.

7. Confirm. quia iuxta communiorem, & veriorem ſententiam, intellectus ſimul cum habitu ſupernaturali concurrit efficienter partialiter ad productionem ſupernaturalis intellectionis; g. ſimiliter concurrit phantaſma cum intellectu agente ad productionem ſpeciei intelligibilis. Prob. conſeq. nam non eſt maior diſtantia inter materiale, & ſpirituale, quàm eſt inter naturale, & ſupernaturale; ſed intellectus, qui eſt potentia naturalis, ex ſe tantùm productiva actus naturalis, poteſt ſimul cum habitu ſupernaturali producere ſupernaturalem intellectionem; ergo ſimiliter phantaſma, licet ex ſe ſit tantùm productivum ſpeciei materialis, poterit ſimul cum comprincipio ſpirituali, cuiuſmodi eſt intellectus agens, producere ſpeciem ſpiritualem, uti eſt ſpecies intelligibilis.

8 Arg. 1. ſi phantaſma concurreret cum intellectu agente ad productionem ſpeciei intelligibilis, hæc eſſet materialis; ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Prob. mai. effectus ſequitur debiliorem partem principiorum ipſius, ſicut concluſio ſequitur debiliorem partem ſuarum præmiſſarum; ergo, &c. Hoc arg. plus videtur probare, quàm intendit; nam videtur probare, actum vitalem provenientem à potentia vitali, & obiecto, vel non eſſe vitalem, ſi alterum principium, ſcilicet obiectum, eſt debilius; vel non

non eſſe obiecti repræſentativum, ſi alterum principium, nempè potentia vitalis, eſt pars debilior; ſed falſum eſt, huiuſmodi actum non eſſe ſimul vitalem, & repræſentativum obiecti, ut eſt per ſe conſtans: ergo &c. Deinde etiam videtur probare viſionem beatificam vel non eſſe ſupernaturalem; ſi alterum comprincipium effectivum illius, ſcilicet intellectus beati, ſit pars debilior; vel non eſſe vitalem, ſi alterum comprincipium effectivum, nempè lumen gloriæ, pars debilior ſit: ſed nullus dicit, viſionem beatificam non eſſe ſimul ſupernaturalem, & vitalem; ergo præjactum argum. plus, quàm intendit, videtur probare; & conſequenter, &c.

9 Reſp. ergo directè neg. mai. & probationis paritatem. Ratio ob quam concluſ. ſequitur debiliorem partem præmiſſarum quoad falſitatem contingentiam, &c. eſt; quia aſſenſus concluſ. reſpicit, ut obiectum formale adæquatum, identitatem extremorum cum medio; atque ideò nequit fortiùs aſſentiri connexioni extremorum inter ſe, quàm aſſentitur connexioni extremorum cùm medio: unde ſi formidoloſè vi unius præmiſſæ aſſentitur connexioni alicuius extremitatis cum medio, neceſſariò etiam formidoloſè aſſentitur connexioni eiuſdem extremitatis cum altera; nam eatenus iſtæ inter ſe connectuntur, quatenus habent connexionem cum medio, ut in log. manet dictum. Cæterùm prædicata, quæ reperiuntur in aliquo effectu eatenus ſumuntur ex aliquo principio activo, quatenus tale principium continet in ſe virtutem ad illa per productionem tali effectui communicandi, unde ratio, ob quam principium partiale ſpirituale habet in ſe ſufficientem virtutem ad producendum actum ſpiritualem adæquatum, alio comprincipio materiali cum illo concurrente, eſt; quia tale principum continet in ſe tantum ſpiritualitatis quan-

quantum reſplendet in effectu, & ita titulo ſpiritualitatis, quæ in effectu relucet, principium ſpirituale non exigit aliud comprincipium: ſi autem aliud exigat comprincipium titulo alterius formalitatis; aut prædicati contenti in effectu ſpirituali, hoc non tollit, talem effectum eſſe ſpiritualem, ſiquidem illud comprincipium exigitum non deprimit virtutem principii ſpiritualis, potius enim iuvat ad talem effectum producendum. Ex quo patet ratio diſparitatis, & ſolutio argumenti.

10 Inſtab. g. ſpecies impreſſa intelligibilis non erit ſimpliciter ſpiritualis, ſed mixta ex ſpiritualitate, & materialitate, quæ ſunt prædicata inter ſe pugnantia. Reſp. neg. conſeq. ſicut enim principium coaleſcens adæquatè ex naturali, & ſupernaturali, v.g. ex lumine gloriæ, & intellectu beati, quod eſt adæquatum principium viſionis beatificæ, efficit actum ſupernaturalem ſimpliciter, quin aliquid naturalitatis in tali actu ſit; ita principium adæquatè conflatum ex ſpirituali, & alio comprincipio materiali, ut evenit in caſu noſtræ quæſt. producere poteſt effectum ſimpliciter ſpiritualem, quin in hoc aliquid materialitatis ſit. Eò, vel maximè, quòd ſicut intellectus agens ad illum concurrit, tantum quatenus vitalis, & ſpiritualis eſt, ita phantaſma concurrit, ſolum quatenus eſt obiecti repræſentativum, non autem quatenus eſt quid materiale; quæ virtus repræſentativa coniungitur in ſpecie cum ſpiritualitate, licèt in phantaſmate cum materialitate ſit coniuncta, eo quod talis virtus repræſentativa indifferens eſt ad hoc, ut coniungatur cum materialitate, vel cum ſpiritualitate. Quæ ſolutio ex alibi dictis ſatis conſtat.

11 Arg. 2. intellectus agens, cum producit ſpeciem intelligibilem, non producit eam ex nullo præſuppoſito ſubiecto: alias illam crearet, quod dici nequit: ſed non eſt aſſignabile

aliud

aliud ſubiectum, è cuius potentia talis
educatur, niſi phantaſma; ergo hoc concu
illius productionem materialiter, non
efficienter. Reſpond.neg. min. quia ſubie
ex quo educitur talis ſpecies, eſt intellectu
bilis, in quo ipſa immediatè recipitu
enim ſæpè dictum eſt, idem eſt ſubiect
ex quo forma educitur, ac in quod ipſa
citur.

12 Dubit. 1. ex quo capite proveniat
intellectus pro hoc ſtatu, ad hoc ut inte
dependeat à phantaſia, ſeu ſpeciebus e
tibus in illa? Conſtat hoc experientia,
læſo organo phantaſiæ, non poteſt benè
gi obiectum, ut patet in febricitantibus,
neticis. Ob quam dependentiam intellec
citur operari cum converſione ad phantaſ
Reſpond. ad dub. cum Scoto in 2. diſtin. 3
q. 9. *Ad argumenta principalia, verſ. Sed q*
ſub litt. I. ubi citat D. Auguſt. 15. de Tr
cap. ultim. quod talis ſubordinatio, ſeu
dentia intellectus à phantaſia provenit e
natione lata à Deo in pœnam peccati orig
Hæc Scoti reſolutio diverſimodè, & con
tis ſolet ab aliquibus proponi, & explicari,
tamen videri ſic debet explicari.

13 Quod ſcilicet ad cognoſcenda ob
materialia, quæ ex natura ſua debent
percipi à ſenſibus, prædicta converſio ad
taſmata provenit ex ipſa ordinatione n
quæ taliter potentias naturales diſpoſuit
talis converſio ad phantaſmata in hom
eſſet, licet peccatum originale nunquam
tiſſet; propterea que aliqui in materia
carnatione dicunt, quod Chriſtus D.
converſionem ad phantaſmata, & tam
omninò certum, illum nullum prorſus h
peccatum. Ratio igitur Scoti maximè
de obiectis ſpiritualibus, nam cum huiu
obiecta ſint per ſe, & immediatè intelligi

ex natura ſua exigunt intelligi, ſeu cognoſci ſine dependentia à ſenſibus, ac phantaſmatibus; ſed Deus in pęnam peccati originalis decrevit, quod cognoſcerentur cum prædicta dependentia, ſeu converſione ad phantaſmata, ſemper enim pro hoc ſtatu cognoſcimus res ſpirituales ad modum rerum corporalium.

14 Dubit. 2. an detur memoria intellectiva? Reſpond. affirmativè cum Scoto in 1. diſtinct. 3. quæſt. 6. §. *Ad quaſtionem igitur*, litt. R. & aliis in locis. Ratio huius reſolutionis eſt, tum eſſe aſſertum Sacræ Scripturæ; quia Lucæ capit. 17. dixit Abraham diviti: *Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua*; ſed huiuſmodi recordatio non poterat eſſe per memoriam ſenſitivam; anima enim ſeparata, cuiuſmodi erat tunc illa divitis, non intelligit, nec recordatur per ſenſum, quo pro tunc omnino caret, tum etiam quia intellectus poteſt recordari aliquorum objectorum, quorum recordatio non cadit ſub memoria ſenſitiva, uti ſunt intellectiones, & volitiones præteritæ: ſed hoc, ut patet, fieri nequit per memoriam ſenſitivam: ergo &c. Prob. mai. quia alias nequiret homo pęnitere de præteritis volitionibus malis; vel gaudere; ſeu complacere de eiuſmodi volitionibus bonis: quod nefas eſt dicere: ergo datur memoria intellectiva. Obſervandum hic eſt, quod præfata memoria nullatenus diſtinguitur ab intellectu: quod apertè conſtat ex dictis in lib. præced. diſp. 5. qu. 1. pro ſenſu interno. Recolantur ibi dicta.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quomodo intellectus agens, & poſſibilis diſtinguantur?

1 PRæjactam circa difficultatem diverſæ ſunt ſententiæ. Prima docet, intellectum agentem, & poſſibilem realiter abſolutè inter ſe diſtingui. Sic communiter Thomiſtæ cum ſuo Angelico Præceptore. 2. tenet, eſſe eamdem prorſus ex natura rei potentiam, quæ penes diverſa munera modò dicitur patiens, modò agens, ideòque tantùm ratione diſtingui. Sic P. Suar. & alii. 3. aſſerit, quòd intellectus agens, & poſſibilis non diſtinguuntur inter ſe diſtinctione reali abſoluta, bene tamen diſtinctione formali, ex natura rei antevertente quamlibet intellectus operationem. Sic communiter Scotiſtæ. Pro noſtra tamen & Scoti ſententia ſequentes ſubdimus concluſiones. Pro quibus

2 Dicimus ad quæſtionem primò: intellectus agens, & poſſibilis non diſtinguuntur realiter abſolutè. Hæc concluſ. apertè deducitur ex Scoto in 2. diſt. 3. q. 11. §. *Contra ex eiſdem, verſ. Item ad illud*, lit. C. Prob. nam ſi ob aliquam rationem intellectus agens, & poſſibilis forent realiter diſtinguendi, maximè quia habent diverſos actus; actus enim intellectus agentis eſt ſpecies intelligibilis; actus verò intellectus poſſibilis eſt ipſa intellectio, ſeu cognitio: ſed ob hanc rationem ſic diſtingui non debent: g. Prob. min. nam una, & eadem realiter potentia elicere poteſt diverſos actus, diverſaſque ſortiri denominationes, unam, prout eſt principium unius actus, & aliam, prout alterius actus eſt principium; præſertim cùm tales actus ita ſunt ſubordinati, ut unus ad alterum requiratur, ſicuti evenit in præſenti; ſpecies enim intelligibilis requiritur ad eliciendam intel-

tel-

tellectionem; g. diverſitas actuum non eſt ratio, ut intellectus agens, & poſſibilis realiter diſtingui debeant. Hæc concl. & ſimiliter illius ratio amplius patent ex dictis lib. 1. diſp. 2. qq. 1. & 2.

3 Dicimus 2. intellectus agens, & poſſibilis non diſtinguuntur ſolum diſtinctione rationis, ſed neceſſariò aliqua diſtinctione ex natura rei penitus independente à quavis intellectus conſideratione. Sic Scotus nuper cit. ubi expreſsè ſic loquitur: *Item ad illud, cùm dicitur, intellectus agens, & poſſibilis non diſtinguuntur niſi per comparationem ad phantaſmata, falſum eſt; imò diſtinguuntur inter ſe formaliter*. Sentit ergo apertè Doctor, intellectum agentem, & poſſibilem, non tantùm quoad munera, & extrinſecè, ſed formaliter, & intrinſecè entitativè, inter ſe diſtingui.

4 Prob. concl. ratione; quia independenter à quavis intellectus operatione intellectus agẽs actione ſua reddit obiectum, quod erat potentia intelligibile, actu intelligibile: ſed hoc facere nequit intellectus poſſibilis, ut talis; nam actio iſtius vel eſt de genere qualitatis; cùm ſit potentia præcisè operativa, conſequenterque præſupponens obiectum, circa quod operatur intelligibile actu, vel eſt de genere actionis, hæc tamen eſt productiva intellectionis, non autem præparativa obiecti, uti eſt actio intellectus agentis: g. iſte, & intellectus poſſibilis ex natura rei, & independenter à quacumque conſideratione entitativè diſtinguuntur. Mai. patet ex explicatione munerum intellectus agentis, & poſſibilis. Min. conſtat ex ſæpè dictis circa diſtinctionem formalem ex natura rei. Conſeq. igitur tenet; nam quæ habent diverſum operandi modum eadem formaliter potentia eſſe nequeunt.

5 Reſpond. AA. oppoſitæ ſententiæ; quod prædictæ operationes, & modi operandi ſunt inadæquati, ideòque ex illis non benè infertur

diſtin-

diſtinctio ex natura rei in potentia, à qua eliciuntur. Sed contra ſic argum. nam operationes, & modi operandi inadæquati neceſſariò convenire debēt in aliqua ſimplici realitate uni potentiæ à parte rei formaliſſimè adæquata; aſſenſus enim & diſſenſus v.g. ſunt operationes inadæquatæ reſpectu intellectus, quia conveniunt in aliqua realitate ſimplici adæquata intellectui, ſcilicet in ratione intellectionis; ſed actio præparativa objecti, qualis eſt actio intellectus agentis, & actio productiva intellectionis, vel actio de genere qualitatis operativa cujuſmodi eſt actio intellectus poſſibilis, non conveniunt in aliqua ſimplici realitate adæquata intellectui; g. prædictæ operationes, ſeu modi operandi non ſunt tantùm modi inadæquati ejuſdem potentiæ, ſiquidem ſunt prorſus diverſi, proindeque ab eadem formaliſſimè realitate provenire nequeunt.

6 Prob. min. quoad 1. p. ſcilicet, quod actio intellectus agentis productiva ſpeciei intelligibilis, & actio intellectus poſſibilis productiva intellectionis, ſint prorſus diverſæ: nam actio intellectus agentis (ut ſatis eruditè advertit Illuſtriſſimus Merin. lib. 3. diſp. 2. q. 2.) licèt de facto (eo quod eſt realiter identificatus cum anima) ſit vitalis, & immanens, ſuaptè tamen natura non exigit eſſe vitalem, & immanentem quia productio ſpeciei impreſſæ (hæc enim eſt terminus illius) non petit ex genere ſuo produci à principio intrinſeco, & vitali: & in hoc, tamquam in ſubjecto, recipi: patet hoc in productione ſpeciei impreſſæ ſenſibilis, quæ non producitur à ſenſu, ſed ab objecto: nec recipitur in iſto, à quo eſt producta, ſed in ſenſu. Actio autem intellectus poſſibilis productiva intellectionis ſuaptè natura exigit eſſe vitalem, & immanentem, eo quod terminus illius eſt intellectio, quæ ex natura ſua eſt intrinſecè vitalis, petenſque recipi in principio vitali, à quo eſt

eſt producta, ut per illam vitaliter circa objectum operetur, ſed actio ex natura ſua vitalis, & actio non ex natura ſua vitalis nequeunt convenire in aliqua ſimplici realitate adæquata intellectui, ut per ſe conſtat: g. nequeunt actio intellectus agentis, & actio intellectus poſſibilis productiva intellectionis convenire in aliqua ſimplici realitate adæquata intellectui, & conſequenter, &c.

7 Prob. rurſus illa min. quoad 1. p. quia actus inadæquati ejuſdem potentiæ formaliter indiſtinctę debent præſupponere objectum talis potentiæ formaliter proximè attingibile per illam; aſſenſus enim, & diſſenſus, qui ſunt actus inadæquati potentiæ intellectivæ, præſupponunt obiectum intellectus formaliter proximè intelligibile, ut eſt manifeſtum. Idem eſt dicendum de actibus inadæquatis voluntatis, ut ſunt volitio, & nolitio; amor, & odium; ſed actio intellectus agentis non præſupponit objectum formaliter proximè intelligibile, nam in eſſe talis conſtituitur per illam actionem; actio autem intellectus poſſibilis præſupponit obiectum formaliter proximè intelligibile; ut patet, aliàs non eſſet actio elicitiva intellectionis, ut ab omnibus ſupponitur eſſe; g. actio productiva ſpeciei intelligibilis, & actio productiva intellectionis non ſunt actus inadæquati ejuſdem potentiæ formaliter indiſtinctæ: ac proinde intellectus agens, & intellectus poſſibilis formaliter ex natura rei diſtinguuntur. Ex hac, & præcedenti ratione manet probata 2. p. ejuſdem minoris; utraque enim efficaciter circa illam convincit intentum, ut attentè conſideranti evidenter patebit.

8 Dicimus 3. intellectus agens, & intellectus poſſibilis non diſtinguuntur formaliter ex natura rei inter ſe, tamquam duæ potentiæ, ſed tamquam duæ realitates, ſeu partes perfectionales ejuſdem potentiæ. Sic noſt. Lichetus in 1.

d. 3.

d. 3. q. 6. §. *Dico primò*, quem ſequitur Maſtr. in Philoſ. tom. 3. diſp. 6. q. 4. art. 1. num. 141. Prob. quia magis diſtingui debent intellectus, & voluntas; quam intellectus agens, & intellectus poſſibilis: ſed intellectus, & voluntas diſtinguuntur formaliter ex natura rei, tamquam duæ potentiæ, ut jam alibi oſtendebamus; erg. intellectus agens, & intellectus poſſibilis non diſtinguuntur formaliter ex natura rei, tamquam duæ potentiæ: ſed ſolum tamquam duæ realitates, ſeu partes perfectionales eiuſdem formaliter potentiæ. Prob. mai. quia intellectus, & voluntas pertinent ad diverſas lineas; ſcilicet ille ad lineam intellectivam, iſta ad appetitivam; ſed intellectus agens, & intellectus poſſibilis pertinent ad eamdem lineam, ſcilicet intellectivam; g. magis diſtingui debent intellectus, & voluntas, quam intellectus agens, & poſſibilis, & conſequenter, &c.

9 Quælibet argumenta, quæ contra præſtatutas concluſiones obiici poſſunt, perfacilè diſſolventur, ſi illarum rationes benè perpendantur, & ſi ſimul notetur id, quod nu. 5. manet dictum, nempe, quod ut aliquæ operationes, ſeu actiones ſint actus inadæquati alicuius potentiæ, requiritur, quod conveniant in aliqua ratione objectiva, ſeu ſimplici realitate adequata tali potentiæ, ut contingit in exemplis ſup. poſitis aſſenſus, & diſſenſus reſpectu intellectus: volitionis, & nolitionis, amoris, & odii, reſpectu voluntatis, & exemplificari poteſt in aliis actibus inadæquatis ſenſuum, tam internorum, quam externorum: quæ convenientia non reperitur inter actiones intellectus agentis, & intellectus poſſibilis, ut ſatis ex prædictis conſtat. Quod benè obſervare oportet, ut veritas noſtrarum concluſionum inconcuſſa maneat.

DISP.

D I S P. II.

De obiecto noſtri intellectus.

ENucleata in præcedenti diſp. natura intellectus, tam ut agentis, quam ut poſſibilis, recto ordine agendum venit de illius obiecto. Pro quo ſit.

Q U Æ S T I O I.

Quodnam ſit adæquatum noſtri intellectus obiectum?

1 PRo huius enodatione difficultatis notandum eſt 1. (præterea, quæ in Procœmialibus Logicæ circa rationem obiecti in communi manent diſcuſſa, quæ recolere, & ad præſens inſtitutum applicare, opus eſt) ex Scoto q. 1. Prol. lit. E. & X. quod obiectum noſtri intellectus ex natura potentiæ adæquatum eſt duplex, unum ſcilicet ſecundum naturalem attingentiam, & aliud ſecundum naturalem inclinationem tantùm. Obiectum adæquatum in primo ſenſu eſt illud, cuius cognitionẽ poteſt propriis viribus aſſequi intellectus, cum ſolo Dei generali concurſu, & aliarum cauſarum naturalium. Obiectum adæquatum in ſecundo ſenſu eſt illud, cuius cognitionis eſt capax intellectus ex natura ſua; nequit tamen propriis viribus talem capacitatem reducere ad actum. Hæc doctrina amplius ex dicendis patebit.

2 Notandum eſt 2. & deducitur ex eodem Doct. in 4. d. 1. q. §. *Iſta ergo, verſ. Ex hoc patet*, lit. S. quod obiectum naturalis attingentiæ poteſt eſſe duplex, nempe aliud motivum, & aliud terminativum. Obiectum motivum eſt illud, quod movet potentiam ad actum immittendo in illam ſpeciem ſui impreſſam, vel ſimul concur-

rendo cum potentia in genere cauſæ efficientis, ut eliciat actum. Obiectum ſolum terminativum illud eſt, quod dumtaxat terminat actum elicitum à potentia, nullatenus verò illum cauſat. Hoc manet latè explicatum in log. diſp. de ente rationis. Recolantur ibi dicta.

3 Notandum eſt 3. quod obiectum bifariam poteſt dici adæquatum, videlicet vel propter continentiam omnium, quæ à potentia poſſunt attingi: ut eſſentia Divina, quæ eſt adæquatum obiectum intellectus Divini, quia continet in ſe omnia cognoſcibilia vel formaliter, vel eminenter, vel virtualiter. Vel dicitur adæquatum prædicativè, ita ut tale obiectum prædicetur, vel identice, vel formaliter de omni illo, quod eſt per ſe cognoſcibile à potentia. De obiecto intellectus adæquato in hoc ſecundo ſenſu difficultas huius quæſt. procedit. His igitur notatis.

4 Dicimus 1. obiectum adæquatum intellectus noſtri ex natura potentiæ ſecundum naturalem inclinationem eſt ens reale, prædicative ſumptum, in tota ſua latitudine, prout ſcilicet eſt commune, & univocum Deo, & creaturis. Sic Scotus in 4. diſt. 49. q. 8. §. *Reſpondeo, verſ. Videtur tamen mihi*, lit. B & aliis in locis. Prob. quia intellectus noſter ex natura potentię non ſolum eſt capax cognoſcendi abſtractive ens infinitum, ſed etiam eſt capax cognoſcendi illud intuitivè, tamquam perfectionis ſibi maximè convenientis, ut docet Scotus in quæſt. 1. Prologi: ſed dubitari nequit, poſſe ſic cognoſcere ens finitum, & creatum; g. ens reale in tota ſua latitudine, prædicativè ſumptum, eſt obiectum adæquatum naturalis inclinationis noſtri intellectus ex natura potentiæ. Confirmat. quia ſi ens reale in tota ſua latitudine, prædicativè ſumptum non eſſet obiectum adæquatum naturalis inclinationis noſtri intellectus modo dicto, neque ens infinitum eſſet

ſub

ſub tali adæquato objecto ; ac proinde non poſſet noſter intellectus elevari ad videndum, Deum: ſed hoc nequit concedi: g. Prob. mai. quia nulla potentia poteſt elevari ad cognoſcendum id, quod eſt extra ſphæram ſui objecti adæquati; viſus enim v.g. non potens elevari ad percipiendum ſonum: idem eſt de cæteris potentiis; g. ſi ens reale, prout comprehendit tam infinitum, quàm finitum, non eſſet objectum adequatum naturalis inclinationis noſtri intellectus, iſte non poſſet elevari ullo modo ad videndum Deum.

5 Arg. 1. ens reale in tota ſua latitudine eſt objectum adæquatum Divini intellectus: ſed intellectus noſter eſt limitatus, & finitus: g. ens reale in tota ſua latitudine excedit capacitatem noſtri intellectus; & conſequenter non poteſt eſſe ejus objectum adæquatum; hoc enim ita debet proportionari potentiæ, ut neque illam excedat, neque excedatur ab illa. Reſp. conceſſis majori, & min. neg. conſeq. eſt enim ens reale in tota ſua latitudine objectum adæquatum tam intellectus Divini, quàm creati, quoad capacitatem; non autem quoad attingentiam, tam extenſivè, quam intenſivè; quatenus ſcilicet Divinus intellectus ſuaptè natura plura in infinitum objecta, modoque infinitè perfecto, attingit; non autem ſic intellectus creatus, ut eſt per ſe notum. Tam hoc, quàm plura alia ſimilia argumenta, tantum probat, quod ens in tota ſua latitudine non ſit objectum naturalis attingentiæ noſtri intellectus; non verò probant, ens ut ſic non eſſe objectum illius ſecundùm naturalem inclinationem, ſeu capacitatem ejus; & hoc eſt, quod aſſerit noſt. concl.

6 Arg. 2. ſi præjacta concl. eſſet vera, ſequeretur, quod diſtincta, & quidditativa Dei cognitio, tam intuitiva, quam abſtractiva, eſſet naturaliter debita noſtro intellectui, etiamſi non ſit naturaliter ab eo attingibilis: ſicut creatio

animæ rationalis eſt naturaliter debita materiæ ultimò per formam corporeitatis diſpoſitæ ad recipiendam illam; quia in illa materia eſt naturalis capacitas recipiendi talem animam; ſed ſequella nequit admitti: g. &c. Reſpond. negando ſequel. quia creaturæ non conſtituunt in Deo, ut Auctore naturæ, naturale debitum, ex eo præcisè, quòd habeant naturalem inclinationem ad perfectionem aliquam; ſed ultra hoc requiritur, quòd poſſint propriis viribus attingere aliquam ultimam diſpoſitionem talis perfectionis. Exemplum ab arguentibus allatum confirmat hoc; quia infuſio animæ rationalis eſt naturaliter debita corpori organizato, eo quòd agens naturale propriis viribus, & adjutum ſolo generali Dei concurſu attingit ultimam diſpoſitionem infuſionis talis animæ, ut conſtat ex dictis ſup. & docet Scotus in 3. d. 24. quæſt. unic. §. *Contra hæc, verſ. Si non infunditur*, lit. C.

7 Dicimus 2. objectum adæquatum naturalis attingentiæ noſtri intellectus tantùm eſt ens limitatum, & finitum. Prob quia illud eſt objectum hoc modo adæquatum potentiæ, quod & quodvis ſub ipſo contentum, poteſt ab illa quidditativè, & diſtinctè attingi: ſed noſter intellectus ſic cognoſcere, ſeu attingere poteſt ens, ſeu objectum finitum, & limitatum: g. Major eſt manifeſta; quia illud eſt objectum proportionatum potentiæ ſecundùm naturalem iſtius attingentiam, quod ipſa poteſt percipere, ſecundùm omnes rationes illius objectivas, uſque ad ultimam ejus formalitatem, & hoc abſque aliqua potentiæ elevatione ei naturaliter indebita: ob hanc rationem, licèt Deus à nobis in via cognoſcatur ſub aliquo conceptu communi cum creaturis, aut ſub aliquo proprio ex communibus; cùm tamen non attingatur ſub concepto proprio ex propriis, & quatenus eſt talis numero eſſentia, ideò non eſt

ob-

objectum naturalis attingentiæ noſtri intellectus; & quamvis in patria attingatur à Beatis (ut dicitur in Theologia) ſub conceptu proprio Deitatis, cùm tamen hoc fiat cum ſupernaturali elevatione, non eſt objectum naturalis attingentiæ, ut ſup. præveniebamus. Prob. autem illa min: nam quodvis ens finitum, & limitatum, ſive abſolutum, ſive reſpectivum (dummodo iſtius terminus non ſit Deus ſub ratione propria Deitatis) eſt proportionatum noſtro intellectui; ſiquidem nec excedit illum; nec ab illo exceditur: g. noſter intellectus per naturalem attingentiam poteſt cognoſcere quodlibet ens finitum, & limitatum; & conſequenter, &c.

8 Dicimus 3. objectum adæquatum motivum noſtri intellectus pro hoc ſtatu eſt quidditas rei propriè, & formaliter ſenſibilis. Sic apertè colligitur ex Scoto in 1. diſt. 3. q. 1. nam in hujus initio citans Ariſt. 3. de An. inquit phantaſmata pro ſtatu iſto ſe habere ad intellectum, ſicut ſenſibilia ad ſenſum; ſed ſenſibilia ad ſenſum ita ſe habent, ut ſint objectum adæquatum motivum illius; g. ita ſe habent phantaſmata reſpectu intellectus; ſed phantaſmata ſunt ſpecies virtualiter repræſentantes quidditatem rei ſenſibilis; ergo obiectum adæquatum motivum noſtri intellectus pro hoc ſtatu eſt quidditas rei ſenſibilis. Confirm. quia ut fert commune proloquium, nihil eſt in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu; ſed ſenſus nequit moveri niſi ab objecto propriè, & formaliter ſenſibili, ut oſtendimus in lib. præced. g. &c.

9 Hic eſt advertendum, quod obiectum motivum adæquatum noſtri intellectus ad actum intelligendi non eſt ens propriè, & formaliter ſenſibile præſens in ſe ipſo, ſed in ſua ſpecie, ſeu proprio repręſentativo illius. Hoc obſervat Scotus ubi ſup. q. 6. §. *Quoad rationes*, *verſ. Quod arguitur*, ante lit. P. dicens, ſenſibilia non eſſe nata in ſe eſſe præſētia intellectui, ut actu intelligibi-

lia; ſed tantùm in ſpecie in notitia abſtractiva. Ex qua Scoti doctrina ſic efformatur ratio: in ſenſibilia non ſunt actu intelligibilia, ſed tantùm in potentia: ſed quod non eſt actu intelligibile nequit immediatè per ſe movere intellectum: ſicut, quod non eſt actu viſibile non poteſt per ſe ipſum immediatè movere ſenſum viſivum, ut patet; g. &c. Confirm. quia actio intellectus agentis ideò eſt neceſſariò prærequiſita ad intellectionem, ut objecta ſenſibilia transferantur ab eſſe materiali, & extenſo ad ordinem actu intelligibilium; ergo ante talem actionem non ſunt actu intelligibilia: & conſequenter, &c.

10 Dicimus 4. objectum adæquatum terminativum noſtri intellectus pro hoc ſtatu eſt quid latiùs, ſeu univerſalius ente ſenſibili. Prob. hæc concl. intellectus noſter pro hoc ſtatu intelligit entia rationis: proindeque intentiones logicales, cujuſmodi ſunt univerſalia, genus, ſpecies, &c. Aliaque ſimilia fingit ex occaſione reperta in entibus realibus: illaque non motivè, ſed tantùm terminativè actu reflexivo intelligit, ita quod objectum motivum antecedit prioritate ſaltim naturæ prædictum actum intelligendi talia entia rationis; ſed certum eſt hujuſmodi entia nullo modo eſſe ſenſibilia ſecundùm proprium, & formale ipſorum eſſe, ſed ſolùm occaſionaliter, propter quod dicitur, non repugnare ipſa fieri per intellectum: erg. &c. Deinde, quia intellectus pro hoc ſtatu attingit omnes rationes tranſcendentales, & prædicamentales, quæ non ſunt propriè, & formaliter ſenſibiles; erg. objectum adæquatum terminativum noſtri intellectus pro hoc ſtatu eſt quid latius, ſeu univerſalius ente ſenſibili.

11 Dicimus 5. ens ſub ratione formali veri non eſt objectum adæquatum motivum, aut terminativum noſtri intellectus, ita ut veri-

tas

tas entis in eſſendo ſit ratio formalis proximè motiva, aut terminativa actus intellectus. Sic Scotus in 1. diſt. 3. q. 3. §. *Sed contra iſtam*, litt. A. Prob. ratione ipſius; quia ens ſecundum rationem veri non continet prædicativè omnia, quæ ſunt obiecta motiva, ut terminativa actuum intellectus noſtri, ratio enim veri non prædicatur in quid, ſeu eſſentialiter de omnibus intelligibilibus, cum ſit proprietas, ſeu affectio eorum: neque continet illa virtualiter, cum potius ipſa ratio veri contineatur in entibus intelligibilibus: ergo ens ſecundum rationem veri non eſt tale obiectum adæquatum noſtri intellectus. Confirm. nam intellectus non ſolùm poteſt attingere entia, quatenus vera, ſed etiam quatenus entia præcisè; atque etiam ſub ratione unitatis, & multitudinis, bonitatis, & malitiæ, &c. ſed iſtæ rationes non continentur, nec virtualiter, nec prædicativè (modo explicato nu. 3.) ſub ratione formali veri, cum hæc formaliter excludat illas, & ab illis ſic excludatur: g. &c.

12 Argum. contr. hanc concl. intellectus, & voluntas ſunt potentiæ diverſæ: ſed diverſæ potentiæ neceſſario diverſa habent obiecta; ergo obiectum intellectus diverſum eſt ab obiecto voluntatis; ſed obiectum iſtius eſt ens ſub ratione boni: ergo obiectum illius debet eſſe ens ſub ratione veri. Reſpond. diſting. min. diverſæ potentiæ habent diverſa obiecta, ſi ſint potentiæ diſparatæ, cuiuſmodi ſunt v. gr. viſiva, & auditiva, conced. ſi ſint ſubordinatæ, cuius generis ſunt intellectus, & voluntas, neg. min. & conſeq.

13 Inſt. proprium obiectum alicuius potentiæ eſt tale ſub aliqua ſpeciali ratione: ergo ens quod eſt obiectum ſenſuum, debet eſſe obiectum intellectus ſub aliqua ſpeciali ratione: ſed eſt obiectum ſenſuum ſub ratione ſenſibilis; g. eſt obiectum intellectus ſub ratione veri. Reſp.

quod obiecta potentiarum, quæ ſunt diſparatæ, ſi tendunt in idem obiectum, diſtingui debent per rationes formales *ſub quibus*, ut viſiva, & guſtativa v. gr. reſpectu panis; non autem ſi ſint potentiæ ſubordinatæ; nam intellectus non tantum intelligit ens ſub ratione entis, ſed etiam ſub ratione veri ſenſibilis, &c. Potentiæ ergo ſubordinatæ diſtinguuntur, non præciſè per diverſas rationes formales, ſub quibus tendunt in obiectum (ſub eadem enim ratione in illud tendere poſſunt) ſed per diverſum modum tendendi, ſe tenentem ex parte potentiarum: cuius exemplum eſt in motu circulari, & motu recto, ut alibi ſæpè dicebamus.

14 Argum. 2. Scotus in alio loco (in 4. d. 50. q. 2. ſub lit. C. citatur à noſt. Montepiloſo tom. 1. p. 1. diſp. 21. art. 7. num. 9.) expreſsè aſſerit, quod totum ens eſt obiectum voluntatis, & intellectus; voluntatis ſub ratione boni, intellectus autem ſub ratione veri: erg. vel Scotus ſibimet contradicit, vel ultima præiacta concl. illius opponitur menti. Priuſquam huic difficultati reſpondeamus, notare oportet cum ipſo Doct. in 4. diſt. 1. q. 1. quod obiectum adæquatum noſtri intellectus triplicem habet rationem, ſcilicet motivi, terminativi, & commenſurativi. Duæ priores explicatæ manent in hac quæſt. nu. 2. Tertia autem conſiſtit in eo quod tale obiectum, tanquam proprium menſuratum, reſpiciat intellectus cognitionem in ratione menſuræ. Notandum eſt etiam quod veritas non tantum eſt affectio entis, ſed & intellectus; ſicut enim ens dicitur verum, ita intellectus in cognoſcendo dicitur verus, vel falſus. Ex parte entis vocatur veritas in eſſendo; ex parte autem intellectus dicitur veritas in cognoſcendo, importans conformitatem ad ens cognitum, cum cognoſcitur, ſicut à parte rei eſt cognoſcibile. His notatis.

15 Reſp. ad argum quod cum Scotus in loco pro 5. concluſ. a nobis allegatus dicit, quod ens ſe-

ſecundùm rationem veri non eſt adæquatum objectum noſtri intellectus, loquitur de obiecto ſecundùm rationem motivi, & terminativi; quo pacto non eſſe tale obiectum, ibi jam manet oſtenſum. Cùm autem in alio loco aſſerit, eſſe tale obiectum intellectus ſub ratione veri, loquitur de objecto ſecundùm rationem commenſurativi; quo pacto certum eſt ens ſub ratione veri eſſe illius obiectum, ſiquidem veritati in cognoſcendo commenſuratæ correſpondet adæquatè veritas in eſſendo commenſurativa. Ex quo patet, quòd neque Scotus ſibi contradicit, nec illa concluſ. illi opponitur.

QUÆSTIO II.

Quodnam ſit primum cognitum noſtri intellectus pro hoc ſtatu?

1 Pro huius difficultatis deciſione notandum eſt 1. illam non procedere de omnibus obiectis realiter diſtinctis, ac diſparatis, quæ ab intellectu cognoſci poſſunt; ut ſic enim quodlibet indifferenter prius; ac poſterius cognoſci poteſt, ut v. gr. color, ſonus, &c. Procedit ergo de eadem re in ſe includente plures conceptus ſubordinatos, quorum alii ſunt aliis communiores. In albedine v. gr. reperiuntur ratio entis, ratio coloris, ratio albedinis (hæc eſt ratio ſpecialiſſima illius) ac tandem ratio hæcceitatis, ſeu ſingularitatis. Circa has igitur, & circa alias ſimiles cuiuſvis alterius entis, inquirimus in præſenti, quænam illarum prius cognoſcatur, ſeu ſit primum cognitum ab intellectu.

2 Notandum eſt 2. triplicem dari cognitionem, videlicet habitualem, virtualem, & actualem. Habitualis notitia, ſeu cognitio, iuxta Scot. in 2. d. 3. q. 2. §. *Quantum ad notitiam*, lit. Q.

datur, cùm obiectum ita eſt præſens intellectui in ratione actu intelligibilis, ut intellectus ſtatim poſſit elicere intellectionem circa illud obiectum; ſic evenit cùm ineſt intellectui ſpecies impreſſa intelligibilis. Virtualis eſt, cùm aliquid intelligitur in aliquo, ut pars in toto, hoc modo intelligitur animal, cùm intelligitur homo. Actualis denique eſt formalis cognitio qua actu intellectus tendit, ſeu operatur circa objectum, illud formaliter intelligendo.

3. Notandum eſt 3. actualem cognitionem communiter ſubdividi in diſtinctam, & confuſam. Diſtincta cognitio eſt illa, qua res cognoſcitur ſecundùm omnes ſuas partes, ſicut exprimitur per definitionem. Hujuſmodi eſt cognitio hominis ſecundùm animalitatem, & rationalitatem. Cognitio confuſa eſt, qua implicitè, & ſine diſtinctione multa repræſentantur: ut cognitio totius abſque expreſſa partium cognitione. Eſt tamen obſervandum, quòd aliud eſt cognoſcere confuſum, & alud eſt confusè cognoſcere. Cognoſcere confuſum ſe tenet ex parte objecti, ut patet in cognitione confuſa nuper explicata. Cognoſcere confusè ſe tenet ex parte potentiæ: hoc fit, cùm objectum attingitur tantùm ſecundùm id, quod per nomen ſignificatur. His ergo prænotatis:

4. Dicimus 1. ad quæſt. primum cognitum noſtri intellectus, ſeu quod primò cognoſcit pro hoc ſtatu cognitione actuali confuſa eſt ſpecies ſpecialiſſima rei cognitæ. Sic Scotus nu. 2. citatus §. *Ad ſecundam quæſt. verſ. His præintellectis*, ſub litt. L. Prob. nam album v. gr. poſitum in debita diſtantia, ſeu debitè approximatum potentiæ, cùm nullum adeſt impedimentum, movet ſenſum, ſeu potentiam ſecundùm eſſe perfectiſſimum ſui: ſed hoc eſſe eſt ſpecies ſpecialiſſima illius, cùm ſit perfectiſſium ejus prædicatum, ut per ſe patet; erg. primum cognitum noſtri intellectus pro hoc ſtatu eſt ſpecies

cies ſpecialiſſima rei cognitæ. Prob. mai. quia cauſæ naturales agunt uſque ad ultimum de potentia, ideſt, ſecundum perfectiſſimum ſui eſſe: ſed album (& quodvis cognitum noſtri intellectus pro hoc ſtatu) eſt cauſa naturalis; erg. agit uſque ad ultimum de potentia, & conſequenter obiectum movet ſecundùm perfectiſſimum ſui eſſe; ſed hoc eſt ſpecies ſpecialiſſima ipſius; ergo. hæc eſt primum cognitum noſtri intellectus pro hoc ſtatu. Patet hæc conſequentia: quia id primò cognoſcit intellectus, quòd primò ei repræſentatur per ſpeciem: ſed quod primò repræſentat ſpecies intellectui, eſt id, ſecundum quod primò movet obiectum: erg. ſi hoc movet ſecundum ſpeciem ſpecialiſſimam ſui, hæc eſt primum cognitum ab intellectu.

5 Obſervandum hic eſt, quòd hujuſmodi ſpecies ſpecialiſſima, quæ eſt primum cognitum, non cognoſcitur ab intellectu præciſa à ſingularitate. Ratio hujus eſt; quia prima cognitio, qua album v. gr. cognoſcitur, non eſt præciſiva: erg. ſimul cum ſpecie ſpecialiſſima cognoſcitur ſingularitas. Prob. antec. quia illa cognitio determinatur per ſpeciem ad repręſētandum id, quod phantaſma repræſentat; ſed phantaſma repræſentat ſimul ſpeciem ſpecialiſſimam objecti, & ejus ſingularitatem; nulla enim potentia ſenſitiva eſt præciſiva, ſed hoc eſt proprium ſolius intellectus, qui poſtquam primò abſque præciſione aliquam entitatem realem confusè cognoſcit cum alia realiter identificatam, poſtea illam ab iſta formaliter præſcindit: ergo prima cognitio, qua intellectus cognoſcit album v.g. & quodlibet aliud obiectum naturaliter movens, non eſt præciſiva, & conſequenter, &c.

6. Argum. 1. contra concluſ: cognitio primorum principiorum vocatur prima cognitio: ſed termini hujuſmodi cognitionis ſunt uni-

verſaliſſimi v. gr. ens ſubſtantia, &c. erg. ratio univerſalior eſt primum cognitum. Reſpond. diſting. maj. cognitio primorum principiorum eſt prima cognitio, in ordine cognitionis diſtinctæ, conc. in ordine cognitionis confuſæ, de qua locuti ſumus in concluſ. neg. maj. & conceſſa min. diſtinguitur conſequens eodem modo ac major. Replic. cognitio conceptuum univerſaliorum præexigitur, tamquam diſpoſitio ad cognitionem minus univerſalium, juxta illud commune aſſertum: *Ab univerſalioribus ad particularia eſt procedendum*: ſed ratio ſpecialiſſima eſt conceptus particularis: ergo non eſt primum cognitum. Reſpond. quòd maior ſolum eſt vera reſpectu cognitionis diſtinctæ, non autem reſpectu cognitionis confuſæ, ut dictum manet. Unde illud commune aſſerum dumtaxat eſt verum, quando circa particularia procedit cognitione diſtincta, non autem quando procedit cognitione confuſa.

7 Argum. 2. natura in his, in quibus procedit de potentia ad actum, procedit ab imperfecto ad perfectum: ſed intellectus in acquirendis ſpeciebus, procedit de potentia ad actum, ut eſt certum: erg. procedit ab imperfecto ad perfectum: ſed conceptus univerſalior eſt imperfectus; conceptus autem ſpeciliaſſimus eſt perfectus: ergo, &c. Reſpond. quòd illa major eſt vera, quando imperfectum eſt diſpoſitio ad perfectum, ut evenit in in forma corporeitatis reſpectu infuſionis animæ rationalis; non autem talis major eſt vera, quando imperfectum non eſt diſpoſitio prærequiſita ad perfectum, ut contingit in caſu quæſt. cognitio enim confuſa univerſalioris nõ eſt diſpoſitio ad confuſam cognitionem minus univerſalis, ſeu rationis ſpecialis.

8 Argum. 3. intellectus non poteſt cognoſcere univerſale niſi per abſtractionem à ſingulari-

laribus: ſed non poteſt aliquid abſtrahi ab alio, non cognito hoc alio, à quo abſtrahitur illud: erg. nequit intellectus cognoſcere ſpeciem, quin præcognoſcat ſingulare, à quo abſtrahit illam; ac proinde ſingulare eſt primum cognitum. Reſpond. neg. min. abſtractio enim unius ab alio tantùm eſt cognoſcere unum, non cognito alio, à quo illud abſtrahitur. Itaque aliud eſt abſtrahere aliquam entitatem ab alia, & aliud talem entitatem, ut jam abſtractam cognoſcere; nam abſtractio formaliter eſt præciſio unius ab alio, in qua non cognoſcitur hoc aliud, à quo præſcinditur illud, imò in caſu præciſionis repugnat, quòd cognoſcatur. Cognoſcere autem entitatem, ut abſtractam, eſt cognitio reflexa cognoſcens denominationem abſtracti reſultantem in tali entitate ex abſtractione: in hoc ſecundo ſenſu vera eſt minor, non tamen contra nos, qui loquimur de prima cognitione, non autem de ſecunda, ſeu reflexa.

9 Dicimus 2. cognitione actuali diſtincta, univerſaliora ſunt prius cognita, quàm inferiora completa. Prob. concluſ. quia cognitio actualis diſtincta eſt cognitio rei ſecundum omnes ſuas partes explicitè cognitas, modo, quo res cognoſcitur per ipſius definitionem; erg. in hoc cognoſcendi modo partes ſunt primò cognitæ: ſed univerſaliora ſunt partes inferioris completi; non autem è contra; erg. cognitione diſtincta univerſaliora ſunt primò cognita. Confirm. quia compoſitum importat partes unitas; ſed non poſſunt partes, ut unitæ, cognoſci, niſi prius cognoſcantur ſecundùm ſe, ut eſt notum; erg. ante diſtinctam compoſiti cognitionem, prius debent partes ſecundùm ſe cognoſci; atqui inferius componitur ex rationibus objectivis univerſalibus, tamquam ex partibus metaphyſicis, ergo cognitione actuali diſtincta, univerſaliora ſunt prius cognita, quàm inferiora completa. Dicimus, *quàm inferiora completa*

cùm enim ultimæ differentiæ non includant formaliter ſuperius, ut ſecundum ſe diſtinctè cognoſcantur (quod pro hoc ſtatu fieri nequit) non præexigitur cognitio conceptuum ſuperiorum.

QUÆSTIO III.

Vtrùm ſingulare pro hoc ſtatu cognoſcatur à noſtro intellectu ſub ratione formali ſingularis?

1 PRo hujus quæſtionis intelligentia ſupponendum eſt primò, quod trifariam poteſt intellectus cognoſcere ſingulare. Primò abſtractivè, cognoſcendo nempè quidditatem ſingularitatis, quæ vocatur hæcceitas, quam cognitionem eliciat intellectus ductus ſpeciebus accidentium ſenſibilium, ſcilicet figuræ, loci, temporis, patriæ, &c. quæ ſunt proprietates individuorum, ut in Logica manet dictum. Hæc cognitio dicitur abſtractiva, eò quòd fit mediis ſpeciebus. Secundò poteſt cognoſcere ſingulare intuitivè propriè, nimirum cognoſcendo per propriam ſpeciem ſingularitatem, ſeu hæcceitatem, à qua natura fit, & dicitur ſingularis. Tertiò denique poteſt cognoſcere ſingulare cognitione intuitiva impropria, nempè cognoſcendo accidentia ſenſibilia, ſeu proprietates individuales ſupra enumeratas, per quas unum ſingulare ſecernit intellectus ab alio ſingulari.

2 Supponendum eſt 2. ex Scoto in 3. diſtinct. 14. quæſt. 3. §. *Ad argumenta, verſ. Reſpondeo,* litt. E. quòd pro alio ſtatu poteſt ſingulare cognoſci à noſtro intellectu cognitione intuitiva propria. Ratio huius eſt, nam omne quod eſt realiter ens, includitur ſub objecto adæquato noſtri intellectus: ſed ſingularitas eſt realiter ens, ſiquidem realiter identificatur

cum.

cum rationibus ſuperioribus, quas contrahit: g. cadit ſub objecto adæquato noſtri intellectus, & eſt intelligibilis; intelligibilitas enim eſt paſſio entis.

3 Supponendum eſt 3. cum Scot. ibid. quòd pro hoc ſtatu nequit intellectus cognoſcere ſingulare, ut tale, cognitione intuitiva propria. Hujus ratio; quia nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu, & in phantaſmate; ſed neque ſenſus, neque phantaſma exprimunt ſingulare, ut tale: erg. non poteſt intellectus pro hoc ſtatu cognoſcere ſingulare cognitione intuitiva propria. Prob. min. ab experientia; nam ſi ſenſus, vel phantaſma exprimerent ſingulare, ut tale, illud (ſecluſis accidentibus, & proprietatibus individualibus) diſtingueret ab alio ſingulari; ſed hoc eſt falſum: nam inter duo ova omninò ſimilia, ſecluſo loco, tempore, &c. ſenſus non diſtinguit unum ab alio; erg. nec ſenſus, nec phantaſma exprimunt ſingulare, ut tale; & conſequenter, &c.

4 Supponendum eſt 4. quòd ſingulare de facto cognoſcitur à noſtro intellectu cognitione intuitiva (ſi ſic vocari poſſit) impropria. Cujus rationem adducit Scotus quolib. 13. §. *Circa ſecundum*: quia pro hoc ſtatu intellectus diſtinguit unum ſingulare ab alio, imò & univerſale à ſingulari; erg. habet proprium conceptum ſingularis in hoc ſenſu. Confirmatur: quia pro hoc ſtatu præcipimur diligere proximum, juxta illud; *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, ſed non poſſumus illum diligere, quin illum prius cognoſcamus: erg. cognoſcimus proximum: ſed objectum hujuſmodi dilectionis ſunt ſingularia, ſeu individua, ut patet: ergo cognoſcimus hæc pro hoc ſtatu, licet non cognitione intuitiva propria, ſaltim impropria.

5 Supponendum eſt denique, quòd cognitio-

tione abſtractiva poteſt ab intellectu cognoſci ſingulare ſub ratione talis, adhuc pro hoc ſtatu. Ratio hujus ſuppoſiti eſt; quia nos modò verè cognoſcimus, Petrum v. gr. & Antonium eſſe duo individua realiter diſtincta: ſed non cognitione intuitiva, ut in num. 3. dicimus: ergo cognitione abſtractiva. Confirm. nam ſingularitas eſt vera realiter entitas: ergo eſt verè intelligibilis, ſeu cognoſcibilis, ſaltim cognitione abſtractiva; conſeſequenterque, &c. Ex his ſuppoſitis manet reſponſum propoſitæ quæſt. ſed ut formam, quam hucuſque ſervavimus, non deſeramus: Obſervandum eſt, quod hic loquimur de cognitione abſtractiva, quam elicit intellectus ductus ſpeciebus accidentium ſenſibilium, ut figura, &c. modo explicato n. 1.

9 Dicimus ad quæſt. licet intellectus pro hoc ſtatu poſſit cognoſcere ſingulare, ut tale, cognitione abſtractiva, & etiam intuitiva impropria; non tamen propria intuitiva. Hæc concluſ. quoad 1. ſatis conſtat ex dictis in duobus num. præcedentibus; quoad ſecundam etiam conſtat apertè ex num. 3. exemplum enim duorum ovorum ibi adductum apertè hoc convincit. Neque obſtat, quòd quando illa ova ſimul objiciuntur, tunc ut diſtincta cognoſcantur; nam hoc non provenit ex eo, quòd potentia eorum ſingularitates cognoſcat; ſed ex eo, quòd cùm numerus ſit ſenſibile commune, percipitur à ſenſu, ac etiam ab intellectu. Si autem unum, & ideo ovum (abſoluta Dei interveniente potentia) in duplici loco oculis obiiceretur, perciperetur quidem à ſenſu, ac ab intellectu, ut ſi eſſent duo ova; ideò eſſet, quia ſenſus non percipit perfectè ſingularitatem, nec illam in ſe intellectus cognoſcit, in ratione talis.

7 Prob. eadem concl. ratione deducta ex Scoto, qui eam docet pluribus in locis, in quibus

ci-

citatur à Merin. de An. lib.3. diſput.4. quæſt. 3. num.18.) quæ talis eſt: licet obiectum agens, ſeu mittens ſpeciem in ſenſum ſit quid ſingulare, hoc tamen non facit quatenus ſingulare, ſed quatenus eſt quædam natura ſpecifica: ergo ſpecies ab illo producta non eſt repræſentativa ſingularitatis, ſed tantum naturæ ſpecificæ. Patet conſeq. & ant. prob. quia agentia naturalia, licet ut agant, neceſſario requiratur, quod ſint ſingularia, eo quod ad hoc neceſſario exiſtere debent, ratio tamen agendi, & aſſimulandi ſibi effectum in illis eſt natura ſpecifica, non autem ſingularitas, ut eſt manifeſtum, alias producerent effectus ſibi ſimiles, nedum in natura, verùm & in ſingularitate: ſed hoc eſt apertè falſum: ergo, &c.

8 Argum.1. ex Ariſt. qui 2. de An. cap.5. & aliis in locis expreſsè docet, hoc verſari diſcrimen inter intellectum, & ſenſum, nempè quod iſte eſt ſingularium, ille autem univerſalium: ergo ſenſibile ſingulare emittit ſpeciem ſui in ſenſum & conſequenter cognoſci poteſt, ut tale, pro hoc ſtatu ab intellectu cognitione intuitiva propria. Reſpond. neg. conſeq. Ariſt. enim in locis præallegatis tantum intendit, ſenſum eſſe ſingularium, eo quod ſolummodo circa ſingularia verſatur; intellectum verò eſſe univerſalium, quia hic ultra ſingularia, etiam ad cognoſcenda univerſalia ſe extendit. Ex hoc tamen nihil contra noſtram concl. concluditur, ut ex ſupr. dictis ſatis apparet.

9 Arg.2. illud eſt primò cognitum ab intellectu, quod primò movet ſenſum, nihil enim eſt in illo, quin prius fuerit in iſto; ſed ſingulare fortiùs movet ſenſum: ergo hoc eſt primò cognitum ab intellectu; ac per conſequens, &c. Reſp. neg. min. licet enim verum ſit, naturam ſingularizatam eſſe, quæ movet potentiam; ſingularitas tamen non eſt ratio movendi, ut numer. 7. dicebamus, ſed ſolum eſt conditio, ſeu tanquam

con-

conditio, ut natura ſpecifica moveat ad ſui cognitionem; *natura enim* (inquit Scotus ubi ſup.) *tantum eſt, quæ mittit ſpeciem, quia idem eſt principium agendi, & aſſimilandi*. In hoc ſenſu intelligendum eſt illud communiter dictum, ſcilicet, quod operationes ſunt ſingularium.

10 Dubit. an ſingulare ſubſtantiæ prius cognoſcatur à nobis cognitione impropria (modo præexplicato num. 4.) quam ſingulare accidentis? Reſp. negativè; potius enim evenit è contra. Ratio eſt: nam cognitio noſtra pro hoc ſtatu ortum habet à ſenſu, ut patet: ergo illud primò percipitur per illam, quod primò ſpeciem ſui mittit in ſenſum: ſed hoc eſt natura accidentis ſingularizata, non autem natura ſubſtantiæ; hæc enim, cum per ſe ſenſibilis non ſit ſpeciem, ſeu ſimilitudinem ſui in potentiam immittere, nequit: ergo, &c. Eſt tamen advertendum, quod eodem actu, quo ſingulare accidentis prædicto modo cognoſcitur, cognoſcitur, & ſingulare ſubſtantiæ; cum hoc tamen diſcrimine, quod ſcilicet illud attingitur primariò, illud autem ſecundariò tantum, ut conſtat ex dictis.

11 Ex quibus colligitur cognitionem, quam de facto habere poſſumus (quæcumque illa ſit) de ſubſtantiis ſpiritualibus, uti ſunt Deus, Angeli, & anima rationalis, non eſſe per ſe, & directam, hoc eſt, per proprias horum obiectorum ſpecies, ſed per accidens, & reflexam; id eſt, per ſpecies rerum ſenſibilium. Ratio huius eſt ipſa experientia, experimur enim, numquam nos pro hoc ſtatu cognoſcere Deum, Angelos, aut animam rationalem abſolutè, & ut ſunt in ſe, ſed ſemper talia entia cognoſcimus analogicè, ſeu per ſimilitudinem rerum ſenſibilium, quarum per ſpecies cognoſcimus illa: ergo, &c. Deinde quia cum noſtra cognitio pro hoc ſtatu dependeat à ſenſibus, nequit intellectus cognoſcere, niſi per ſpecies rerum ſenſibilium. Unde

nec ipſas ſubſtantias materiales tali cognitione, per ſe, & directa pro hoc ſtatu cognoſcere valemus. Quid dicendum ſit circa ſpecies intelligibiles, & circa earum principium, ſeu cauſam, earumque ſubiectum, ſatis deduci poteſt ex dictis tam in hac, & præcedenti diſp. quam in lib. anteced. loquendo de ſpeciebus ſenſibilibus, ideo circa hoc nulla ſe offert in præſenti difficultas.

D I S P. III.

De intellectione.

STatutis his, quæ circa obiectum intellectus communiter hac tempeſtate in ſcholis diſceptantur immediatè agendum ſe offert de intellectione ipſa, media qua intellectus circa ſuum obiectum tendit, ſeu operatur. Pro qua ſit

Q U Æ S T I O I.

Quid formaliter entitativè ſit intellectio noſtra?

1 PRo intelligentia huius quæſt. & totius diſp. præmittendum eſt 1. intellectionem, tam juxta Theologos, quam juxta Philoſophos, eſſe illam formam, media qua intellectus actu, & formaliter intelligens fit, & denominatur. Inter omnes tamen magnum intereſt diſſidium in aſſignando quid entitativè talis intellectio ſit, & ad quod pertineat prædicamentum; Quod ut clarius reſolvi queat.

2 Præmittendum eſt 2. quod duplex datur actus intellectus, unus ſcilicet productivus, & alius operativus. Actus productivus eſt ille, quo intellectus producit intellectionem, ſeu verbum mentis, qui actus appellatur dictio, ſive

ſive actus dicendi. Actus operativus eſt ipſa actualis intellectio, qua intellectus formaliter intelligit obiectum, & ultimatè perficitur in eſſe vitali intellectualiter operativo. Quod idem modo cuilibet convenienti, de aliis potentiis operativis dicendum eſt.

3 Præmittendum eſt 3. quod prædicta dictio, & intellectio ita in nobis ſe habent, ut dictio ſemper præcedat intellectionem, ſicut actio ſuum terminum præcedit; ſicut enim calor eſt terminus calefactionis activè ſupponens iſtam pro aliquo priori, ita intellectio eſt terminus dictionis hanc in aliqua prioritate ſupponens. In Divinis autem è contra hoc ſe habet: nam in Patre æterno prius aliqua prioritate eſt intellectio divinæ eſſentiæ, quam dictio. Hoc non eſt taliter intelligendum quod talis intellectio ſit cauſa, ſeu principium dictionis, ſeu actus dicendi: ſed ita ut intellectio pro aliqua prioritate præcedat actum dicendi, ſeu productionem Verbi Divini. De hoc ex profeſſo agitur in materia de Trinitate.

4 Præmittendum eſt 4. maximum verſari diſcrimen inter actum intelligendi, & actum intellectus; illæ enim tantum includit id, quod ſonat, ſcilicet actum intelligendi, actus autem intellectus involvit, ſeu comprehendit, non ſolùm actum intelligendi, ſed etiam actum dicendi; unde non benè infertur; eſt actus intellectus; g. eſt actus intelligendi; cum poſſit per actus dicendi, qui (ut dictum eſt) eſt actus intellectus, ſicut etiam actus intelligendi actus intellectus eſt. Advertere hic opus eſt, quod hoc nomen actio, licet plura ſignificet, ut loquendo de praxi, in logica dicebamus, in præſenti tamen tantùm ſumitur pro operatione vitali, nempe intellectione, volitione, & aliis huiuſmodi operationibus, quæ quidem dicuntur actiones non verè, & propriè, ſed impropriè, & grammaticaliter, ut ex dicendis conſtabit.

Præ-

5 Præmittendum eſt 5. quòd ad hoc, ut aliqua entitas ſit verè, & propriè de prædicamento actionis, tria neceſſariò requiruntur. Primum eſt, quòd ſit in continuo fieri, & dependentia ab agente. 2. eſt, quòd tendat circa aliquem terminum, qui per ipſam producatur. 3. denique eſt, quòd ſit in aliquo ſubjecto.

6 Præmittendum eſt 6. quod intellectio non eſt relatio. Sic docet expreſsè Scotus in 1. diſtinct. 3. quæſt. 6. §. *Hinc ſunt*, lit. V. Ratio hujus eſt, quia ultima perfectio ſubſtantiæ viventis nequit eſſe relatio: ſed intellectio eſt ultima perfectio ſubſtantiæ viventis, ſcilicet Dei, Angeli, & hominis: ergo intellectio non eſt relatio. Prob. maj. quia omnis ſubſtantia vivens eſt intrinſecè, & eſſentialiter quid abſolutum, ſed relatio nequit eſſe ultima perfectio entis extrinſecè, & eſſentialiter abſoluti, ut eſt notum, ergo ultima perfectio ſubſtantiæ viventis nequit eſſe relatio; ac proinde intellectio non eſt relatio.

7 Præmittendum eſt ultimò cum Scoto cit. certum omninò eſse, quòd intellectio noſtra non eſt ſubſtantia; intellectus enim creatus ſubſtantiam non producit; neque eſt quantitas; quia hæc tantùm ineſt corporibus, intellectio autem ineſt ſpiritui; neque eſt actio (ut ex nu. ſequenti conſtabit) aut aliquod aliud ex ſex ultimis prædicamentis; nam hæc formaliter conſiſtunt in relatione, qualis nequit eſse intellectio, ut num. præced. eſt demonſtratum. Manet ergo ſolùm diſcutiendum, an ſit actio de prædicamento actionis, an verò ſit qualitas. Circa quod

8 Dicimus 1. intellectio non eſt propriè actio de prædicamento actionis. Sic Scot. ubi ſup. & aliis in locis, quos citat Maſt. diſput. 6. quæſt. 3. artic. 1. Prob. concl. quia actio, quæ propriè eſt de prædicamento actionis, debet habere aliquem terminum, qui media ipſa producatur,

ut

ut num. 5. dicebamus; ſed intellectio nullum habet terminum media ipſa productum: ergo non eſt propriè actio. Prob. min. quia intellectio eſt mera objecti contemplatio, ut patet ex dictis, & amplius ex dicendis patebit: ſed mera objecti contemplatio non importat formaliter aliquem terminum media ipſa productum; ergo, &c. Confirm. nam eſſentialis Dei intellectio, qua ab eo divina intelligitur eſſentia, eſt verè, & propriè vitalis operatio, & intellectio: ſed hæc non habet aliquem terminum media ipſa productum: Verbum enim divinum producitur a Patre per dictionem, quæ formaliter non eſt intellectio, ut num. 3. præmittebamus: ergo intellectio noſtra non eſt propriè formaliter actio.

9 Pro intelligentia aliquarum difficultatum quæ contra hanc concluſ. objici poſſunt obſervandum eſt, quòd intellectio, ut ſup. præveniebamus, eſt actio tantùm grammaticaliter, æquivocè, & analogicè ob quaſdam conditiones in quibus convenit cum actione vera, & propria, non autem eſt talis univocè, & phyſicè; per illam enim potentia vitalis exercetur tantùm intentionaliter, non autem phyſicè; nempè operando; ſed non producendo. Deinde oſt obſervandum, quod licet intellectio neceſſariò terminetur ad aliquid, non tamen terminatur ad illud tamquam ad effectum per eam productum, ſed tamquam ad objectum expreſſum ſeu declaratum per illam. Denique obſervandum eſt, quod quamvis noſter intellectus non poſſit reduci ad actum ſecundum, ſeu fieri intelligens abſque actione proveniente ab ipſo, hujuſmodi tamen actio non ſpectat ad formalitatem intellectionis; ſiquidem in Deo eſt intellectio pro aliquo priori antequam ſit talis actio, ſeu dictio, ut n. 3. dictum manet. His obſervatis, facilè quævis argumenta diluuntur.

10 Dicimus 2. intellectio noſtra formaliter

eſt

eſt qualitas ſpiritualis, quæ eſt expreſſa ſimilitudo obiecti, ad primam ſpeciem qualitatis ſpectans. Hæc concl. eſt Scoti ubi ſup. & §. *Ad argumenta*, lit. Z. & quæſt. 9. §. *Ad primam argumentum principale*, *Verſ. Ad tertium dico*, ante lit. O. & aliis in locis. Prob. 1. à ſufficienti partium enumeratione: nam intellectio eſt aliqua vera, & realis entitas; ſed non eſt ſubſtantia, neque quantitas, neque relatio, neque aliquod ex ſex ultimis prædicamentis, ut in ſuperioribus manet oſtenſum. ergo ſolùm reſtat quod ſit qualitas. Prob. 2. quia intellectio eſt in intellectu poſſibili, ut forma accidentalis ipſum informans, & perficiens; ſed hæc eſt ratio formalis qualitatis: ergo intellectio eſt formaliter qualitas. Mai. patet, & min. prob. quia ſicut paries v. gr. dicitur, & fit formaliter albus ab albedine, & formaliter calidus à calore, ſic intellectus dicitur, & fit formaliter intelligens ab intellectione: ſed albedo, & calor ſunt qualitates, eo quòd ſunt formæ accidentales informantes, & perficientes ſubiectum: ergo forma accidentalis, quæ eſt in ſubiecto, illud informans, & perficiens, eſt qualitas; & conſequenter intellectio neceſſariò qualitas eſt.

11 Prob. 2. part. concl. nempe, quod intellectio ſit expreſſa ſimilitudo obiecti, ex Ariſt. hic tex. 16. ubi inquit, quod intellectus in actu fit ipſa res cognita; ſed hoc nequit intelligi entitativè, ut patet; ergo ſimilitudinariè, & repræſentativè, quaſi dicat Philoſophus, intellectum in ſuo actu, ſeu intellectione habere expreſſam ſimilitudinem ſui obiecti. Hoc ipſum patet ex Epiſtol. 1. Ioann. num. 2. ubi dicitur: *Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus; quoniam videbimus eum ſicuti eſt;* & c. Quod autem intellectio pertineat ad primam ſpeciem qualitatis, patet ex eo quod in hac ſpecie collocantur omnes qualitates vitales, ut in Logica, diſp. de ſex ultimis prędicamentis dictũ manet.

Arg.

12 Arg. cont. entitas in qua formaliter conſiſtit intellectio, eſt exercitium potentiæ intellectivæ; ſed ſola qualitas nequit eſſe formaliter exercitium, ut patet : ergo intellectio non eſt qualitas. Reſpond. neg. mai. Ratio huius eſt; quia exercitium potentiæ intellectivæ eſt duplex, nempè productivum, & operativum. Productivum eſt ipſa actio, media qua producit potentia, ut cauſa efficiens ſpeciem expreſſam, ſeu intellectionem, quæ eſt terminus talis actionis. Exercitium operativum eſt ipſa attingentia obiecti, ſeu ipſummet actuale percipere, ſeu intelligere objectum; quæ attingentia, ſeu perceptio immediatè ſequitur ad ipſam receptionem ſpeciei expreſſæ in intellectu. Ex quo patet, quod neutrum exercitium eſt de conceptu formali intellectionis. Non productivum, quia actio productiva ſpeciei expreſſæ non pertinet ad rationem formalem intellectionis, ut ſatis conſtat ex dictis. Non operativum; nam attingentia objecti ſequitur ad receptionem ſpeciei expreſſæ in potentia, proindeque præſupponit ipſam ſecundum ſuam entitatem iam conſtitutam. Unde patet falſitas maioris, & totius argumenti.

13 Ut occurramus aliquibus difficultatibus, quæ præiactæ concluſioni obſtare videntur, advertere opus eſt, quod intellectio, ſeu verbum mentis, ſecundum quod eſt qualitas conſideratum, nullum neceſſario ſibi identificat reſpectum. Quæ doctrina expreſsè docetur à Scoto in 4. diſtinction. 10. quæſt. 9 §. *Ad quæſtionem*, lit. B. loquens de viſione. Ratio eſt; quia intellectio, prout eſt qualitas conſiderata, non magis involvit intrinſecè reſpectum ad aliud, quàm cæteræ qualitates; non enim differt ab his in ratione qualitatis, ut eſt perſpicuum; ſed nulla eſt qualitas, quæ intrinſecè, ſeu eſſentialiter involvat relationem ad aliud, tamquam ad obiectum; nam nulla entitas abſoluta, cujuſ-

cujuſmodi eſt qualitas, includit eſſentialiter reſpectum ad aliud; eſſe enim ad ſe, & eſſe ad aliud manifeſtam implicat contradictionem, ut ſæpè dictum eſt; ergo intellectio, prout eſt qualitas, nullum eſſentialiter importat reſpectum.

14 Ex quo deducitur, quod hoc nomen *intellectio* (idem eſt de aliis nominibus aliquorum ſimilium actuum) eſt connotativum importans formaliter prout tale, reſpectum, ſeu relationem: hæc tamen connotatio, ſeu relatio eſt quid extrinſecum illi, prout qualitas eſt, ut ſic enim eſt quid omninò abſolutum, ut dicebamus. Nec valet, ſi dicatur, eſſe intellectionem quid eſſentialiter relativum, eo quod intelligi ipſa non poteſt, quin eius terminus intelligatur. Hoc quidem non valet; nam ex illo ſolùm concluditur, intellectionem, tam quoad abſolutum, quam quoad connotativum ipſius, conſideratam, involvere, nedum entitatem abſolutam, ſed etiam reſpectum, ſeu relationem, & hoc non opponitur præjactæ doctrinæ: nam ſi eſſet aliqua vox, ſeu nomen impoſitum ad ſignificandum præcisè abſolutum intellectionis, quod intrinſecè involvitur in illa, optimè poſſet ſignificatum talis vocis per ſe intelligi, quin aliquid aliud cointelligeretur in ratione termini: quia tamen iſtæ voces: *verbum*, *intellectio*, & aliæ hujuſmodi impoſitæ ſunt ad ſignificandum totum, quod illarum ſignificatum importat, tam intrinſecè, quàm connotativè, ideò concipi nequeunt ſine tali reſpectu ad terminum, ſeu relatione ad aliud.

15 Ne in æquivoco circa intelligentiam præallata doctrinæ laboretur, notandum eſt, quod intellectio dupliciter poteſt conſiderari, materialiter ſcilicet, & formaliter. Materialiter cõſiderata importat ipſum effectum formalem intelligendi; formaliter verò dicit tendentiam ad ob-

jectum: ſicut enim cauſa materialiter conſiderata importat dare eſſe effectui; formaliter autem dicit relationem ipſius cauſæ ad effectum, & ſicut etiam vera ratio cauſæ conſiſtit in illo, quod materialiter importat; nam ſi per poſſibile, vel impoſſibile deficeret illa relatio, quam formaliter importat, cauſa verè, & realiter produceret effectum, & tantùm illi deficeret formalis denominatio, ſic ſimiliter in noſtro caſu: unde quamvis deficeret intellectioni illa relatio tendentiæ ad obiectum, adhuc intellectus media tali intellectione verè, & realiter perciperet obiectum, & ſolùm illi deficeret illa formalis denominatio tendentiæ.

16 Eſt tamen aliquod diſcrimen inter cauſam, & intellectionem: ſiquidem intellectio, cùm ſit expreſſa imago, & ſimilitudo obiecti, licet in ſe ſit qualitas abſoluta, eſt tamen ſecundum dici relativa, & ſic denominaret intellectum percipientem obiectum (ſicut albedo denominat ſubiectum, cui ineſt, formaliter album) quod quidem certum eſt; fieri poſſe ſine aliqua relatione ſecundùm eſſe. In quo ſenſu intelligendum eſt id, quod communiter dicitur nempe, quod formaliter intelligere eſt habere intellectionem, non enim hoc intelligendum eſt de prædicta formali denominatione, ſeu relatione tendentiæ ad obiectū, abſque qua poteſt dari intellectio, non ita quod poſita intellectione in intellectu, poſſit non reſultare talis relatio; nam hoc eſt falſum; ſed ita quod intellectio ex natura ſua non includat intrinſecè talem relationem ſecundùm eſſe, ſed ſolùm relationem ſecundùm dici, quam ſup. oſtendebamus.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

In qua formaliter conſiſtat intelligere creatum?

SUppoſitis his, quæ in quæſt. præced. per totam, dicta manent, difficilè non erit propoſitam difficultatem reſolvere. Pro qua.

1 Dicimus 1. intelligere creatum non conſiſtit formaliter in receptione intellectionis. Sic Scotus quæſt. 12. de An. §. *Alii ponunt*, & ex eo expreſsè deducitur in loco infra citando. Prob. nam de ratione intellectionis eſt exprimere obiectum, & quod media illa tendat potentia in objectum, & hoc illi intentionaliter uniatur; ſed per formalem rationem receptionis intellectio non reſpicit objectum, ſed ſolum intellectum, tamquam ſubiectum, in quo ipſa recipitur, & cui inhæret; ergo ratio formalis, in qua formaliter conſiſtit intelligere creatū, non ſtat in receptione intellectionis. Confirm. 1. nam per operationem vitalem exercetur aliquomodo potentia circa ipſius obiectum, ut negari non poteſt; ſed per ſolam receptionem intellectionis, & præciſo quocumque alio, non exercetur intellectus circa ſuum obiectum; formaliſſima enim ratio receptionis ſolum importat formam, & ſubjectum, cui illa ineſt; ergo in aliquo alio, præter receptionem intellectionis, intelligere creatum formaliter conſiſtit.

2 Dicimus 2. formaliter intelligere, quod eſt effectus formalis, quem intellectio præſtat intellectui, vel per realem identitatem, ut in Deo, vel per realem informationem, ut in nobis conſiſtit formaliter in operando vitaliter circa objectum, illud exprimendo, & ad ſe potentia intellectiva intentionaliter attrahendo: Sic apertè colligitur ex Scoto in 1. diſt. 39. q. un. §. *Quantum ad primum*, ſub lit. L. ubi poſtquam

dicit, quod voluntas poteſt diſtingui, ut eſt receptiva, ut eſt operativa, & ut eſt productiva; hæc ſubdit verba; *Ipſa enim eſt productiva actuum, & ipſa eſt qua habens operatur, formaliter volendo, & ipſa eſt receptiva volitionis ſuæ.* Ex quibus ſic pro noſtra concl. efformatur ratio: formaliter velle non conſiſtit in productione volitionis, nec in illius receptione, ſed tantū in operatione, media qua voluntas tendit in obiectum illud formaliter volendo; ergo pariformiter formaliter intelligere non conſiſtit formaliter in productione intellectionis, nec in iſtius receptione, ſed dumtaxat in operatione, media qua intellectus tendit in obiectum, illud formaliter percipiendo. Patet conſeq. à paritate rationis, & etiam à ſufficienti partium enumeratione; nam cùm nihil aliud excogitabile ſit, in quo intelligere creatum formaliter conſiſtere poſſit, niſi productio intellectionis, iſtius receptio, & prædicta operatio, ſi in illis duabus formaliter non conſiſtit, ut ſup. probatum manet, neceſſariò in tali operatione ſic conſiſtere debet.

3 Arg. 1. ex Ariſt. in hoc lib. text. 2. ubi inquit, quod intelligere eſt quoddam pati; ſed pati eſt recipere; g. &c. Confirm. ex Scoto, qui in quol. 13. lit. FF. & in 1. diſt. 3. quæſt. 7. §. *Ad auctoritatem*, lit. Y. explicans prædictum textum Phil. ait, quod intelligere eſt quoddam pati per hoc, quod formaliter intelligimus, non producendo, ſed recipiendo; ergo, &c. Reſp. ad arg. potius ex verbis Phil. inferri, quod intelligere non eſt formaliter pati: non enim abſolutè dicit intelligere eſſe pati, ſed eſſe quoddam pati, hoc eſt, quodammodo pati, quatenus ſcilicet formaliter intelligere neceſſariò, & indiſpenſabiliter præſupponit recipere intellectionem: quod non eſt contra nos, ſiquidem libenter fatemur, receptionem intellectionis neceſſariò præſupponi ad intelligere formaliter. Ad confirm. reſpond. quod Scotus id ipſum intendit: dicit autem,

nos

nos formaliter intelligere, in quantum recipimus intellectionem, non quia ipſa receptio ſit ratio, in qua formaliter conſiſtit intelligere, ſed quia facta comparatione inter productionem, & receptionem intellectionis, docet, & meritò, magis nos denominari intelligentes ex receptione, quam ex productione, ſiquidem illa eſt indiſpenſabiter prærequiſita; productio autem non ſic; poteſt enim intellectus intelligere, quamvis non producat intellectionem, ut ſi Deus iſtam produceret, & in intellectu creato, tamquam in ſubiecto, illam poneret. De quo in quæſt. ſequenti.

4 Argum. 2. eſſe formaliter album eſt habere albedinem: ergo eſſe formaliter intelligens eſt habere intellectionem: ſed habere albedinem eſt formaliter illam recipere: g. habere intellectionem formaliter eſt habere illam. Reſpond. conceſſis antec. & conſeq. neg. min. ſubſumptam; licet enim ad hoc, ut aliquod ſubiectum formaliter album ſit per habere albedinem, neceſſarium ſit, quod in ſe formaliter illam recipiat, eam tamen ſic recipere non eſt formaliter eſſe album; nam hoc importat formaliter participare effectum formalem albedinis, quod formaliter non importatur per præciſam rationem receptionis: quod apertiùs patet in noſtro caſu, ut ex dictis numer. 1. conſtat; Unde ſicut in habere albedinem formaliter involvitur, quod ſubiectum formaliter participet effectum formalem illius, & fiat formaliter album, ſic in habere intellectionem formaliter importatur, quod intellectus formalem illius effectum formaliter participet, & fiat formaliter intelligens, tendendo in obiectum, & manendo expreſsè, & perfectè ſimilis ei in eſſe quodam intentionaliter.

5 Arg. 3. ex Ariſt. in hoc lib. text. 8. & 8. Phyſic. text. 32. dicente, quod cum potentia ſuſcipit ſpeciem impreſſam, dicitur reduci de

potentia ad actum; ergo in ſola receptione ſtat formaliter intellectio. Reſpond. explicando Ariſtot. per receptionem ſpeciei reducitur potentia de potentia ad actum ſecundum, neg. ad actum primum integrum, & completum, quatenus poſita tali ſpecie, nulla alia requiritur concauſa, ut operatio eliciatur, conced. at neg. conſeq. intellectio enim non ad actum primum, ſed ad actum ſecundum formaliter ſpectat, ut eſt perſpicuum. Et quod Ariſtot. ibi non loquatur de actu ſecundo, ſed de primo, expreſsè habetur ex iis, quæ immediatè ſubjungit, ſcilicet; *Eſt quidem, & tunc potentia quodammodo*. Unde nihil concluditur contra noſtram concl. Alia argumenta facillimo negotio diſſolventur, ſi hucuſque dicta bene percipiantur.

QUÆSTIO III.

Utrum intellectio poſſit a ſolo Deo produci in noſtro intellectu, iſto merè paſſive ſe habente?

1. DIcimus ad quæſt. poteſt Deus de potentia abſoluta, producere intellectionem in noſtro intellectu, iſto merè paſſivè ſe habente. Sic ſupponitur à Scoto in 1. diſtinct. 3. quæſt. 7. §. *Ad auctoritatem, Verſ. Ideo Philoſophus*, ante litt. X. & expreſsè docetur aliis in locis, quos citat Merin. lib. 3. diſput. 5. quæſt. 3. num. 7. Prob. nam intellectio eſt quædam qualitas abſoluta efficienter producta ab intellectu ſimul cum ſpecie impreſſa, tamquam ipſius comprincipio; ergo poteſt a ſolo Deo produci in intellectu, abſque aliquo efficienti influxu iſtius. Prob. conſeq. nam (ut ſæpè in præcedentibus diximus) quidquid Deus efficit mediis cauſis ſecundis efficientibus, ſe ſolo immediatè efficere poteſt; g. &c.

Nec

2 Nec valet, ſi huic rationi reſpond. quod tantum tenet in cauſis efficientibus non vitalibus; non autem in vitalibus. Cuius ratio eſt, quia cum iſtarum operationes, licet ſint qualitates, etiam ſint actus vitales, habent intrinſecum, & eſſentialem ordinem, neceſſariamque dependentiam a ſubiecto, tamquam à principio ſuæ productionis. Non quidem valet hoc; nam ſi operationes vitales immediatè à ſolo Deo produci repugnaret: vel eſſet, quia in Deo non eſt virtus ad producendas illas, & hoc dici nequit; cùm non minus contineat eminenter, & virtualiter operationes vitales, quam non vitales, ut eſt manifeſtum. Vel quia tales operationes dicerent intrinſecum, & eſſentialem ordinem ad potentiam vitalem creatam, Et hoc non; quia intellectio, &. quævis operatio vitalis eſt quid abſolutum, ut pluries diximus: ergo nullum eſſentialem ordinem, ſeu reſpectum importat reſpectu potentiæ creatæ, & conſequenter, &c.

3 Dices: ideo hoc implicare, quia de ratione actus vitalis eſt, ita eſſe à principio intrinſeco, ut repugnet, quod à principio extrinſeco ſit; ſed ſi produceretur à Deo in noſtra potentia, eſſet à principio extrinſeco, ut patet; ergo implicat hoc. Reſpond. quod noſtra potentia vitalis reſpectu ſuorum actuum, & eſt principium productivum, quatenus illos efficienter cauſat; & eſt principium operativum, quatenus mediis illis tendit in ſuum obiectum, percipiendo illud. Et licet verum ſit, omninò repugnare dari actum vitalem abſque principio intrinſeco operativo: nequit enim non eſſe intrinſecè in principio, quod media illa vitaliter operatur, benè tamen poteſt eſſe abſque principio intrinſeco productivo illius, ut eveniret in caſu noſtræ concluſ. Eo vel maximè, quia cum cauſa efficiens ſit extrinſeca rei ab ipſa efficienter cauſatæ,

omninò per accidens eſt, quod effectus ſic productus intrinſecè ſit in tali cauſa, quatenus hęc eſt principium productivum illius, ut ex dictis patet: unde benè poteſt à Deo produci, tamquam à principio extrinſeco: ſiquidem non neceſſariò exigit talis effectus principium productivum intrinſecum.

4 Argum. 1. intellectio eſt formaliter conceptus, & verbum mentis, ut quæſt. ſequenti dicetur, ſed implicat dari conceptum, & verbum mentis, quin ſit ab intellectu: ergo & quod intellectio producatur abſque efficienti intellectus concurſu. Reſpond. quod hæc nomina, ſcilicet *conceptus*, & *verbum mentis* duo ſignificant, nempè, & prolem, ſeu notitiam genitam; & repræſentationem, ſeu perceptionem obiecti. Quamvis igitur de ratione intellectionis ſit, quod ſit conceptus, ſeu verbum mentis, prout hæc nomina ſignificant repræſentationem, ſeu perceptionem obiecti; non tamen prout ſignificant prolem, ſeu notitiam genitam ab ipſa potentia. Unde licet intellectio ſemper ſit repræſentatio, & perceptio obiecti, non tamen ſemper indiſpenſabiliter debet eſſe proles, ſeu notitia genita ab ipſa potentia, quę media illa, operatur: in quo caſu haberet intellectio quidquid requiritur ad rationem formalem intellectionis quatenus hæc eſt formalis repræſentatio, & perceptio obiecti, non tamen prout eſt verbum mentis, de cuius ratione eſt, quod ſit notitia genita à memoria fecunda, ut quæſt. ſeq. dicemus.

5 Argum. 2. ſi Deus ſe ſolo immediatè producere poſſet intellectionem in noſtro intellectu, etiam producere poſſet volitionem in noſtra voluntate, ut patet: ſed hoc ſecundum repugnat: ergo & illud. Prob. min. quia de ratione formali volitionis eſt, quod ſit actus voluntarius; ſed non poteſt eſſe actus voluntarius, quin à noſtra voluntate efficienter proveniat: g.

Prob.

Prob. min. actus voluntatis debet eſſe à principio intrinſeco cognoſcente: ſed volitio à Deo ſolo producta in noſtra voluntate, non eſſet actus proveniens à principio intrinſeco, ut patet: ergo non eſſet actus voluntatis, & conſequenter, &c. Reſp. neg. min. cujus probationis diſting. mai. de ratione volitionis eſt, quòd ſit actus voluntarius, operativus, conc. cauſativus, neg. mai. Diſt. etiam min. non poteſt eſſe, quin à noſtra voluntate proveniat, actus voluntarius cauſativus, conc. formalis, ſeu operativus, neg. min. Et huius probationis diſting. mai. actus voluntarius cauſativus debet eſſe à principio intrinſeco cognoſcente, conc. actus voluntarius formalis, ſeu operativus, neg. min. & conceſſa min. in ſenſu cauſativo, neg. conſeq. Eſt igitur (prout ad præſens attinet) duplex voluntarium, unum cauſativum, & eſt, cùm actus cauſatur efficienter à noſtra voluntate; aliud formale, ſeu operativum, & eſt actus ille, medio quo voluntas poteſt tendere circa ſuum objectum. In caſu ergo argumenti volitio à ſolo Deo cauſata non eſſet voluntaria cauſativè reſpectu noſtræ voluntatis; benè tamen formaliter, ſeu operativè, eo quòd media illa, voluntas ſuum proſequeretur objectum.

QUÆSTIO IV.

Vtrùm intellectio creata ſit verbum mentis?

1 PRo hujus quæſt. intelligentia notandum eſt 1. (omiſſis variis acceptionibus hujus nominis *Verbum*, quæ nihil ad noſtrum inſtitutum conducunt) quòd ad productionem verbi mentalis duo principia efficientia inadæquata neceſſariò cōcurrere debent, nempe ſpecies impreſſa intelligibilis objecti, & intellectus, qui talem ſpeciem in ſe ipſo recipiens fecundatur, ut

V 5 pro-

proferat, ſeu pariat conceptum mentalem, ſeu verbum mentis; comparantur namque objectum intellectus quoad productionem verbi mentalis, mari, & feminæ in generatione prolis, quia ut inquit D. Auguſt. ab obiecto, & potentia paritur notitia. Quæ notitia variis nominibus ſolet nuncupari; nam appellatur *conceptus mentis, partus mentis, proles genita, ſpecies expreſſa, imago obiecti, & verbum mentis.*

2 Notandum eſt 2. ex Scoto quolib. 15. lit. V. & X. quod ut actualis notitia ſit verbum, duo neceſſariò requiruntur. Primum eſt, quod per eam attingatur immediatè objectum: de ſectu hujus actualis notitia, qua Beati in Divina eſſentia vident creaturas, non dicitur verbum, eò quòd per talem notitiam creaturæ non attinguntur à Beatis immediatè, ſeu in proprio genere. Secundum eſt, quòd talis notitia naturaliter producatur ab intelligentia, ſeu memoria fecunda; propter quod viſio, ſeu notitia intuitiva, quam habent Beati, tam de Divina eſſentia, quàm de aliis, quæ vident in ipſa, non dicitur verbum mentis, eo quòd talis notitia non eſt naturaliter producta, cùm immediate, & principaliter cauſetur à Divina voluntate; eſt enim Deus ſpeculum voluntarium, ut dicunt Theologi in tract. de Viſione.

3 Notandum eſt 3. quòd hujuſmodi verbum propriè reperitur in Divinis, & in creatis. Primum eſt de fide, juxta illud Joan. c. 1. *In principio erat Verbum, &c.* Secundum etiam conſtat; nam ubicumque eſt mentalis locutio, ſeu dictio, ibi eſt verbum, ut ex dicendis patebit; ſed in nobis eſt mentalis dictio, juxta illud Pſalm. 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo*; g. datur in nobis propriè verbum mentis.

4 Notandum eſt 4. quòd de ratione formali intellectionis ut ſic non eſt verbum mentis. Ratio huius eſt; quia Divina intellectio eſſentialis verè, & propriè eſt intellectio: ſed hæc non

eſt

eſt verbum, cùm ſit improducta: g. &c. Deinde neque de ratione formali verbi mentis ut ſic, eſt quòd ſit intellectio. Cujus ratio eſt; quia Verbum Divinum eſt verè, & propriè verbum mentis: ſed non eſt formaliter intellectio, qua tres Divinæ perſonæ formaliter intelligunt: g. &c. eſt ergo tantùm difficultas circa intellectionem creatam.

5 Notandum eſt 5. cum Scoto in 1. diſt. 27. q. 3. §. *Ad quæſt. iſtas, verſ. Poſſet igitur*, ſub litt. E. verbum mentis ſic definiri: *Eſt actus intelligentiæ productus à memoria perfecta, non habens eſſe ſine actuali intellectione, repræſentans Verbum Divinum.* Quam definitionem depromit Doctor ex variis locis D. Aug. in quibus loquitur de verbo mentali. Ut autem illius veritas, & bonitas magis pateat, ſic explicatur præjacta definitio. Dicitur *actus intelligentiæ*, per quas particulas excluditur à ratione verbi omne id, quod pertinet ad voluntatem, & etiam quod pertinet ad memoriam, ſeu ad intelligentiam in actu primo, ut ſpecies impreſſæ, & habitus intellectuales; verbum enim debet eſſe actus ſecundus intellectus, cujuſmodi eſt actualis intellectio. Dicitur *productus*, per quod differt ab intellectione eſſẽtiali Dei; eſt enim hæc improducta, ideòque non eſt verbum, ut nuper dicebamus. Dicitur *à memoria perfecta*, ideſt, ſecunda, per quod denotatur quòd verbum producitur ab intellectu, & ſpecie impreſſa objecti; nam memoria in præſenti nõ ſumitur ſtrictè, nempe pro intellectu, quatenus receptivo, & conſervativo ſpecierum, quæ relinquuntur ex actibus præteritis; ſed ſumitur latiùs, ſcilicet pro potentia intellectiva, quatenus recipit ſpeciẽ impreſſam objecti, ex qua ſpecie, & intellectu integratur unum adæquatum principium (quod appellatur memoria ſecunda) verbi mentalis.

6 Dicitur deinde: *Non habens eſſe ſine actuali intellectione*, eo quòd dari nequit verbum mentis,

tis, quin actualis intellectio exiſtat; ſunt enim idem inter ſe, ut dicemus in concl. Ponuntur denique poſteriores particulæ, nempe, *repræſentans Verbum Divinum*, ut innuatur, quòd in mente noſtra cùm ſit imago ſanctiſſimæ Trinitatis, juxta illud Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram;* non ſolùm eſt aliquid repræſentans Patrem, nempe memoria perfecta, ſeu ſecunda, & aliquid repræſentans Spiritum Sanctum, ſcilicet amor productus per voluntatem; ſed etiam eſt aliquod repreſentans Filium, nimirum verbum mentis, quod hic definitum eſt.

7 Ex qua verbi mẽtalis deſcriptione infertur primò, quòd tale verbum non eſt aliquid intrinſecè ſpectans ad memoriam, ſiquidem eſt effectus ab ipſa productus. Secundò quòd ſpecies intelligibilis in memoria exiſtens non eſt verbum, verbum enim eſt aliquod productum à memoria: ſed ſpecies intelligibilis non producitur à memoria, cùm ſit aliquod ipſam cõſtituens in eſſe talis: ergo ſpecies intelligibilis non eſt verbum; alioquin idem produceretur à ſeipſo. 3. infertur, quòd habitus exiſtens in intellectu non eſt verbum, quia verbum non habet eſſe ſine actuali intellectione, ſed habitus exiſtit in intellectu, etiamſi nõ detur actualis intellectio, ut patet in homine dormiente habente habitum ſcientiæ v. g. ergo, &c. 4. quòd verbum mentis non eſt aliquid pertinens ad voluntatem, quod patet ex ipſis verbis definitionis ſup. adductæ. 5. denique infertur, quòd verbum eſt aliquid pertinens ad intelligentiam, qua præter dicta nihil aliud reperitur in mente, ad quod pertinere poſſit, ergo neceſſariò ad ſolam intelligentiam pertinere poteſt.

8 Notandum eſt 6. quòd verbum mentis non eſt aliquis terminus productus per intellectionem. Ratio hujus eſt; quia ſi verbum eſset terminus per intellectionem productus, non poſſe-

mus

mus cognoſcere intellectionem, quin ſimul talem terminum productum cognoſceremus, ſicut non poſſumus cognoſcere calefactionem, quin ſimul terminum eius, ſcilicet calorem, cognoſcamus; ſed oppoſitum demonſtrat experientia; nam ſæpè intelligimus intellectionem, quin aliquid per ipſam productum agnoſcamus, &c. Eò vel maximè, quia intellectio ſolùm grammaticaliter appellatur actio, ut in hac diſp. q. 1. n. 8. oſtenſum manet. His prænotatis

9 Dicimus ad quæſt. intellectio creata naturaliter procedens ab intellectu eſt verè, & propriè verbum mentis. Sic Scotus num. 5. alleg. §. *Ideò iſtis, verſ. Primum iſtorum*, ſub lit. G. Prob. concluſ. 1. à ſufficienti partium enumeratione, nam ſi verbum mentis non eſt aliquod ex prædictis in duobus num. præcedentibus, neceſſariò infertur, quòd ſit actualis intellectio, nihil enim aliud eſt excogitabile, quòd rationem verbi mentalis induere poſſit: ergo, &c. Prob. 2. ex definitione verbi ſup. data, quæ tota convenit tali intellectioni, hæc enim eſt actus productus à memoria fecunda, qui gignitur per dictionem, non habens eſſe ſine actuali intellectione; imò eſt ipſa actualis intellectio, & repræſentans Verbum Divinum, nam eſt notitia genita per memoriam fecundam, ſicut Divinum Verbum per memoriam Patris: ergo intellectio noſtra eſt verbum mentis.

10 Advertere tamen oportet, quòd ſi Deus aliquam intellectionem produceret in noſtro intellectu, iſto merè paſſivè ſe habente (quod eſſe poſſibile, ſtatutum manet quæſt. præced.) talis intellectio non eſſet verbum mentis. Ratio eſt, quia de ratione verbi mentis eſt, quòd producatur naturaliter tamquam proles, ut ex dictis conſtat: ſed illa intellectio, in caſu propoſito, liberè produceretur à Deo: ergo non eſſet verbum. An autem viſio Beatifica ſit verbum mentis, non eſt

no-

noſtri inſtituti examinare? hoc enim in Theologia, tamquam in proprio loco diſcutitur. Deinde eſt vertendum, quòd cùm dicitur, verbum mentis eſſe actum intelligentiæ, non eſt ita intelligendum, ut ſit actus productus ab intelligentia, ſed ut ſit actus, cujus informationem, & actuationem conſtituit intellectus in ratione intelligentiæ. Omittimus argumenta, eo quòd ſi dicta in hac quæſt. & tota diſput. benè percipiantur, nullam vim cont. hanc concl. habere poſſunt.

QUÆSTIO V.

Quid ſint, & in quo differant cognitiones intuitiva, & abſtractiva?

1. SUpponit hæc quæſt. & meritò, dari cognitionem intuitivam, & etiam abſtractivam; quòd adeo manifeſtum eſt, ut rationabiliter nequeat dubitari: quod expreſsè docetur à Scoto pluribus in locis, apud noſtros RR. citatis, dicente, noſtrum intellectum bifariam poſſe cognoſcere aliquam rem. Primò, quando objectum attingit, quatenus præcisè ſit ei præſens in aliquo repræſentativo, ſive exiſtat, ſive non, tale objectum à parte rei. Secundò, cùm attingit objectum exiſtens, & præſens, quatenus realiter præſens, & exiſtens eſt in ſe. Pro clariori autem quæſt. intelligentia.

2. Notandum eſt 1. ex Scoto in 4. q. 12. q. 3. §. *Ad quintum principale*, lit. FF. quò i neceſſitas ſpeciei impreſſæ ad intelligendum non eſt deſumenda ex parte potentiæ; nihil enim perfectionis pertinens ad ipſam, recipit à ſpecie, cùm in ſuo ordine, reſpectu naturaliter intelligibilium, gaudeat tota activitate, quæ ad cauſandam intellectionem requiritur: unde tota talis ſpeciei neceſſitas eſt ad ſupplendum concurſum.

ſum objecti, quod eſt altera concauſa partialis effectiva intellectionis. Ejuſmodi autem neceſſitas ex tribus oritur cauſis. Prima eſt, ut objectum fiat præſens potentiæ in tali ſpecie; & fiat actu intelligibile per illam (ut monet Scotus in 1. d. 3. quæſt. 6. §. *Ad rationes*, ſub lit. O. Secunda eſt, ut ſi objectum, quod in ſe eſt actu intelligibile, non fueris debitè præſens, ſeu fuerit abſens, illius objectiva preſentia per talem ſpeciē ſuppleatur. Tertia denique eſt, ut actus intelligendi ſit in poteſtate noſtra, hoc eſt, ut cùm volumus, intelligamus: quæ neceſſitas ſufficiens eſt, etiam ceſſantibus duabus præaſſignatis, ab ſtatuendam in potentia ſpeciem impreſſam alicujus obiecti, ſcilicet, ut notitia abſtractiva ſit in poteſtate intelligentis.

3 Notandum eſt 2. hanc eſſe rationem, ob quam in noſtro intellectu eſt admittenda, tamquam poſſibilis, cognitio intuitiva, quæ ratio talis eſt: non eſt denegandum potentiæ ſuperiori quidquid eſt perfectionis in inferiori; ſed eſt perfectio in potentia interior, ſcilicet in ſenſu, attingere ſuum objectum, quatenus in ſe realiter præſens, & exiſtens eſt: g. non eſt hoc denegandum potentiæ ſuperiori, ſcilicet intellectui; & conſequenter, &c. Deinde, quia quæ ſunt diſperſa in inferioribus, in ſuperioribus ſunt unita: ſed uterque modus attingendi objectum, nempe intuitivè, & abſtractivè, eſt diſperſus in potentiis inferioribus, ſcilicet in ſenſitivis; nam ſenſus particularis, v.g. viſus, attingit obiectum intuitivè; ſenſus autem communis ſuum objectum attingit, quatenus præſens eſt in ſpecie, cùm adhuc abſente obiecto phantaſiemur; ergo uterque modus attingendi obiectum concedendus eſt intellectui; ac per conſequens, &c. His ergo ſic prænotatis.

4 Dicimus 1. pro 1. p. quæſt. cognitio intuitiva, *eſt expreſſa repræſentatio intentionalis obiecti*

cti præſentis, & exiſtentis, prout in ſe realiter præſens, & exiſtens eſt. Cognitio autem abſtractiva *eſt expreſſa repræſentatio intentionalis obiecti, non prout hec in ſe realiter præſens, & exiſtens eſt, ſed præſcindens à tali præſentia, & exiſtentia*. Hæ definitiones communiter traduntur à Scotiſtis, & expreſsè deducuntur ex Doctore in locis, in quibus de his cognitionibus agit. Sed ut omnis æquivocatio, quæ circa exactam illarum intelligentiam oriri poteſt, auferatur:

5 Obſervandum eſt, quòd dupliciter poteſt intelligi, cognitionem abſtrahere ab exiſtentia rei cognitæ. Primò tamquam à re cognita, tam in ratione principii, ſeu objecti motivi, quàm in ratione obiecti terminativi cognitionis; in quo ſenſu nō ſemper eſt neceſſarium, quòd cognitio abſtractiva abſtrahat ab exiſtentia; nam ut infra dicemus circa ipſam rei exiſtentiam poteſt verſari abſtractiva cognitio. Secundò poteſt cognitio abſtrahere ab exiſtentia, tamquam à ratione cognoſcendi; & in hoc ſenſu ſemper neceſſariò ab illa abſtrahit cognitio abſtractiva; aliàs differentia inter iſtam, & intuitivam nulla eſſet, quod eſt abſurdum.

6 Ex doctrina præcedenti infertur, quòd cùm dicitur, cognitionem intuitivam eſſe rei exiſtentis, prout exiſtens eſt, illa particula *prout* & quævis aliæ ſimiles, accipiendæ ſunt non ſolùm ſpecificativè, ſed etiam reduplicativè, ita ut ratio formalis conſtitutiva obiecti cognitionis intuitivæ, tam in ratione objecti motivi, quàm in ratione terminativi, ſit immediata rei actualis exiſtentia; ex quo patet, quòd in cognitione abſtractiva ſe habet exiſtentia rei cognitæ tantùm ut pars objecti, proptereaque huiuſmodi cognitio tantùm eſt rei exiſtentis (caſu, quo ad rem exiſtentem terminetur) prout exiſtens eſt ſpecificativè; in cognitione autem intuitiva ſe habet exiſtentia rei cognitæ, ut formale objectum, quo res mo-

vet intellectum, & quo terminat ipſam cognitionem. Ex his non erit difficilè ſatisfacere 2. part. quæſt. in qua inquiritur, an prædictæ cognitiones diſtinguantur, & quomodo? Igitur

7 Dicimus 2. cognitio intuitiva, & abſtractiva cognitio diſtinguuntur inter ſe, tam ex parte principii, quam ex parte termini illarum; & hoc diſtinctione ſpecifica. Sic Scotus pluribus in locis, quæ apud Maſt. diput. 6. quæſt. 9. numer. 334. & alios RR. videri poſſunt. Prob. concluſ. quoad 1. par. nam illæ cognitiones diſtinguuntur inter ſe ex parte principii, quarum obiecta adæquata motiva ſunt diverſa; ſed objecta adæquata motiva cognitionum intuitivæ, & abſtractivæ ſunt diverſa: ergo & ipſæ cognitiones ſunt inter ſe diſtinctæ. Probat. min. quia objectum adæquatæ motivum cognitionis abſtractivæ eſt ſpecies impreſſa obiecti; tale autem obiectum cognitionis intuitivæ eſt ipſum obiectum in propria exiſtentia immediatè, vel ſaltim mediatè: ſed ſpecies impreſſa obiecti, & ipſum obiectum ſunt obiecta adæquata motiva diverſa; ſunt enim realiter diſtincta, ut eſt perſpicuum: g &c.

8 Notanter diximus in minori, obiectum cognitionis intuitivæ motivum eſſe ipſum in propria exiſtentia *ſaltim mediatè*, propter ſenſationes externas; nam iſtæ, licet immediatè cauſentur a ſpeciebus; quia tamen huiuſmodi ſpecies pendent in fieri, & conſervari ab obiecto præſente in propria exiſtentia, ideò cognitio habita per eas dicitur pendere ab obiecto præſente, & exiſtente in propria exiſtentia, ſaltim mediatè; ideſt, mediante ipſa ſpecie. Hoc igitur modo cognitio intuitiva dicitur cauſari ab obiecto præſenti in propria exiſtentia, videlicet, quia vel immediatè cauſatur ab illo ſic præſenti, vel quia immediatè cauſatur ab aliquo illud repræſentante, quod in fieri, & conſarvari pendet ab ipſo obiecto præſente in propria

pria exiſtentia: quo modo ſenſationis externæ ſunt intuitivæ, ut dictum eſt.

9 Probat. 2. par. concluſ. ſcilicet, quod etiam ex parte termini prædictæ cognitiones diſtinguantur; quia intitiva immediatè terminatur ad obiectum præſens, & exiſtens in propria natura, non in ſpecie; abſtractiva autem terminatur ad obiectum relucens in ſpecie, ſive hoc à parte rei exiſtat, ſive non; eſt enim accidentale cognitioni abſtractivæ, quod illius obiectum actu exiſtat, cum fiat per ſpeciem, quæ eodem modo repræſentat obiectum, cum exiſtit, ac cùm non exiſtit, ut dicemus poſtea, ergo tales cognitiones etiam ex parte termini ſunt diſtinctæ.

10 Probat. 3. par. concluſ. nam non minus diſtingui debent cognitio Dei abſtractiva, quæ eſt in viatoribus, & cognitio intuitiva ipſius Dei, quæ eſt in Beatis, quam amor, ſeu fruitio iſtorum, & amor, ſeu fruitio illorum; ſed iſti amores, ſeu fruitiones ſpecificè diſtinguuntur, ut tamquam probabilius tenet Scotus in 4 diſt. 49. quæſt. 5. §. *Ad quæſtionem, Verſ. Aliter poteſt*, litt. E. & aliis in locis; ergo & illæ cognitiones, quæ ſunt abſtractiva, & intuitiva ſpecificè diſtingui debent. Min. præterquamquod eſt Scoti, patet, quia amor, ſeu fruitio patriæ eſt beatitudo, non autem amor viæ; ille eſt ſummè delectabilis, & quietativus, non verò iſte: ergo ſpecies diſtinguuntur; & conſequenter, &c.

11 Argum. 1. præſertim contra doctrinam ſuppoſitam numer. 1. ſi cognitiones intuitivæ, & abſtractiva poſſent eſſe in noſtro intellectu, poſſent quidem eſſe reſpectu eiuſdem obiecti, ut patet; ſed hoc eſt falſum; alias non eſſent cognitiones ſpecie diſtinctæ, quod eſt contra dicta num. præced. ergo non dantur huiuſmodi cognitiones. Reſpond. conceſſa ſequela major, neg. min. quia tales cognitiones etiam reſpectu eiuſdem.

eiuſdem obiecti differunt ſpecie, tam ex parte principii, quam ex parte termini; licet enim ambæ (ut ſupponitur) ſint eiuſdem obiecti; non tamen ſunt eiuſdem, & eodem modo moventis, & terminantis, ſed valdè diverſo, ut ex dictis conſtat.

12 Inſtab. de ratione cognitionis intuitivæ eſt verſari circa obiectum præſens, & exiſtens; de ratione autem abſtractivæ eſt verſari circa illud abſens, ſiquidem hæc præſcindit à præſentia, & exiſtentia; ſed idem obiectum nequit ſimul cognoſci, ut præſens, & ut abſens, ſeu non præſens, eſt enim contradictio; ergo, &c. Reſpond. conceſſa 1. par. maioris, negando 2. par. illius. Etenim, licet cognitio intuitiva ſit rei præſentis, & exiſtentis; ut præſens, & exiſtens eſt reduplicativè, abſtractiva tamen non eſt rei abſentis, & non exiſtentis, ut ſic determinatè, ſed ſe habet indifferenter ad utrumque; ſiquidem æquè repræſentat obiectum, ſive ſit abſens, ſive præſens; ſive exiſtat, ſive non exiſtat. Itaque abſtractiva non negat rei præſentiam, & exiſtentiam, quam requirit intuitiva, ſed à tali præſentia, & exiſtentia præſcindit.

13 Argum. 2. præcipuè contra 3. par. ſecundæ concl. cognitiones intuitiva, & abſtractiva tantum differunt inter ſe penes quemdam modum accidentalem obiecti; ſed talis modus nequit inferre ſpecificam diſtinctionem inter illas, ut per ſe patet; ergo non differunt ſpecie. Probat. mai. nam tales cognitiones tantum differunt penes abſentiam, & præſentiam obiecti; ſed abſentia, & præſentia obiecti dumtaxat ſunt modi accidentales illius, ut per ſe conſtat; ergo tales cognitiones tantum differunt penes modum accidentalium; & conſequenter, &c. Reſp. conceſſo mai. negando min. & huius probationis negatur etiam min. Etſi enim abſentia, & præſentia ſint modi accidentales reſpectu obie-

cti,

cti, non ſunt tamen accidentales reſpectu prædictarum cognitionum, ut talium; nam, præſentia obiecti in ſe ipſo intervenit in cognitione intuitiva, ut ratio *ſub qua*, ſeu ut ratio formalis cognoſcendi, & terminandi huiuſmodi cognitionem; unde talis præſentia non ſolum pertinet ad obiecti applicationem, ſed etiam ad rationem formalem terminandi talem cognitionem, quæ ratio formaliter ſpectat ad obiectum, quatenus ſpecificat cognitionem illam.

14 Dubit. 1. an ipſa rei exiſtentia poſſit abſtractivè agnoſci? Reſp. affirmativè. Prob. ex Scoto in 2. diſt. 3. q. 9. §. *Ad quæſt. igitur, verſ. Dico igitur*, litt. H. ubi docet, quod Angelus in via habuit notitiam diſtinctam Divinæ eſſentiæ per ſpeciem impreſſam diſtinctè illam repræſentantem: ſed non poteſt cognoſci diſtincta Divina eſſentia, quin eius exiſtentia (quæ eſt de formali quidditate illius, ut dicitur in Theologia) etiam diſtinctè cognoſcatur: ergo exiſtentia Dei fuit cognita ab Angelo per talem ſpeciem impreſſam: atqui huiuſmodi cognitio eſt abſtractiva, ut patet ex dictis: ergo exiſtentia poteſt abſtractivè cognoſci. Confirm. 1. ratione deſumpta ex ipſo Scoto in 4. diſtinct. 45 qu. 3. §. *Ad quæſt. ergo, verſ. Breviter*, ſub lit. M. quia anima ſeparata recordatur præteritorum, quæ cognovit quando erat corpori unita: ſed quando erat corpori unita cognovit plura actualiter exiſtentia: ergo anima ſeparata recordatur, talia obiecta extitiſſe: ſed hoc fit per cognitionem abſtractivam, ut patet: ergo exiſtentia cognoſcitur abſtractivè. Confirm. 2: quia nos recordamur modo exiſtentiæ plurium, quæ extiterunt, & jam non exiſtunt: ſed non niſi per ſpecies impreſſas, cum non ſint in ſe præſentia, ut ſupponitur: ergo cognoſcimus abſtractivè illorum exiſtentiam. Eò, vel maximè, quia ut num. 9. dicebamus eſt valdè ac-

ci-

cidentales cognitioni abſtractivæ, quod ipſius objectum actu exiſtat, vel actu non exiſtat, cum talis cognitio fiat per ſpeciem, quę eodem modo illud reprǽſentat, cùm exiſtit, ac cùm nō exiſtit.

15 Dubit. 2. utrùm cognitio intuitiva ita neceſſariò verſetur circa objectum præſens; & exiſtens, ut in ſe præſens, & exiſtens eſt, quod repugnet, huiuſmodi cognitionem fieri media ſpecie impreſſa? Reſp. affirmativè. Ratio hujus (quam ſæpe attingit Scotus, & præſertim in 2. diſt. 3. q. 11. §. *Reſpondeo ergo, verſ. Item, impoſſibile*, ante lit. G.) eſt hæc; quia impoſſibile eſt, quod cognitio intuitiva habeatur per aliquid eodem modo ſe habens in repræſentando, ſive objectum ſit exiſtens, & præſens in ſe, ſive non ſic præſens, & exiſtens ſit; talis enim cognitio tendit in objectum, prout eſt præſens, & exiſtens in ſe reduplicativè, ut num. 6. dicebamus; ſed ſpecies impreſſa, utpotè habens modum permanentis, & non dependens ab obiecto in conſervari, eodem modo, & indifferenter repræſentat objectum, cùm exiſtit, ac cùm non exiſtit; cùm eſt præſens, ac cùm non eſt præſens, ut ſatis ex dictis conſtat; ergo cognitio intuitiva nequit fieri media ſpecie. Mai. & min. patent, conſeq. autem ſic efficaciter prob. quia agens naturale ita eſt determinatum ad unum ſpecie producendum effectum, ut neque conjunctim, neque diſiunctim oppoſitum producere valeat; per hoc enim diſtinguitur agens naturale ab agente libero; ſed ſpecies intelligibilis eſt agens naturale, ut nullus dubitare poteſt: erg. ſi ejus modus repræſentandi eſt talis, ut, quantum eſt de ſe, repræſentet obiectum indifferenter, & eodem modo, ſive tale obiectum exiſtat, ſive non; ſive in ſe ſit præſens, ſive non, implicat omninò, quod illud repræſentet determinatè, quatenus in ſe præſens, & exiſtens eſt, ſiquidem talis determinatio opponitur prædictæ repręſentandi indifferentiæ; conſequenterq; repugnat,

gnat, fieri media ſpecie cognitionem intuitivam.

16 Hæc ratio ſi benè perpendatur, valde efficax eſt, & ſolutio, qua illius vis enervatur, non facilè poterit inveniri. Sunt tamen aliqua effugia, quæ ex dictis haud difficulter præcluduntur; unde quoddam tantùm cujuſdam Scotiſtæ, quod noſtræ rationis efficaciam evadere videtur, hic apponemus, & impugnabimus. Inquit ergo, quod datur duplex ſpecies, una ſcilicet, quæ nata eſt dependere ab actuali influxu objecti, & hoc deficiente, illa deſinit eſſe, & hanc appellat intuitivam. Altera eſt, quæ eodem modo manet, ſive objectum ſit abſens, ſive præſens: & iſtam vocat abſtractivam; ex quo concludit, quod cum Scotus docet, cognitionem intuitivam fieri non poſſe per ſpeciem, loquitur tantùm de illa ſpecie, quæ eodem modo manet, cùm obiectum eſt præſens, ac cùm eſt abſens, non tamen de illa, quæ neceſſariò pendet ab actuali influxu, & præſentia obiecti: nam media iſta (inquit) benè fieri poteſt cognitio intuitiva.

17 Hoc tamen effugium, utpotè immediatè oppoſitum menti Scoti, ſic impugnatur 1. ex ipſius Subt. Doct. doctrina; nam in 4. diſt. 45. quæſt. 2. §. *Ad quæſt. ergo*, *verſ. Per iſtam rationem*, litt. D. loquens de cognitione intuitiva, ſic ait: *Cauſa illius ſufficientes, ſunt obiectum in actuali exiſtentia præſens, & intellectus agens, & poſſibilis*: & poſt pauca ſubdit: *Neceſſe eſt rem ipſam immediatè ſufficere ad cognitionem intellectualem habendam de ipſa: quia ſolum phantaſma non ſufficit ad cognitionem intuitivam obiecti*. Ex quibus verbis ſic efformatur ratio ad præcludendum prædicti Scotiſtæ effugium; ſecundùm Scotum cognitio intuitiva tendit in objectum præſens in actuali exiſtentia, ſeu in rem ipſam immediatè; ſed cognitio, quæ fit media qualibet ſpecie intelligibili non tēdit in ob-

jectum

jectum præſens in actuali exiſtentia, ſiquidem tendit in illud præſens in illa ſpecie, in qua repræſentatur, neque tendit in rem ipſam immediatè, ſiquidem tendit in illud mediante illa ſpecie ab hoc Scotiſta excogitata: ergo ſpecies, quæcumque ſit, media qua fiat cognitio intellectualis intuitiva, ex diametro opponitur expreſſæ menti Scoti, & conſequenter, &c.

18 Impugnatur 2. ex ipſo Doct. qui in 4. diſtinct. 10. quæſt. 8. §. *Reſpondeo, verſ. Videre autem*, lit. B. ſic expreſsè inquit; *Intellectio intuitiva eſt cognitio rei, ut in ſe eſt præſens: abſtractiva poteſt eſſe eius ſecundùm quod relucet in aliqua ſimilitudine*; ſed intellectio facta media quacumque ſpecie non eſt cognitio rei, ut in ſe eſt præſens, ſed ut eſt præſens in tali ſpecie, & aliàs eſt cognitio obiecti, ſecundùm quod relucet in aliqua ſimilitudine, ſcilicet in tali ſpecie, quam cognitionem aſſerit Scotus eſſe abſtractivam: ergo cognitio, quæ fit media aliqua ſpecie, quæcumque iſta ſit, neceſſariò eſt abſtractiva, repugnatque quod intuitiva ſit: & conſequenter illa ſpecies, media qua fiat intellectio intuitiva, eſt merum figmentum.

19 Pro complemento quæſt. inquiritur, unde proveniat, quod cognitio intellectualis, quæ fit media ſpecie intelligibili, nequeat eſſe intuitiva, & cognitio facta media ſpecie ſenſibili, verb. gr. viſio, neceſſariò intuitiva ſit? Reſp. quod ratio, ob quam intellectio nequit fieri media ſpecie, ſatis conſtat ex dictis in tota hac quæſt. Ratio autem, ob quam ſenſationes externæ neceſſariò ſunt intuitivæ, etiamſi fiant mediis ſpeciebus, eſt, quia ſpecies ſenſibilis, utpotè neceſſariò ab obiecto præſenti dependens in fieri, & conſervari, præcisè repræſentat illud, in quantùm actu exiſtens, taliter, quod ſi obiectum actu non exiſteret, & eſſet præſens, numquam huiuſmdi ſpecies illud repræſentaret in ratione obiecti actu ſenſibilis: ut

patet

patet ex dictis in lib. præced. circa ſenſus externos; ex quo provenit, quod ſpecies ſenſibilis externa neceſſar.ò repręſentat objectum ſenſibile, in quantum actu præſens, & exiſtens eſt; ac proinde ſenſatio, quæ fit media illa, ſemper eſt intuitiva.

DISPUT. IV.

De actibus, & habitibus intellectus.

PRæcedentem poſt diſputationem ad pręſentem uſitatus Philoſophorum ordo nos invitat; in qua pro coronide eorum, quæ ad potentiam intellectivam ſpectant, tam de actibus, quam de habitibus ipſius intellectus, breviter agemus. Sit ergo.

QUÆSTIO I.

Quanam, & quidnam ſint tres intellectus operationes?

1 DIcimus 1. actus, ſeu operationes intellectus (quas tres tantùm eſſe, à nullo dubitatur, & ex dictis in ſumulis ſatis conſtat) ſunt ſimplex apprehenſio, judicium, & diſcurſus. Hæc concluſio eſt communis; & probatur evidenter ſic: intellectus, cùm cognoſcit, vel apprehendit ſimpliciter aliquid, v. gr. hominem, abſque eo quod de illo aliquid affirmet, vel neget; & hæc eſt prima operatio; vel ultra progreditur judicando aliquid de homine aſſertivè, vel negativè, v. gr. quod ſit rationalis, vel quod non ſit inſenſibilis; & hæc eſt ſecunda operatio: vel denique ex una re affirmata, vel negata, aliam infert, ſeu deducit, diſcurrendo ex uno in aliud, v. g. eo quod homo eſt rationalis, infert, quod eſt riſibilis. ſed præter hos actus, ſeu operationes nullus alius

eſt

eſt excogitabilis; quicumque enim aſſignetur, vel reducitur ad prædictos, vel ad voluntatem, ut examinanti patebit: g. &c.

2 Dicimus 2. quævisoperatio intellectus ſeorſim ſumpta, ſcilicet tam ſimplex apprehenſio, quàm judicium, ac diſcurſus eſt una ſimplex qualitas, hoc eſt, non eſt actus formaliter compoſitus ex pluribus actibus, ſed in unico, ac ſimplici actu formaliter conſiſtens. Hæc conſilusio quoad omnes partes eſt conformior principiis Scoti, ut colligitur ex q. 13. quolib. & eſt communiter inter Scotiſtas recepta. Probatur quoad primam partem: quia unicus ſimplex actus una ſimplex qualitas neceſſariò eſt; ſed ſimplex apprehenſio eſt unicus ſimplex actus; nil enim aliud eſt, quàm ſimplex perceptio objecti: erg. ſimplex apprehenſio eſt una ſimplex qualitas. Hæc doctrina non ſolùm eſt vera loquendo de apprehenſione ſimplicium terminorum, ut ſunt ſubiectum, & prædicatum; ſed etiam loquendo de apprehenſione totius integræ propoſitionis. Ratio huius eſt; quia apprehenſiones plurium terminorum ſimpliciumſunt actus, quorum unuſquiſque ſuum tantùm repræſentat obiectum; g. ex illis, adhuc ſimul ſumptis, nequit componi apprehenſio alicuius integrę propoſitionis, per quam unum extremum cognoſcitur in ordine ad aliud: & conſequenter apprehenſio integræ propoſitionis eſt unicus actus ab omnibus illis diſtinctus. Prob. conſeq. quia illæ appræhenſiones ſimplicium terminorum, adhus ſimul ſumptæ, eſſent actus tantùm ſimplices terminos propoſitionis repræſentantes, & non illos repræſentarent reſpectivè in ratione ſubiecti, & prædicati, ut per ſe patet: ſed apprehenſio integræ propoſitionis eſt actus repræſentans terminos illius comparativè, ſcilicet reſpectivè in ratione ſubiecti, & prædicati; ergo hæc non eſt formaliter compoſita ex illis, ſed formaliter tantùm con-

conſiſtit in unico ſimplici actu integram propoſitionem integrantem; & conſequenter eſt una ſimplex qualitas.

3 Prob. concluſ. quoad 2. p. ſcilicet, quod judicium ſit una ſimplex qualitas. Nam ſi hæc operatio eſſet actus compoſitus, adæquatè quidem componeretur ex ſimplicibus apprehenſionibus ſubiecti, & prædicati, & forſan copulæ; ſed ex his componi nequit; ergo nullatenus eſt compoſitus. Prob. min. quia benè poſſunt eſſe in intellectu omnes prædictæ apprehenſiones, quin in illo ſit iudicium, cum ſcilicet percipitur ſenſus, & ſignificatum propoſitionis, & nondum aliquid affirmatur, vel negatur, ut num. præced. dicebamus; ergo judicium eſt aliquis alius actus præter illas apprehenſiones: & conſequenter non componitur formaliter ex illis, ſed eſt formaliter unus ſimplex actus, qui licet illas præſupponat, non tamen formaliter, & intrinſecè eas includit.

4 Hic obſervare oportet, quod judicium nihil aliud eſt, quam affirmatio, vel negatio unius de alio: ſeu intellectualis aſſenſus, vel diſſenſus. Ratio huius eſt, quia affirmatio, vel negatio non eſt aliud, quam cognitio, qua aliquid alteri tribuimus, vel ab eo removemus, non realiter, ſed tantum per ipſam cognitionem qua cognoſcimus aliquid alicui convenire, vel non convenire, ſed judicare, rem ſic eſſe, vel non eſſe, nil aliud eſt, quam aliquid tribuere illi, vel ab ea removere per cognitionem, ut eſt manifeſtum, & conſtat ex dictis in Summulis circa enuntiationem; ergo iudicium idem eſt, quod aſſenſus, vel diſſenſus; unde idem eſt actus, quo aliqua propoſitio judicatur, ac quo intellectus ei aſſentitur, vel diſſentitur.

5 Prob. concluſ. quoad 3. p. tùm ex ratione poſita nu. 4. probando judicium formaliter non conſtare ſimplicibus apprehenſionibus terminorum: nam etiam neq; diſcurſus formaliter conſiſtit

ſtit in actibus judicativis, ſiquidem poſitis iſtis, ut v. gr. quod homo eſt rationalis, & quod homo eſt riſibilis, poteſt adhuc non eſſe diſcurſus, ut per ſe patet: ergo, &c. Tum etiam quia aſſenſus antecedentis, v.gr. quod homo eſt rationalis; & aſſenſus conſequentis, v. gr. quod homo eſt riſibilis, ſecundum ſe conſiderati, & præciſa illatione unius ex alio pertinent ad ſecundam operationem intellectus, ut ex dictis conſtat; ſed diſcurſus eſt tertia intellectus operatio, juxta omnium conſenſum; ergo diſcurſus non conſtat formaliter actibus judicativis: & conſequenter formaliter conſiſtit in uno ſimplici actu illativo conſequentis ex antecedenti. Vnde benè advertit noſt. Lichet. q. 3. Prol. quod diſcurſus formaliter eſt illatio conſequentis ex antecedenti, & præſuppoſitivè, ſeu fundamentaliter eſt duæ præmiſſæ formatæ in debito modo, & figura, & terminativè ipſa concluſio: ſeu, ut alii loquuntur anteced. & conſeq. ſunt materia diſcurſus; formalitas autem, & eſſentia eius conſiſtit in iudicio illativo.

QUÆSTIO II.

In quo formaliter ratio veritatis formalis conſiſtat?

1 CUm veritas formalis, ſeu in cognoſcendo, ſit quædam affectio actuum intellectus, hanc quæſt. hic apponere libuit, ut in quo illa formaliter conſiſtat, perſcrutemur; advertendo, quod quidquid de veritate dixerimus, etiam de falſitate (utpotè illi oppoſita) ſuo modo per oppoſitum dictum teneatur. Ut autem clariùs procedamus.

2 Notandum eſt cum Scoto 6. Metaph. qu. 3. quod veritas multipliciter dividi poteſt. Primò in veritatem rei, quæ vocatur veritas in eſſendo, ſeu objectiva, quæ conſiſtit, in conformitate

ad aliud, tamquam ad ſuum exemplar, utpotè eſt exemplar increatum, cui conformatur. Cujus ratio eſt; quia ſicut ſe habent artefacta ad artificem, ita creaturæ ad Deum: ſed artefacta dicuntur vera per conformitatem ad artem, tanquam ad eorum menſuram; ergo, & creaturæ dicentur veræ per conformitatem ad artem Divinam, in qua omnium rerum continentur exemplaria, tanquam ad propriam earum menſuram. Ex quo infertur, quod veritas in eſſendo addit ſupra entitatem rei prædictam conformitatem, quæ eſt quidam reſpectus, non prædicamentalis, ſed tranſcendentalis: identificatur enim realiter cum ipſa entitate rei, ut per ſe patet.

3 Secundò, veritas dividitur in veritatem formalem, quæ eſt veritas cognitionis, ſeu veritas in cognoſcendo, & nihil aliud eſt, quam conformitas cognitionis cum ſuo obiecto, cum ſcilicet apprehenditur, vel iudicatur, vel circa illud intellectus ratiocinatur ſecundum illud eſse, quod ipſum obiectum a parte rei in ſe habet ut docet Scotus in 1. diſt. 48. q. un. §. *Ad argumentum*, lit. B. & amplius ex dicendis conſtabit. Tertiò ſecernitur in veritatem ſcripturæ, & locutionis, quæ conſiſtit in harum conformitate cum conceptibus mentis; & hoc evenit, cùm aliquis ita ſcribit, vel loquitur, ſicut mente res ab eo apprehenditur, & concipitur. Quartò denique dividitur in veritatem moralem, & hæc conſiſtit in integritate omnium eorum, quæ debent convenire rei ex recto dictamine rationis, iuxta exigentiam obiecti operabilis, à quo principia practica deſumuntur. In præſenti ſolùm agimus de veritate formali, ſeu in cognoſcendo, tanquam de ea, quæ ad noſtrum inſtitutum directè pertinet. Pro illa ergo.

4 Dicimus ad quæſt. veritas formalis, ſeu in cognoſcendo conſiſtit formaliter in conformitate actus cognitionis cum obiecto cognito, taliter,

ter, quòd illud ſic attingat, & repræſentet, ſicut ipſum in ſe eſt à parte rei. Sic Scotus ultimo loco alleg. Prob. concl. nam cognitio comparatur cum ſuo objecto, ſicut menſuratum cum ſua menſura; ergo in quo formaliter conſiſtit veritas menſurati, in eo ſic conſiſtere debet veritas cognitionis; ſed veritas menſurati formaliter conſiſtit in conformitate, quam habet cum ſua menſura; ergo, & veritas cognitionis in conformitate quam habet cum ſuo objecto formaliter conſiſtere debet. Ex quo infertur, quòd veritas formalis eſt relatio fundata in entitate abſoluta cognitionis, & terminata ad objectum, quatenus objectivè eſt verum. Cujus ratio eſt quia conformitas ex ſuo conceptu formali importat reſpectum; nequit enim intelligi ſine habitudine unius ad aliud, ut per ſe conſtat. An autem talis relatio ſit mutua, vel non, conſtat ex dictis in Log. diſp. *ad aliquid*, q. 3. ſect. 3. à n. 22.

5 Infertur etiam, falſitatem formalē eſſe relationem diſformitatis actus cognitionis cum objecto cognito aliter ac in ſe eſt à parte rei. Utrùm autem detur falſitas objectiva, & difficultas parvi momenti. Communiter reſpondetur ad illam negativè, eò quòd quælibet res ex ſua intrinſeca ratione tantùm eſt nata cauſare notitiam, ſeu cognitionem ſui, ſicut in ſe realiter eſt. A nemine autem negatur, quòd propter externam accidentium apparentiam, quam res diverſæ inter ſe habent, ſolent præbere occaſionem fallendi: quo pacto aurichalcum ſolet dici aurum falſum; eò quòd, cùm habeat ſimilitudinem accidentium cum auro, præbet occaſionem ut intellectus decipiatur. Hoc tamen non provenit ex intrinſeca ipſius natura, ſed ex creatæ potentiæ imperfectione, ſeu fallibilitate.

6 Dubit. utrùm veritas, & falſitas formalis reperiantur in qualibet intellectus operatione? Ante hujus dubii reſolutionem advertere

oportet, quo huiuſmodi veritas, una eſt complexa, & incomplexa alia. Veritas complexa, & complexa falſitas addunt ſupra conformitatem, aut difformitatem actus intellectus cum obiecto, aſſenſum, ſeu judicium affirmativum; vel diſſenſum, ſeu judicium negativum. Veritas autem incomplexa, & falſitas incomplexa tantum important conformitatem, vel difformitatem cognitionis cum obiecto. Hoc ſuppoſito, reſp. ad dubium, quod in qualibet intellectus operatione poteſt reperiri veritas formalis, aut formalis falſitas complexa, vel incomplexa: in prima enim operatione poteſt dari huiuſmodi veritas, aut falſitas incomplexa; ſiquidem actus cognoſcitivus ſimplicis apprehenſionis poteſt eſſe conformis, aut difformis obiecto per illum attacto, ut per ſe patet. In ſecunda verò, & tertia operatione reperiri poteſt prædicta veritas, aut falſitas complexa; cum in his, præter præfatam conformitatem, aut difformitatem cum obiecto actus judicativi, aut diſcurſivi, detur aſſenſus, vel diſſenſus. Tales veritates, & falſitates aliis nominibus nuncupari ſolent, nempè incomplexæ dicuntur veritates, aut falſitates ſecundum quid: complexæ autem vocantur veritates, aut falſitates ſimpliciter, & abſolutè.

QUÆSTIO III.

In qua aliqua diviſiones actus intellectus proponuntur.

1 SUppoſitis diviſionibus actus intellectus, ſeu cognoſcitivi, quæ in toto hoc libro manēt explicicatę, de aliquibus aliis hic breviter agemus; obſervando, quod quidquid de actibus dixerimus, de habitibus etiam ſuo modo eſt intelligendum. Igitur.

2 Dicimus ad quæſt. cognitio intellectualis di-

dividitur in illam, quæ ſemper veritatem attingit, ſeu ſemper agnoſcit, rem, ut eſt in ſe. & in illam, quæ aliquando veritatem, & aliquando falſitatem attingit. Cognitio, quæ ſemper attingit veritatem, ſeu obiectum, ſicut eſt in ſe cognoſcit, dividitur in intelligentiam, ſcientiam, ſapientiam, artem, atque prudentiam. Intelligentia eſt cognitio, ſeu notitia habens pro obiecto prima principia. Scientia eſt actus certus, & evidens rei neceſſariæ, &c. Sapientia eſt illa cognitio, quæ verſatur circa res altiſſimas, & eſt actus, ſeu habitus certiſſimus, & aliis longè præſtantior. Ars eſt actus, vel habitus cum vera ratione operativus, ut in Prooemial. Log. manet explicatum. Prudentia tandem eſt cognitio dirigens actiones, vel operationes humanas in genere moris. Cognitio autem, quæ aliquando veritatem, & aliquando falſitatem attingit, dividitur in fidem humanam, & opinionem. Fides humana eſt actus, quo quis aſſentitur alicui propoſitioni propter teſtimonium fallibile, quale eſt teſtimonium alicuius creaturæ. Opinio eſt actus, quo quis aſſentitur alicui propoſitioni cum formidine oppoſiti.

3 Deinde cognitio alia eſt, quæ numquam attingit veritatem, ſeu, quæ ſemper attingit obiectum aliter ac eſt in ſe, huiuſmodi eſt cognitio erronea. Alia eſt cognitio, quæ nullum attingit obiectum per aſſenſum, aut diſſenſum circa illud, ſed omninò ſuſpenſa manet. Hæc dividitur in ſuſpicionem, & dubitationem. Suſpicio eſt cognitio, qua intellectus magis propendit alteri duarum partium, non tamen ei aſſentitur. Dubitatio autem eſt cognitio, qua intellectus neutri duarum partium inclinatur, aut aſſentitur, & ſic omninò ſuſpenſus manet. Ex quo manifeſtè apparet, quod ſuſpicio eſt quædam ſpecies dubitationis. Apparet etiam, quod conſcientia (quæ eſt dictamen rationis applicatum ad opus, & cuius finis eſt benè mo-

raliter operari) non eſt cognitio diſtincta à prænumeratis, cum reducatur ad opinionem, vel ad prudentiã, vel ad aliquam aliam ex illis; tale enim dictamen aliquando eſt ſcientificum, aliquando opinativum, aliquando prudentiale, &c. Ob eamdem rationem non ponitur ſcrupulus, ut diſtincta cognitio ab enumeratis; nam reducitur ad dubitationem, ab iſtaque ſolum differt penes hoc, quod ille eſt anxia, formidoloſa, & inepta dubitatio, cum oriatur ex valde debili, aut nullo prorſus fundamento, aut ex magno ineptè ponderato.

4 Dubit. 1. quid ſit evidentia? Reſpond. eſſe quemdam modum repræſentandi obiectum ita clarè, & manifeſtè, ut nihil dubitationis poſſit eſſe in intellectu circa illud. Evidentia dicitur ſic à videndo, eo quod inter externos ſenſus potentia viſiva ſuum obiectum clarius attingere cenſetur. Cum autem in viſione experiamur, quod potentia infirma, & exigua lux repræſentant obiectum aliqualiter obſcurè; clarè tamen, & manifeſtè perſpicax potentia, & intenſa lux: ſic pariformiter ſuo modo evenit in cognitione evidenti. Dividitur evidentia juxta varia principia, ex quibus oriri poteſt, in moralem, phyſicam, & metaphyſicam, quarum examen, quia non multum intereſt, omittimus in præſenti.

5 Dubit. 2. quid ſit habitus? Supponitur hic dari habitus in potentiis; quod ipſa experientia oſtendit, ſiquidem videmus, homines uſu, & exercitio acquirere quamdam facilitatem agendi, quam antea non habebant: ſed hæc eſt habitus, ut ex reſolutione propoſiti dubii conſtabit: ergo, &c. Reſp. ergo, quod habitus *eſt quadam qualitas ad primam ſpeciem qualitatis ſpectans, permanens, diſponens ſubiectum, non ad ſimpliciter agendum, ſed ad promptè, facile, & expedite operandum, acquiſita in potentiis animæ ex actuum frequentatione.* Quæ habitus deſcriptio

de-

deducitur ex Scoto in 4. diſt. 6. q. 10. §. *Ad quæſtionem verſ. Reſpondeo ergo*, lit. O. & declaratur ſic.

6 Dicitur, quòd eſt *qualitas*; quia cùm habitus ſit aliquo modo activus, ad illud genus accidentis reduci nequit. Quòd autem pertineat ad primam ſpeciem qualitatis patet ex dictis in Logic. part. 2 diſp. 5. q. 2. ſect. 1. nam in hac ſpecie locantur illæ qualitates, quæ diſponunt ſubjectum ad agendum, & proveniunt ei ab extrinſeco; quæ enim ab intrinſeco competunt illi, ponuntur in ſecunda qualitatis ſpecie. Dicitur *permanens*, per quod differt ab actibus, qui cito tranſeunt. Dicitur *diſponens ſubiectum, &c.* per quod declaratur munus ipſius habitus & differt à qualitatibus, quæ non diſponunt ſubjectum ad agendum, cujuſmodi ſunt albedo, nigredo, &c. Dicitur prætereà *acquiſita ex actuum frequentatione*, in quo diſtinguitur habitus, de quo loquimur, ab habitibus infuſis; iſti enim non acquiruntur, ſed infunduntur à Deo immediatè. Deniquè dicitur, *in potentiis animæ*; quia juxta communiorem ſententiam, habitus acquiſiti non in eſſentia animæ, ſed in illius potentiis immediatè, & ut *quo* ſubjectantur; ut docet Scotus in 3. diſt. 33. qu. unic. §. *Ad primum verſ. Ad tertium*, ſub lit. M. & alibi. Quomodo habitus concurrant cum potentiis ad actus, examinatur in Theolog. in materia de habitibus; & aliqua circa hoc diximus cùm de concurſu Logicæ ad actus aliarum ſcientiarum agebamus.

7 Dubit. 3. quid ſit habitus primorum principiorum? Ante reſolutionem ſupponere oportet, tamquam certum dari habitum primorum principiorum; quod tam manifeſtum eſt, ac quòd nos talia principia cognoſcimus. Solùm eſt difficultas, an hujuſmodi habitus ſit aliquid diſtinctum ab intellectu, & ſpeciebus intelligibilibus, quæ in memoria intellectiva

reſervantur ex actibus ſcientificis elicitis ; an autem ſolùm ſit ipſemet intellectus cùm ſpeciebus intelligibilibus talium primorum principiorum ? Ad quod reſp. quòd habitus primorum principiorum nihil aliud eſt præter intellectum, & prædictas ſpecies intelligibiles. Ratio hujus eſt, quia habitus eſt quædam facultas collata potentiæ, ut abſque difficultate ſuos actus eliciat, ut ex dictis conſtat : ſed in cognoſcendo, aut aſſentiendo primis principiis nulla poteſt eſſe difficultas, cùm ex ipſis terminis ſint evidentia, & nota, ergo habitus primorum principiorum nihil aliud eſt præter intellectum, & ſpecies intelligibiles illorum.

8 An detur memoria intellectiva, & an ab intellectu aliquomodo diſtinguatur, apertè colligi poteſt ex dictis circa memoriam ſenſitivam, in lib. præced. diſp. 5. quæſt. 1. à num. 3. Recolantur ibi dicta, quæ ad memoriam intellectivam, ſervata debita proportione applicari poſſunt.

D I S P. V.

De voluntate.

QUamvis voluntas, prout eſſe morale induit, ad noſtrum inſtitutum non pertineat, benè tamen ſecundum eſſe phyſicum, & naturale. Ideò ad horum librorum complementum ſatis conſentaneum eſt, hanc de voluntate, poſt præcedentem de intellectu, diſputationem immediatè ſubtexere. Pro qua ſit

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quid ſit voluntas, quodnamque ſit illius adæquatum objectum?

1 SUpponit hæc quæſt. dari voluntatem, ſeu appetitum intellectivum. Quæ veritas exprimitur in Sacra Script. nam Matth. 16. ait Chriſtus D. *Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, &c.* & ſæpè veritas hæc reperitur in pluribus aliis illius locis. Quo, tamquam omninò certo, ſuppoſito.

2 Dicimus 1. voluntas eſt *appetitus cum ratione liber*. Hanc definitionem tradit Scotus in 3. diſt. 17. quæſt. un. §. *Iſtam quæſt. Verſ. Sed eſt, ne,* lit. B. Quæ definitio, ut ejus bonitas, & voluntatis natura melius cognoſcatur, explicatur ſic: ponitur ly *appetitus*, ratione generis; nam per hoc convenit in ratione appetitus cum appetitu ſenſitivo. Dicitur *cum ratione*, per quam particulam denotatur differentia appetitus rationalis à ſenſitivo; iſte enim ſine aliqua ratione fertur in ſuum objectum. Dicitur denique, *liber*, per quod ſecernitur voluntas ab intellectu, nam hic eſt potentia naturalis, & non libera; per hoc etiam diſtinguitur ab appetitu ſenſitivo, qui etiam non eſt liber, ſed naturalis. Ex quo deducitur, quòd libertas eſt quidditativa differentia voluntatis. Ad quod, ut patet, non obſtat illa diſtinctio communiter admiſſa, quatenus eſt natura, & quatenus voluntas; quia quatenus eſt natura tantùm importat, juxta Scotum ubi ſup. ſub lit. C. quamdam naturalem inclinationem in bonum ſibi conveniens, abſque omni prorſus libertate; in præſenti autem tantùm agimus de illa quatenus voluntas eſt, ſeu potentia libera.

3 Pro ſecundo, quod inquirit quæſt. (primum enim ſatis conſtat ex num. præced.) ſup-

ponendum eſt, talem difficultatem, non procedere de objecto terminativo, & materiali voluntatis; nam hoc, omnes fatentur, eſſe omne ens, ſicut etiam eſt obiectum intellectus; ſive tale ens ſit materiale, ſive ſpirituale; poſitivum, ſive negativum: univerſale, ſive particulare; reale, ſive rationis, ut ipſa experientia oſtendit: unde ſolùm reſtat difficultas in examinando, an ad hoc ut voluntas per actus proſecutionis, ſeu amoris tendat in aliquod objectum, ſimpliciter neceſſarium ſit, quòd tale obiectũ illi proponatur per intellectum ſub aliqua ratione boni, vel veri, vel apparentis, quæ voluntatem moveat ad prædictos actus? Et è converſo, an ad hoc, ut per actus fugæ, & diſplicentiæ tendat in aliquod obiectum, ſit neceſſarium ſimpliciter, quòd hoc ei proponatur ab intellectu ſub aliqua ratione mali, ſive veri, ſive apparentis, quæ illam ad tales actus moveat? Hanc difficultatem agitat Scotus in 1. diſt. 1. q. 4. §. *Ad argumenta*, *verſ. Ad tertium*, & aliis in locis, quos citat noſt. Merin. lib. 3. diſp. 6. q. 3. ſect. 1. Circa tamen illius mentis intelligentiam diviſi ſunt Scotiſtæ; ut autem illam nos exponamus poſſibili claritate, ac fidelitate, antequam aliquid reſolvamus, ſequentia præmittimus notabilia. Igitur.

4 Notandum eſt 1. quòd in voluntate datur duplex amor, unus ſcilicet amicitiæ, & alius concupiſcentiæ. Amor amicitiæ eſt, qui tendit in objectum, ut eſt in ſe; amor autem concupiſcientiæ, qui tendit in obiectum, ut conveniens alicui. E contra autem odium oppoſitum directè maiori amicitiæ, quod eſt actus fugæ, tendit in obiectum, ut eſt in ſe; odium autem directè oppoſitum amori concupiſcentiæ, quod communiter dicitur odium abominationis, eſt illud, quo quis fugit objectum, cùm ab eo apprehenditur, ut conveniens inimico. Ex quo infertur quòd inter amorem amicitiæ, & amorem concupiſcentiæ hoc præter alia verſatur diſcrimen,

nimi-

nimirum, quòd illud, quod amatur amore amicitiæ, amatur per ſe, & ſimpliciter; illud autem, quod amatur amore concupiſcentiæ, non per ſe, & ſimpliciter amatur, ſed amatur alteri, & quatenus eſt illi conveniens.

5 Notandum eſt 2. quòd duplex datur bonum, unum, ſcilicet, eſſentiale, & primarium; & aliud accidentale, & ſecundarium. Bonum eſſentiale, & primarium (quod ab aliquibus appellatur bonum in ſe) formaliter conſiſtit in intrinſeca integritate, & perfectione rei; unde illud ens, quod eſt integrum, & perfectum ex omnibus, quæ intrinſecè exigit, dicitur bonum eſſentiale, & primarium. Bonum autem accidentale, & ſecundarium eſt illud, quod eſt conveniens alteri (ideò hoc vocatur bonum alteri) hujuſmodi bonitas pro formali ſumpta conſiſtit in habitudine convenientiæ unius ad aliud. Eodem modo per oppoſitum philoſophandum eſt de malo: unde malum eſſentiale, & primarium conſiſtit in negatione intrinſecæ perfectionis, & integritatis entis; malum autem accidentale, & ſecundarium conſiſtit in poſitiva relatione diſconvenientiæ unius ad aliud. His ergo notatis.

6 Dicimus 2. ad quæſt. ſi ſermo ſit de bono accidentali, & ſecundario, & de malo oppoſito tali bono, nequit voluntas per amorem concupiſcentiæ velle, ſeu amare obiectum, in quo non ſit, aut appareat aliqua ratio huiuſmodi boni; neque nolle, aut odio habere obiectum, in quo non ſit, aut appareat aliqua ratio hujuſmodi mali, per amorem autem amicitiæ benè poteſt voluntas velle, ſeu amare obiectum, in quo nulla ſit, ſeu appareat ratio talis boni. Hæc concl. quoad utramque partem deducitur ex Scoto locis ſup. allegatis. Prob. 1. p. concl. ex D. Dionyſio de Divinis nominibus cap. 4. dicente: *Nemo reſpiciens ad malum operatur.* Et ex D. Anſel. lib. de concordia prædeſtinationis, & li-

liberi arbitrii, ubi ait: *Omnis voluntas equæ aliquid vult, rectitudinem vult, aut commoditatem, aut ſi aliquid aliud vult, non niſi quatenus illud ordinatur ad rectitudinem, vel commoditatem.* Ex ex D. Aug. qui in Enchirid. cap. 36. inquit: *Omnes beati eſſe volumus, miſeri autem eſſe non volumus, ſed neque velle poſſumus.*

7 Prob. eadem pars ratione; quia ſicut ſe habet intellectus reſpectu veri, & falſi quoad aſſenſum, & diſſenſum, ita voluntas reſpectu boni, & mali quoad volitionem, & nolitionem: ſed falſum, ut falſum, non poteſt eſſe obiectum aſſenſus; neque verum, ut verum obiectum diſſenſus, ut per ſe patet; ergo bonum, ut bonum nequit eſſe objectum nolitionis; neque malum, ut malum, obiectum volitionis. Neque valet, ſi oppoſitum ſuſtinentes reſpondeant, inter intellectum, & voluntatem eſſe quoad hoc maximum diſcrimen; quia ille eſt potentia naturalis, & neceſſaria, voluntas autem eſt potentia libera. Non quidem valet hoc, quia libertas voluntatis non facit, quòd obiectum malum, & diſconveniens, ſit conveniens, & bonum, ut per ſe conſtat: ſed tantùm facit, quòd ita liberè ponatur actus, ut poſſit ab ea non poni: unde voluntas (ut docet Scotus ubi ſup.) ita vult bonum, ut poſſit illud non velle; non tamen illud nolle. In ſenſu ergo primæ partis concluſionis nequit voluntas velle, ſeu amare malum, nec nolle, ſeu odio habere bonum.

8 Prob. 2. p. concl. quia ut n. 4. dicebamus, voluntas per actus amicitię tantummodo reſpicit obiectum, ut eſt in ſe, abſtrahendo à ratione convenientiæ, vel diſconvenientiæ, ut dicebamus n. 4. ſed in huiuſmodi convenientia, vel diſconvenientia conſiſtit ratio boni accidentalis, & ſecundarii, aut mali huic bono oppoſiti. ut num. 5. dictum manet: ergo voluntas per actus amicitiæ, vel inimicitiæ poteſt tendere in objectum, in quo nulla ſit, aut appareat ali-

qua

qua ratio boni, aut mali accidentalis, & ſecundarii. Patet conſequentia; nam ſi actus amicitiæ abſtrahunt à ratione convenientiæ, vel diſconvenientiæ, ut eſt certum (in hoc enim diſtinguuntur ab actibus concupiſcentiæ) omninò per accidens erit, ad hoc ut voluntas proſequatur objectum amore amicitiæ, aut illud fugiat odio inimicitiæ, quòd in tali objecto aliqua ratio boni convenientis, aut mali diſconvenientis ſit, vel appareat, ut eſt per ſe manifeſtum.

9 Arg. 1. ſi ſummum bonum, vel ſumma miſeria proponatur voluntati, hæc adhuc in ſuis actibus manet libera: ergo poteſt liberè velle, aut nolle; amare, vel odiſſe ſummum bonum, & ſummam miſeriam. Patet conſequentia, quia voluntas liberè poteſt mereri, aut demereri circa quodlibet ex prædictis objectis, ſed ad merendum, & demerendum neceſſariò requiritur libertas, ergo, &c. Reſpond. conceſſo antec. negando conſeq. quatenus dicit, voluntatem poſſe amare, vel odiſſe quodvis illorum objectorum. Ad prob. conceſſis maj, & min. negatur conſeq. nam ut voluntas mereatur, vel demereatur, non eſt neceſſarium, quòd circa quodlibet objectum, ſive bonum ſive malum, poſſit exercere actus oppoſitos poſitivè, quales ſunt amor & odium; ſed ſufficit, quòd poſſit liberè exercere actus privativè oppoſitos, quales ſunt amor & non amor, ſeu omiſſio amoris, quando tendit circa objectum bonum, & odium, & non odium, ſeu omiſſio odii, quando tendit circa objectum, quod proponitur ei ut malum. Hoc amplius ex dicendis conſtabit.

10 Replic. voluntas non tantùm eſt libera quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem, ergo quodlibet objectum ſibi propoſitum poteſt amare, & odio habere. Reſp. conceſſo antec. negando conſeq. ob rationem, quæ patebit explicando utramque libertatem. Igitur

tur ſcire oportet; quòd eatenus voluntas dicitur habere libertatem exercitii (quæ etiam appellatur libertas contradictionis) quatenus poteſt ponere actum, vel non actum, ſeu omittere actum, ſive ſit amoris, ſive odii. Eatenus autem dicitur habere libertatem ſpecificationis (quæ etiam vocatur libertas contrarietatis) quatenus liberè poteſt elicere actus poſitivè oppoſitos, uti ſunt amor, & odium. Hoc non eſt ſic intelligendum, ut circa quodlibet objectum, ſive bonum, ſive malum, poſſit indifferenter exercere tam amorem, quàm odium; ſed ita ut circa quodlibet poſſit exercere ſuam libertatem, tendendo ſcilicet circa bonum per amorem, vel per omiſſionem amoris; & circa malum per odium, vel per omiſſionem odii. Ex quo patet quomodo compatibile ſit, quòd voluntas ſit libera, etiamſi per amorem concupiſcentiæ non poſſit tendere circa malum, ut malum; nec per odium tali amori oppoſitum (quod communiter dicitur odium abominationis) circa bonum, ut bonum.

11 Arg. 2. plures appetunt non vivere, ſicut illi, qui deſperant, & alii appetunt annihilari, aut non eſſe, ſicut damnati: ſed in hujuſmodi objectis nulla eſt, ſeu apparet ratio boni, cùm conſiſtant in privatione vitæ, & carentia eſſendi, ut per ſe patet: ergo poteſt voluntas concupiſcere objectum, in quo nulla ſit, nec appareat ratio boni. Reſp. diſting. min. in talibus objectis nulla eſt, ſeu apparet ratio boni, eſſentialis, & primarii, conc. accidentalis, & ſecundarii, neg. min. Et ſimiliter diſtinguendum eſt conſeq. Itaque deſperantes, & damnati in illo non vivere, ſeu non eſſe, quod appetunt, reſpiciunt, ſeu apprehendunt aliquam rationem commodi, ſeu boni accidentalis, aut ſecundarii (ob quam rationem appetunt non vivere, aut non eſſe) quæ ratio eſt effugere per talia media labores, & pœnas, quas patiuntur.

Arg. 3.

12 Argum. 3. qui alterum odit odio inimicitiæ vult illi malum, ut illi malum eſt; ergo voluntas poteſt tendere affectu proſecutionis in malum, ut malum. Reſpond. neg. conſequentiam; quia in hoc caſu voluntas tale malum vult ſub aliqua ratione boni accidentalis, & ſecundarii, nempè prout tale malum, ut malum eſt inimico apprehendit, tamquam ſibi conveniens, ob quam convenientiam tendit amore concupiſcentiæ in malum, ut malum inimico eſt. Unde in hoc affectu concupiſcentiæ v. gr. *Volo malum inimici, ut malum illi eſt*, tale malum reſpectu huius actus habet rationem rei volitæ, ſeu objecti materialis; convenientia autem, ſeu bonitas accidentalis, & ſecundaria, quam in illo apprehendo, habet rationem obiecti formalis, & motivi. Similiter reſpondendum eſt, ſi obiiciatur nobis, quod ſi aliquis invidet alteri, dolet, & triſtatur de bono illius, ut bonum eſt ei, cui invidet. Cuius ſolutio apertè patet ex reſponſione immediatè data præcedenti argumento.

3 Dicimus 3. ſi ſermo ſit de bono eſſentiali, & primario, & de malo oppoſito huic bono, bene poteſt voluntas per actus concupiſcentiæ velle, ſeu amare obiectum, in quo nulla ſit, aut appareat ratio talis boni; & nolle, ſeu odiſſe objectum, in quo nulla ſit, aut appareat ratio huiuſmodi mali. Probat. ~~hæc concluſ.~~ ex ſup. dictis: quia voluntas per actus concupiſcentiæ reſpicit obiectum, ut bonum accidentale, & ſecundarium, nempe, quatenus unum obiectum importat convenientiam ad aliud, & per actum huic oppoſitum tendit in obiectum, ut malum accidentale, & ſecundarium, ſeu prout importat diſconvenientiam ad aliud: ſed contingere poteſt, quod malum eſſentiale, & primarium, cujuſmodi eſt *non eſſe* apprehendant aliqui, ut conveniens, ſicut contingit in damnatis; & bonum eſſentiale, & primarium, cuiuſmodi

eſt

eſt vita, aliqui apprehendant, ut diſconveniens, ſicut evenit in diſparatis, ut num. 11. dicebamus: ergo voluntas per actus concupiſcentiæ poteſt tendere in obiectum, in quo nulla ſit, aut appareat ratio boni, vel mali eſſentialis, & primarii; & conſequenter, &c.

14 Dicimus 4. ſi ſermo ſit de bono eſſentiali, & primario, aut de malo oppoſito tali bono, & de actibus amicitiæ, ut inimicitiæ, poteſt dici, vel quod eſt neceſſarium, quod in obiecto reluceat aliqua ratio talis boni, ut voluntas per amicitiam in illud tendat; vel aliqua ratio huiuſmodi mali, ut per inimicitiam tendat in illud: vel poteſt aſſeri, hoc neceſſarium non eſſe. Sic deducitur ex Scoto in 2. diſt. 6. qu. 2. §. *Viſo igitur, verſ. Sed hic eſt*, ſub litt. + M. Ratio pro utraque parte huius concluſ. eſt, quia non eſt aliqua ratio, vel auctoritas, quæ oppoſitum huius aſſerti convincat. Hoc aſſumptum probat. pro 1. p. concl. quia ſi aliquæ eſſent auctoritates, vel rationes oppoſitum illius convincentes, maximè adductæ in 2. concl. num. 6. ſed iſtæ tantum loquuntur de actibus voluntatis tendentibus in obiectum, non ut eſt bonum in ſe, quomodo reſpicitur ab actibus amicitiæ; ſed ut eſt bonum alteri, quod eſt bonum accidentale, & ſecundarium, qualiter reſpicitur ab actibus concupiſcentiæ: g. &c.

15 Prob. idem quoad 2. p. nam ſi pro oppoſito illius eſſet alicuius auctoritas, maximè Scoti: ſed hæc non opponitur noſtro aſſerto; nam etiamſi Doctor ſæpè dicat, quod voluntas poteſt amare obiectum, in quo nulla appareat ratio boni, & odiſſe obiectum, in quo nulla ratio mali reluceat; licet tantum ibi loquatur de actibus amicitiæ, & inimicitiæ, non de bono eſſentiali, & primario, ſed de accidentali, & ſecundario, & de malo huic oppoſito, ut illius litteram legenti patebit: ergo, &c. Deinde, quod nec ſit in oppoſitum aliqua urgens ratio; pro-

probatur: nam ſi aliqua eſſet, maximè id, quod communiter dicitur, nempe voluntatem, ſaltim per actus amicitiæ, poſſe tendere in omne ens, ideoque non reſpicere pro adæquato obiecto hoc, vel illud determinatum ens, ſed ens in tota ſua latitudine ſumptum: ſed hæc ratio non convincit id, quod in ea intenditur; ſiquidem; adhuc iſta ſuppoſita ratione, optimè poteſt defendi, quod voluntas per actus amicitiæ nequit tendere in aliquod obiectum, in quo non appareat aliqua ratio boni eſſentialis, & primarii; huiuſmodi enim bonum eſt quid tranſcendentale; ac proinde conſequitur ens in tota ſua latitudine ſumptum: ergo ex eo quod voluntas per actus amicitiæ poſſit tendere in omne ens, non ſequitur, illam poſſe tendere in obiectum, in quo nulla appareat ratio boni; conſequenterque nulla eſt ratio, quæ oppoſitum ſecundæ partis noſtræ concluſionis apertè convincat.

QUÆSTIO II.

Utrum voluntas ſit cauſa effectiva totalis, & adæquata ſuorum actuum?

1 SUpponit titulus huius quæſt. voluntatem non merè paſſivè, ſed activè ſe habere reſpectu ſuorum actuum: Sic docet Scotus in 2. diſt. 25. qu. unica, §. *Contra concluſionem*, lit. A. & expreſsè habetur in Sacra Scriptura; nam cap. 15. Eccleſ. dicitur: *Deus relinquit hominem in manu conſilii ſui*. Et cap. 31. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus: facere mala, & non fecit*. Et in Trident. ſeſſ. 6. Canon. 6. dicitur: *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, &c.* Sed prædictæ auctoritates apertè innuunt voluntatem eſſe potentiam activam, ut ex illis conſtat: ergo, &c.

Idem

Idem patet ratione, voluntas eſt potentia libera, ut ex fide conſtat, ſed libertas potentiæ nequit ſalvari abſque activitate: g. Prob. min. ex Doct. ubi ſup. nam ſi potentia non eſt activa, ſed tantum paſſiva, actus non erit in ejus poteſtate; patiens enim ideò patitur, quia agens agit: ſed prius non eſt in poteſtate poſterioris: g. actio agentis non eſt in poteſtate patientis, prout patiens eſt, & conſequenter ſi voluntas non eſſet potentia activa, ſed paſſiva tantùm, actus illius non eſſet in ejus poteſtate, proindeque non eſſet potentia libera, quod eſt pluſquam abſurdum. Reſtat ergo diſcutiendum, an ſit totaliter effectiva ſuorum actuum? Et ſupponitur etiam, quòd ad hoc, ut voluntas tendat circa aliquod objectum, neceſſariò requiritur, quòd ei proponatur per intellectum, à quo ſupponitur jam cognitum tale objectum, juxta commune effatum *Nihil volitum, quin præcognitum*; His ſuppoſitis.

2 Dicimus ad quæſt. ſola voluntas eſt cauſa totalis phyſicè effectiva ſuorum actuum. Sic Scotus ſup. cit. & aliis in locis. Prob. quia ſi aliquid aliud præter voluntatem eſſet cauſa effectiva actuum illius, maximè objectum, in quo per tales actus tendit: ſed objectum nullatenus eſt talis cauſa, ergo ſolummodò illos cauſat voluntas. Patet maj. & min. prob. quia ſi objectum concauſaret activè actus voluntatis, eſſet in iſtis aliqua formalitas, quæ proveniret ab objecto, & ei poſſet attribui; ideò enim dicimus cognitionem provenire efficienter ab objecto, quia in illa reperitur aliqua formalitas, nempè repræſentatio, quæ non ab intellectu, ſed ſolùm ab objecto provenire poteſt, ut in præcedentibus dicebamus, ſed in actu voluntatis nulla formalitas eſt aſſignabilis, quæ attribui poſſit efficientiæ objecti, ut illam perquirenti patebit, ergo tales actus ſolùm proveniũt efficienter à voluntate, & nullatenus ſic ab objecto.

3 No-

3 Notanter diximus in concluſione, quod voluntas eſt totalis cauſa ſuorum actuum *phyſicè effectiva*, nam nullo modo dubitare poteſt, quod obiectum in genere cauſæ finalis, poſtquam iam eſt cognitum ab intellectu, & propoſitum voluntati, movet illam ad productionem ſuorum actuum. Deinde etiam dici poteſt, quod intellectus proponens voluntati bonitatem, vel malitiam obiecti ſe habet tanquam cauſa efficiens moralis, ad modum illius, qui alteri conſulit aliquod bonum, vel malum. Certum tandem eſt, quod obiectum terminativè concurrit ad actus voluntatis, ſiquidem extrinſecè terminat illos, ſed cùm nihil horum aliquam veram, & phyſicam efficientiam arguat in obiecto penes tales actus, nullatenus opponitur noſtræ concluſioni.

5 Argum. 1. cont. concl. Verbum Divinum quod producitur per intellectum Patris, eſt principium productivum Spiritus Sancti, qui producitur per voluntatem; ergo pariformiter verbum mentale noſtrum, quod producitur per intellectum, erit principium productivum actuum noſtræ voluntatis. Reſpond. conceſſo antec. negando conſeq. Ratio eſt, quia Verbum Divinum non eſt principium productivum Spiritus Sancti, eo quod ſit cognitio proponens intellectui Patris obiectum Divini amoris, nempè eſſentiam Divinam (huiuſmodi enim cognitio eſt eſſentialis, & improducta: Verbum autem Divinum, ut tale, eſt quid notionale, & productum) ſed quia prius origine, quam producatur Spiritus Sanctus, Pater producit Verbum cum eadem numero natura, & voluntate, ac proinde cum eadem virtute ſpirativa, quam habet Pater, & ſic Pater, & Verbum ſimul, tanquam unum, & idem principium productivum producunt Spiritum Sanctum.

5 Arg. 2. ſpecificatio actuum voluntatis eſt quid creatum: g. neceſſariò habet aliquã cauſam effi-

efficientem; ſed hæc nequit eſſe ſola voluntas; erg. &c. Prob. min. quia alias omnes illius actus eſſent eiuſdem ſpeciei, ut patet; ergo ne hoc abſurdum admittatur, dicendum eſt, etiam obiectum eſſe cauſam effectivam actuum voluntatis. Reſp. negando min. ſubſumpt. voluntas enim, ſicut ſe ſola eſt cauſa effectiva totius realis entitatis actus, ita ſe ſola eſt cauſa effectiva intrinſecæ ſpecificationis illius (talis enim ſpecificatio deſumitur ab ipſa rei entitate) ex quo non infertur, actus voluntatis ſpecificari ab ipſa, aliud enim prorſus eſt, quod ſpecificatio actus habeat pro cauſa ſui efficiente voluntatem, & aliud, quod ab illa ſpecificetur. Quod patet exemplo; homo enim cùm generat hominem, cauſat efficienter illum in ſua ſpecie, ſpecificatio tamen hominis geniti eſt à propria, & intrinſeca ipſius entitate, & non ab homine generante: nam eſſet quidem eiuſdem ſpeciei, etiamſi a ſolo Deo produceretur. Specificatio ergo intrinſeca actuum voluntatis ab ipſorum entitate reali, & non à voluntate, deſumitur.

6 Dubit. quotuplex ſit libertas voluntatis? Ante huius dubii reſolutionem oportet prænotare, cauſas productivas, ſeu operativas eſſe in duplici differentia. Quædam enim ſunt, quæ operantur neceſſariò, & naturaliter, & ſunt illæ, quæ in ſuos effectus, ſeu operationes ita natura rapiuntur, ut poſitis omnibus requiſitis ad agendum, ſeu operandum, nullatenus poſſint non agere, ſeu non operari. Huiuſmodi ſunt ſenſus animalis, intellectus, Sol, ignis, & alia huiuſmodi. Aliæ autem ſunt, quæ liberè agunt, ſeu operantur, & ſunt illę, quæ adhuc poſitis omnibus requiſitis ad agendum, ſeu operandum, poſſunt non agere, ſeu non operari; ſive activè ſe ipſas determinant ad agendum, ſeu operandum. Hoc modo operantur Deus, Angeli, & homines. Hoc notato

Reſp.

7 Reſp. ad dubium, quod libertas voluntatis eſt triplex, nempe libertas eſſentialis: libertas contrarietatis, ſeu quoad ſpecificationem, & libertas contradictionis, ſeu quoad exercitium. Quod dentur tot libertates evidenter patebit ex earum explicatione. Igitur libertas eſſentialis ſtat in eo quod potentia ex ſua formali, & intrinſeca ratione ſe ipſam activè determinet ad operandum, & non determinetur ab alio. Cum qua libertate optimè compatitur neceſſitas in operando. Patet hoc in Divinis; nam Pater v. gr. liberè producit filium, & tamen illum producit neceſſariò, quia non poteſt non producere illum, ut tenent Theologi in materia de Trinit. Libertas contradictionis eſt illa, ſecundum quam voluntas poteſt ponere actum, & non ponere illum, ſeu illum omittere; cum enim ponere, & non ponere ſint contradictoria, ideo talis libertas dicitur contradictionis. Libertas denique contrarietatis eſt illa ſecundùm quam voluntas poteſt ponere actum, & contrarium illius, v. g. amorem, & odium: nam cùm huiuſmodi actus ſint contrarii; ideò talis libertas vocatur libertas contrarietatis. In hoc non amplius immoramur, quia difficultates, quæ controverti ſolent circa libertatem voluntatis, in pluribus tractatibus Theologiæ proprio gaudent loco, & præſertim in tractatu de actibus humanis.

QUÆSTIO III.

Utrùm voluntas ſit potentia nobilior intellectu?

1 Dicimus ad quæſt. voluntas eſt potentia perfectior, nobiliorque, quam intellectus. Sic Scotus in 4. d. 49. q. 4. in quæſt. later. per totam. Quem omnes ſui Diſcipuli ſequuntur, contra Thomiſtas, qui communiter oppo-

ſitum

ſitum tuentur. Prob. hæc concl. rationibus ipſius Scoti ibi. Primò, quia inter omnes animæ potentias, ſola voluntas eſt formaliter libera, & habet dominium non ſolùm ſuper ſuos actus, ſed etiam ſuper actus aliarum potentiarum: ſed huiuſmodi dominium neceſſariò arguit exceſſum perfectionis, & nobilitatis in voluntate reſpectu intellectus, & aliarum potentiarum, ut ipſa naturalis ratio demonſtrat: g. &c. Nec valerſi Adverſarii reſpondeant, etiam intellectum, habere aliquale dominium reſpectu voluntatis, dirigendo ſcilicet, & regendo illam, ut ſuos eliciat actus. Non enim valet hoc; nam huiuſmodi munus potiùs eſt genus miniſterii, quàm dominii; nam intellectus per judicium practicum non imperat voluntati, imò illi deſervit eam monendo, ſicut conſiliarius monet Principium: ideòque poteſt voluntas illum reſpuere, & jubere, ut aliud proponat conſilium. Eò, vel maximè, quia hoc aliquale imperium, quod exercet intellectus reſpectu voluntatis, non eſt propriè imperium, quia non eſt phyſicum, & cum dominio, ſed tantùm morale, & per modum perſuaſionis, ſeu conſilii.

2 Prob. 2. ex utriuſque potentiæ actibus; nam perfectior, & nobilior potentia elicit perfectiorem actum: ſed actus voluntatis eſt perfectior actu intellectus; ergo & potentia. Prob. min. quia perfectiſſimus actus voluntatis eſt actus charitatis, quo amamus Deum; & perfectiſſimus actus intellectus eſt ipſius Dei cognitio: ſed perfectior eſt ille actus, quàm iſte, tum quia 1. Corinth. 13. dicitur: *Maior autem horum eſt charitas*. Tum etiam quia actus charitatis nos unit ſummo bono, cùm tali actui repugnet; & incompatibilis ſit averſio à Deo; non autem ſic actui cognitionis illius, ut per ſe patet: g. actus voluntatis perfectior actu intellectus, & conſequenter, &c. Hæc ratio etiam probat, voluntatem eſſe perfectiorem intelle-

ctu,

ctu, eo quòd perfectior habitus, uti eſt habitus charitatis, reſidet in illa, quam quilibet habitus ex his, qui reſident in intellectu.

3 Arg. 1. intellectus minus dependet à voluntate, quam hæc ab intellectu; ſed maior independentia majorem arguit perfectionem in eo quod ſic eſt independens: ergo intellectus perfectior eſt voluntate. Confirm. quia tam intellectus, quam voluntas dimanant ab anima: ſed priùs natura dimanat intellectus, quam voluntas: ergo ideo eſt, quia ille eſt perfectior, quàm iſta. Reſp. ex Doct. ad argum. negando min. non enim ex dependentia unius ab alio infertur, hoc eſſe perfectius illo; compoſitum enim dependet à partibus, forma à materia, qualitas à quantitate; & finis à mediis: & tamen compoſitum eſt perfectius partibus; forma, materia; qualitas, quantitate: & finis, mediis, ut nullus dubitat. Deinde reſp. negando mai. nam licet voluntas, ut operetur, præexigat actum intellectus, hæc tamen præexigentia non benè dicitur dependentia, nam intellectus, ut loquitur Scotus, prærequiritur ad actum voluntatis, tanquam quid ei ſubſerviens, proponendo illi obiectum. Ad confirm. reſp. negando conſeq. quia ut docet Ariſt. 9. Met. text. 15. quod eſt poſterius alio, poteſt eſſe perfectius illo, ſiquidem poſteriora generatione ſunt priora perfectione; natura enim ſolet procedere ab imperfecto ad perfectum in eodem ordine, ut à forma mixti ad animam, quæ eſt perfectior illa.

4 Arg. 2. perfectior operatio arguit perfectiorem potentiam: ſed operatio intellectus eſt perfectior operatione voluntatis; ergo, &c. Maj. eſt certa, & min. prob. nam operatio intellectus eſt regulativa operationum voluntatis: quia eatenus voluntas benè, vel malè operatur, quatenus rationi conformatur, vel non conformatur: ſed quod eſt regulativum alterius, eſt perfectius illo: g. &c. Reſp. neg. min. & ad probatio-

nem illius dicimus, quod dupliciter poteſt unum dirigere, & regulare alterum, nempe, vel auctoritativè, & imperativè, quo modo Superior dicitur dirigere, & regulare ſuos ſubditos, vel tantum oſtenſivè, ſcilicet ſuadendo, & præbendo conſilium; hoc modo Conſiliarius dicitur dirigere ſuum Principem. Primum igitur regulandi genus importat quidem perfectionem & excellentiam regulantis ſupra regulatum; non autem ſecundum genus regulandi, nam hoc potius miniſterium, & famulatum denotat, ut patet. Etenim intellectus dicitur regulare voluntatem in ſecundo modo regulandi; non autem in primo, cùm voluntas ex propria libertate rationi, ſeu intellectui obſiſtere poſſit. Plura alia omittimus argumenta, quia ſunt facilis ſolutionis.

DISPUT. VI.

De anima ſeparata.

QUamvis aliqui AA. de anima ſeparata hic agere omittant, eò quod (inquiunt) ad præſens inſtitutum de illa tractare nullatenus ſpectat: plurimorum tamen uſus jam inolevit, ut aliqua de illa in præſenti lib. diſcutiantur. Et meritò quidem, quia, cum anima adhuc in ſtatu ſeparationis ſit ens phyſicè incompletum, dicatque eſſentialem habitudinem ad corpus, ſecundùm iſtam ſaltim conſiderationem, eſſe proprium Philoſophi de illa agere, non eſt dubium ac proinde aliqua circa hoc breviter attingemus. Pro quibus ſit.

QUÆSTIO I.

An ſtatus ſeparationis ſit animæ naturalis, an violentus?

1 SUpponimus hic, quod *naturale* multifariam ſumi poteſt nempe, prout opponitur ſupernaturali, prout opponitur libero, & prout opponitur violento, quæ acceptiones ſatis conſtant ex dictis in lib. Phyſic. Et negari non poteſt, quod animæ ſeparatio à corpore eſt utrique naturalis, ſumpto *naturale*, prout opponitur ſupernaturali; talis enim ſeparatio fit ex actione cauſarum naturalium; & etiam eſt aliquando naturalis, quatenus *naturale* opponitur libero, nempè, cum aliquis moritur ex febre orta ex cauſis naturalibus; aliquandoque eſt libera, cùm ſcilicet aliquis interficitur ab aliquo agente libero. Unde ſolùm reſtat controvertenda præſens difficultas de naturali prout opponitur violento.

2 Supponimus etiam, quod quadrupliciter poteſt aliquid dici eſſe in ſtatu violento. 1. cùm caret aliqua perfectione ſubſtantiali, licet aliam incompatibilem cum illa non habeat. Hoc modo poſſet dici, materiam eſſe in ſtatu violento, cùm nullam formam ſubſtantialem haberet. 2. cum caret aliqua perfectione accidentali tendente ad ipſius conſervationem quoad eſſe phyſicum. Quo pacto aqua, cum eſt calida dicitur violenter ſe habere, eò quod caret aliqua frigiditate tendente ad illius conſervationem. 3. quando caret aliqua perfectione, quam natum eſt in ſeipſum producere. In hoc ſenſu corpus grave, quandiu ſurſum detinetur, dicitur eſſe in ſtatu violento. 4. denique poteſt aliquid dici eſſe in ſtatu violento, cùm pro ſtatu, quem de facto habet, adeſt impedimentum, ut acquirat aliquas perfectiones accidentales, &

naturales, quas ſuaptè natura pro alio ſtatu habere poſſet, & non habet de facto alias iis, quas poſſet habere æquivalentes. Hoc modo intellectus alligatus ad phantaſmata pro hoc ſtatu, ſi pro alio ſic alligatus non eſſet, poteſt dici eſſe in ſtatu violento. His igitur, ut quævis abigatur æquivocatio, ſuppoſitis.

3 Dicimus 1. in primo ſenſu ex præexplicatis, ſeparatio animæ à corpore non eſt illi naturalis, ſed violenta. Prob. quia *violentum* in hoc ſenſu importat carentiam alicujus perfectionis ſubſtantialis, licèt aliam incompatibilem cum illa, & ei æquivalentem non habeat; ſed anima ſeparata pro tali ſtatu caret ſubſtantiali complemento, ad quod eſſentialiter ordinatur, nempe conſtitutione compoſiti ſubſtantialis: ergo talis ſtatus ſeparationis eſt illi violentus in hoc ſenſu.

4 Dicimus 2. in tribus poſterioribus ſenſibus explicatis n. 2. non eſt violentus animæ ſtatus ſeparationis à corpore. Prob. quia anima in ſtatu conjunctionis cum corpore nullas perfectiones habere, aut producere in ſe poteſt, quas in ſtatu ſeparationis nequeat habere, aut in ſe producere; vel ſaltim alias illis æquivalentes: & præterea in tali ſeparationis ſtatu nullatenus caret aliqua perfectione tendente in illius conſervationem; ſiquidem nec in ſuo eſſe, aut conſervari ab aliquibus accidentibus dependet, cùm ſpiritualis ſit: ſed hoc eſt non eſſe illi violentus ſtatus ſeparationis, ut conſtat ex dictis num. 2. ergo, &c.

5 Dicimus 3. anima conſiderata ſecundùm ſtatum, quem de facto habet (ſuppoſito peccato originali) cùm eſt corpori conjuncta, magis debet appetere ſeparationem, quàm conjunctionem cum illo. Secùs autem dicendum eſt, ſi conſideretur ſecundùm ſtatum, quem haberet, ſi peccatum originale non fuiſſet. Prob. concl. quoad 1. p. nam anima ſeparata careret multis im-

imperfectionibus, quas (ſuppoſito originali peccato) pro hoc ſtatu habet, & acquireret plures perfectiones, quas modo habere non poteſt; nam caret omnibus moleſtiis corporis, & poſſet acquirere ſcientiam omnium rerum magis perfectam, quam poteſt habere pro hoc ſtatu, ſuppoſito peccato: ergo plus debet appetere ſeparationis ſtatum, quam coniunctionis in hac ſuppoſitione. Probat. eadem concluſ. quoad 2. part. quia ſi non fuiſſet peccatum originale, anima pro ſtatu coniunctionis cum corpore poſſet habere eaſdem cognitiones, quas in ſtatu ſeparationis haberet, & ultra hoc non careret ſuo complemento ſubſtantiali, ut per ſe patet: ergo in hac hypotheſi magis appeteret coniunctionem cum corpore, quam ſeparationem ab illo.

6 Dicimus 4. ſimpliciter, & abſolutè loquendo ſeparatio animæ à corpore dicenda eſt de facto violenta illi. Prob. hæc concluſ. quia talis ſeparatio eſt contra innatam animæ inclinationem, ſiquidem huiuſmodi inclinatione naturaliter magis propendit in ſubſtantiale complementum, quam in accidentale; ſed quando eſt conjuncta corpori habet ſuum ſubſtantiale complementum, quamvis aliquo accidentali careat: g. abſolutè loquendo, dicendum eſt, ſtatum ſeparationis à corpore eſſe animæ violentum.

7 Arg. contra hoc, ſeparatio animæ a corpore eſt illi abſolutè violenta; ergo unio ipſius cum corpore, qua iſti in reſurrectione coniungetur erit naturalis; ſed hoc eſt falſum, quia reſurrectio naturalis non eſt: ergo &c. Reſp. diſting. conſequ. talis unio erit illi naturalis, prout naturale opponitur violento, conc. prout naturale opponitur ſupernaturali, neg. conſeq. Quæ ſolutio ſatis conſtat ex dictis n. 1. Unde patet, quod licet reſurrectio non ſit naturalis, prout naturale opponitur ſupernaturali; eſt tamen naturalis, prout naturale opponitur violēto, eoquod anima

innata inclinatione propendit in unionem cum corpore.

8 Obſervandum eſt, quod ſi Scotus alicubi dixerit (ut ab aliquibus ſolet ad hoc allegari) quod ſeparatio a corpore ſimpliciter eſt animæ violenta, vel quod anima non dicit inclinationem ad corpus; tantum intendit in primo loco, quod talis ſeparatio non eſt animæ violenta, quatenus *violentum* ſumitur pro eo, quod ita eſt contra inclinationem illius, cui ineſt, ut nullam ſecum habeat annexam perfectionem, quæ eſſet juxta inclinationem ipſius ſubiecti; in hoc enim ſenſu ſeparatio a corpore non eſt animæ violenta, nam licet ſit contra naturalem illius inclinationem; talis tamen ſeparationis ſtatus habet annexas aliquas animæ perfectiones illi naturales, quas in ſtatu coniunctionis ſic non haberet, ut ex dictis num. 5. conſtat. In ſecundo autem loco (ſi ita loquatur) dumtaxat intendi, quod anima non dicit inclinationem ad corpus, ideſt, talem inclinationem, quæ poſſit reduci ad actum per aliquas cauſas naturales; in hoc enim ſenſu verum quidem eſt, ſiquidem talis inclinatio ſolùm poteſt reduci ad actum per Deum; ſed ex hoc nihil contra nos, ut ex noſtris concluſionibus patet.

QUÆSTIO II.

Quæ potentiæ maneant in anima ſeparata?

1 CUm potentiæ animæ in ſtatu coniunctionis cum corpore aliæ ſint vegetativæ, aliæ ſenſitivæ, & intellectivæ, ſeu rationales aliæ, inquirimus in præſenti, an, cum anima à corpore ſeparatur, omnes prædictæ potentiæ maneant in ea? An ſolum aliquæ ex illis, & quænam? Pro cuius deciſione

2 Notandum eſt, quod potentiæ organicæ qua-

quales ſunt vegetativa, & ſenſitiva, dupppliciter poſſunt conſiderari, ut alibi dictum eſt. Primò, prout important illam animæ perfectionem, quæ eſt principium partiale, & *quo* operandi ſenſitivè, ex qua partialiter coaleſcit ſenſitiva potentia. Secundò, quatenus dicit talem perfectionem, & ſimul organum corporeum, ex quibus principium totale, ſeu *quod* operandi ſenſitivè adæquatè conſlatur. Primo modo conſideratæ tales potentiæ realiter identificantur cum anima, ut in præcedentibus ex profeſſo ſatis oſtendimus. Secundò autem modo ſunt realiter ab anima diſtinctæ, cùm realiter ab illa ſeparentur: potentia enim viſiva v. gr. ſeu principium *quod* viſionis, quod æquè eſſentialiter includit illam animæ perfectionem, quæ eſt principium partiale, ſeu *quo* viſionis, & organum corporeum, certum eſt, quòd non manet in anima, cùm hæc ſeparatur à corpore: ut eſt per ſe manifeſtum. Hoc notato

3 Dicim. ad quæſt. omnes potentiæ inorganicæ, & ſpirituales, cujuſmodi ſunt intellectus, & voluntas, manent in anima in ſtatu ſeparationis; non autem ſic potentiæ vegetativæ, & ſenſitivæ in ſecundo ſenſu ſup. explicato conſideratæ. Hæc concl. quoad 1. p. eſt Scoti, cùm ſtatuit realem identitatem animæ cum ſuis potentiis, loco alibi allegato; & quoad 2. p. docetur ab ipſo in 4. diſt. 44. qu. 2. §. *Ad quæſt. verſ. Nec tamen*, litt. B. Utraque concluſionis pars evidenter conſtat ex doctrina tradita num. præced. quia ſi potentiæ inorganicæ, & ſpirituales animæ realiter cum illa identificantur: ergo in quocumque ſtatu anima conſideretur illas ſecum ſic identificatas habet; ſeparatio enim unius ab alio realem abſolutam infert diſtinctionem, ut in logica ſatis latè manet oſtenſum. Deinde, potentia ſenſitiva in ſecundo prædicto ſenſu, quæ eſt principium *quod* ſenſationis æquè dicit eſſentiali-

ter illam animæ perfectionem, quæ eſt principium *quo*, & organum corporeum: ſed hujuſmodi potentia ſic adæquatè ſumpta, deſtruitur, ſeu deficit, cùm anima ſeparatur à corpore, ut eſt per ſe manifeſtum? ergo potentiæ vegetativæ, & ſenſitivæ non manent in anima ſeparata à corpore.

4 Dubit. an in anima ſeparata remaneant ſpecies intelligibiles, & habitus, quibus erat prædita, dum erat corpori unita; Reſp. affirmativè, attento naturali rerum ordine. Hæc reſolutio quoad 1. p. eſt Scoti in 4. diſt. 45. q. 1. §. *Hic eſt, verſ. Ex hoc habeo,* ante litt. C. Prob. nam ſpecies intelligibiles ſunt ſpirituales, ac proinde non dependent à corpore in conſervari, licet cum dependentia à phantaſmatibus fuerint acquiſitæ ab anima, cùm eſſet corpori conjuncta. Deinde tales ſpecies nullum habent contrarium, nec ſunt tranſeuntes, ut actus, ſed permanentes, ut habitus; & tandem ſubjectum, cui inſunt, eſt incorruptibile: ergo nulla eſt aſſignabilis ratio, ob quam debeat admitti, ipſas deſtrui cùm anima ſeparatur à corpore, & conſequenter, &c. Confirm. nam animæ ſeparatæ recordantur præteritorum, ut conſtat ex parabola divitis Epulonis relata à D. Luca c. 16. ſed talis recordatio fit per ſpecies intelligibiles, quas anima, cùm erat corpori unita, acquiſivit; non enim eſt ratio, cur iſtas ei denegemus, & alias diverſas concedamus, ut conſideranti patebit: ergo, &c.

5 Prob. 2. p. ejuſdem reſolutionis ex D. Hieron. qui in Prol. Biliæ ſic ait: *Diſcamus in terris, quorum nobis ſcientia remanebit in cœlis.* Deinde ratione: quia ſcientia ſuaptè natura incorruptibiliter manet; habet quippe neceſſitatem ex objecto; & præterea ineſt ſubjecto incorruptibili, ſcilicet intellectui: ergo remanet in anima in ſtatu ſeparationis; & conſequenter idem dicendum eſt de habitibus voluntatis; nam eadem in utriſque adeſt ratio.

No-

Notanter reſpondendo præjacto dubio diximus *Attento naturali rerum ordine*; nam inſpecta Dei providentia, poteſt aliter diſponi; prout ſibi placuerit, vel in præmium beatorum, vel in damnatorum pœnam.

6 Obſervandum eſt prò majori dictorum firmitate, quòd cùm Apoſt. 1. ad Corinth. 13. loquens de ſtatu futuræ vitæ dicit, quòd ſcientia deſtruetur, tantum loquitur (juxta PP. intelligentiã) de dono ſcientię, quod comitatur fidem; tale enim donum deſtruitur ſimul cum ipſa fide, quæ non datur in patria, ſicut ex ipſo prædicto loci contextu conſtat. Et item cùm Eccleſ. c. 9. inquit, quòd mortui nihil noverunt ampliùs; nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia erunt apud inferos; vel loquitur in perſona ſtulti, & impii, ut exponit Div. Hieron. ibi, vel tantùm intendit, quòd damnati amplius nihil cognoſcent, quod illis ad ſalutem prodeſſe poſſit, ut noſt. Lyra interpretatur. Denique cùm Ariſt. agens de prædicam. qualit. docet, quòd ſcientia longa ægritudine deletur, & corrumpitur, intelligendus eſt de ſpeciebus ſenſibilibus, quæ ad uſum habitus ſcientifici deſerviunt; iſtæ enim in ęgritudine langueſcunt, & aliquando totaliter deſinunt eſſe: in quo caſu non datur uſus habitus ſcientifici; quia neceſſe eſt, quòd intelligens pro hoc ſtatu à phantaſmatibus dependeat. Ex quibus patet, quòd anima in ſtatu ſeparationis perfectius intelligit, quàm cùm eſt corpori unita; ſiquidem pro illo ſtatu à phantaſmatibus in cognoſcendo non dependet.

QUÆSTIO III.

Quænam obiecta cognoſcat anima ſeparata, & per quas ſpecies?

1 DIcimus 1. pro 1. part. quæſt. anima in ſtatu ſeparationis cognoſcit obiecta, quæ cognovit prius cum erat corpori unita; & etiam acquirit cognitionem aliorum, quæ antea non agnovit. Hæc concluſ. quoad 1. part. conſtat apertè ex dictis in præced. quæſt. num. 4. & 5. quoad ſecundam autem partem expreſsè docetur à Scoto in 4. diſt. 45. quæſt. 2. *verſ. Ad quæſtionem ergo*, lit. C. Prob. ratione ipſius ſic: agente naturali ſufficienti activo, & paſſo ſufficienti paſſivo debitè, & ſufficienter approximatis, neceſſariò ſequitur effectus: ſed cùm anima ſeparata habet objectum, v. gr. lapidem, debitè, & ſufficienter ſibi præſens, concurrunt illa omnia reſpectu productionis cognitionis talis objecti: ergo ſi animæ ſeparatæ debitè proponantur obiecta, quæ antea non novit, neceſſariò eliciet cognitionem circa illa. Mai. patet, & min. prob. nam anima ſeparata habet intellectum agentem (eſt enim hic realiter identificatus cum illa, ut in his lib. ſæpè manet oſtenſum) qui ſimul cum obiecto debitè ei approximato eſt ſufficiens cauſa naturalis effectiva ſpeciei intelligibilis; & habet etiam intellectum poſſibilem ſufficienter paſſivum, ſeu receptivum talis ſpeciei; ergo neceſſariò intellectus agens talem ſpeciem producet, & intellectus paſſibilis illam recipiet: ſed hoc ſuppoſito, nequit non fieri cognitio talis obiecti, ut per ſe patet: g. &c.

2 Dicimus 2. pro 2. p. quæſt. anima ſeparata cognoſcit obiecta, quæ noverat quando erat corpori unita per eaſdem ſpecies, quibus illa noverat antea: quæ ſpecies manent in ea in ſta-

tu ſeparationis ut ſupponimus ex quæſt. antec. num. 4. Prob. hæc concluſ. quia ſi aliæ novæ ſpecies eſſent neceſſariæ, maximè quia ſpecies quas anima, dum erat corpori conjuncta, acquiſivit, non ſufficerent, ut quando eſt ſeparata talia objecta cognoſceret: ſed falſum eſt, priores ſpecies ad hoc non ſufficere: ergo per illas cognoſcit, & aliæ omninò fruſtra admittuntur. Prob. min. nam ſi tales priores ſpecies non ſufficerent ad hoc, eò eſſet, quia humanus intellectus ſuaptè natura haberet ſe convertere ad phantaſmata, ut cognoſcat; & cum in ſtatu ſeparationis animæ non ſint phantaſmata, ad quæ ſe convertere poſſit, hinc eſt, quòd nec per illas priores ſpecies (quibus mediis cum converſione ad phantaſmata ſit cognitio) cognoſcere poſſit; ſed eſt falſum, quod intellectus ex natura ſua (præſertim in ſtatu ſeparationis) habeat ſe convertere ad phantaſmata; nam talis converſio, adhuc in ſtatu conjunctionis cum corpore eſt valde accidentalis ei ſecundùm ſe conſiderato, & magna ex parte pœnalis, ut alibi dicebamus: g. poteſt ex natura ſua abſque tali converſione cognoſcere; & conſequenter, &c.

3 Dicimus 3. anima ſeparata cognoſcit objecta materialia, quæ antea non novit, per ſpecies talium objectorum miniſterio intellectus agentis à materialitate denudatas, & in intellectu poſſibili receptas: unde in tali ſtatu non cognoſcit illa objecta per ſpecies à Deo infuſas. Hæc concl: poteſt probari ratione poſita nu. 1. pro 1. concl. ut illam perpendenti patebit. Deinde, quia ſi propoſito animæ ſeparatæ objecto proportionato, non poſſet illud cognoſcere per ſpecies ab eo, medio intellectu agenti, acceptas; ſed indigeret peculiari ſpecierum à Deo infuſarum influxu, ſequeretur animam eſſe inferioris conditionis, quam quævis alia creatura: ſed hoc eſt abſurdum: g. &c. Patet ſequela; quia quævis alia creatura, debitè approximato paſſo, ſi ſit

agens naturale, poteſt operari, imò neceſſariò operatur, cùm ſolo generali, & abſque aliquo ſpeciali Dei concurſu; ſed hoc non poſſet anima in ſtatu ſeparationis, juxta oppoſitam ſententiam; ergo eſſet inferioris conditionis, quam quævis alia creatura, quod nequit admitti; & conſequenter, &c.

4 Conſultò diximus in concluſ. animam ſeparatam cognoſcere per proprias ſpecies objecta materialia; nam cùm hæc objecta, utpotè materialia, & improportionata, non poſſint immediatè ſimul cum intellectu cauſare intellectionem, quæ eſt entitas ſpiritualis; illam cauſant mediatè, producendo ſcilicet ſpeciem intelligibilem, ſimul cum intellectu agente (cujus munus eſt res materiales depurare, & ſpecies intelligibiles abſtrahere) & proportionatam, utpotè ſpiritualem, ut ſimul cum intellectu producat intellectionem, quæ ideò neceſſariò eſt abſtractiva. Cùm autem objecta ſunt ſpiritualia, illa cognoſcit anima ſeparata abſque interventu intellectus agentis; nam ſi cognoſcat illa intuitivè, ipſa objecta ſimul cum intellectu poſſibili cauſant immediatè cognitionem; ſi autem abſtractivè cognoſcat illa, objecta ipſa producunt ſpeciem intelligibilem, quæ utpotè ſpiritualis, & proportionata, ſimul cum intellectu poſſibili intellectionem cauſat. Nullatenus ergo, ut anima ſeparata cognoſcat objecta ſibi proportionata, quæ antea non noverat, indiget ſpeciebus à Deo infuſis; ſed illa cognoſcit per ſpecies ab ipſa acquiſitas propria naturali virtute.

5 Pro aliquarum ſolutione argumentorum oportet obſervare, quòd cùm communiter dicitur, objectum materiale eſſe intelligibile in potentia, non autem in actu, non eſt hoc intelligendum reſpectu cujuſcumque intellectus, ſed ſolùm reſpectu intellectus animæ unitæ corpori; quatenus ſcilicet requiritur, quòd prius per omnes ſenſus tranſeat ad phantaſiam, & ex hac

ad

ad intellectum, & ideo à tali intellectu non eſt actu intelligibile, & immediatè, ſed mediatè, & in potentia. Cæterùm, cùm anima ſeparata hujuſmodi impedimentum non habeat, poteſt immediatè ab objectis, adhuc materialibus, abſtrahere ſpecies, quibus objecta illa abſtractivè cognoſcat.

6 Ne tamen circa prædicta oriatur aliqua æquivocatio, etiam obſervare opus eſt, quòd cùm dicimus ſupra, objectum materiale eſſe intelligibile in potentia, & non in actu reſpectu intellectus animæ unitæ corporis; non autem ſic reſpectu intellectus animæ à corpore ſeparatæ, tantùm intendimus, quòd ad hoc, quòd tale objectum ab intellectu animæ ſeparatæ intelligatur, non præcedit aliqua operatio alterius potentiæ ab intellectu diſtinctæ; ſed immediatè, & abſque interventu alterius potentiæ, intellectus agens verſatur circa illud cauſando ſimul cum eo ſpeciem intelligibilem, per quam tale objectum ſit intelligibile in actu: non autem ſic evenit in intellectu animæ unitæ corpori reſpectu ejuſmodi objecti materialis; ſiquidem antequam talis intellectus aliquid agat, ſeu operetur circa illud, præcedunt operationes ſenſuum, tam externi, quàm interni, à quibus priùs percipitur.

7 Ex dictis ſup. num. 4. oritur unum dubium, ſcilicet, quare objectum materiale ſit improportionatum, ut ſimul cum intellectu cauſet immediatè intellectionem, quæ eſt entitas ſpiritualis; & non ſit improportionatum, ut ſimul cùm intellectu agente immediatè cauſet ſpeciem intelligibilem, quæ etiam entitas ſpiritualis eſt? Reſpond. quòd ratio, ob quam objectum materiale nequit concauſare intellectionem, non eſt præcisè, quia eſt aliquod materiale, quia hoc non tollit, quòd ſimul cum potentia ſpirituali poſſit concauſare entitatem ſpiritualem; nam aliquod objectum

non

non vitale, v. g. lapis, ſimul cum potentiæ vitali, v.g. viſu, poteſt cauſare viſionem, quæ eſt entitas vitalis: & aliquod entitativè naturale, v.g. 1. noſtra voluntas, ſimul cum aliquo entitativè ſupernaturali, v.gr. habitu charitatis, cauſat actum ſupernaturalem amoris Dei: unde objectum materiale benè poteſt ſimul cum potentia ſpirituali entitatem ſpiritualem cauſare. Sed ratio, ob quam tale objectum immediatè intellectionem concauſare nequit, eſt, quia cùm ſit quid materiale, & extenſum, eſt de genere ſenſibilium, & non eſt actu intelligibile, uſque dum ab intellectu agente, ſimul cum illo producatur ſpecies intelligibilis, qua producta, manet objectum materiale intelligibile in actu. Ex quo ſatis patet improportio objecti materialis ad hoc ut immediatè concauſet intellectionem; & proportio, ut concauſet ſpeciem intelligibilem. Et hæc ſufficiant pro aliquali notitia animæ in ſtatu ſeparationis, & pro completo tractatu animæ in quolibet ſtatu. Quæ omnia cedant in laudem, & gloriam D. O. M. Sanctiſſimæ Chriſti Genitricis abſque peccati labe conceptæ, hujus dulciſſimi Sponſi; Seraphici P. N. Franciſci atque Maximi Eccleſiæ Doctoris Divi Hieronymi, cuius in feſtivitatis die huic operi finem imponebamus.

TRA-

TRACTATUS

In quo de aliquibus ad Metaphyſicam pertinentibus aliqualis traditur notitia.

PRÆLUDIUM QUODDAM.

DIviſit Ariſt. hunc tractatum in duodecim libros, in quibus omnia, quæ ad Metaphyſicam ſpectant, & propoſuit, & exagitavit, de quibus omnibus diſutare in præſenti non licet; indiget enim illorum diſputatio, non unico, & brevi, ſed pluribus, & valde extenſis voluminibus: aliqua tamen ad Metaphyſicam pertinentia, tam in Logica, quam in Phyſica, aliqualiter manent diſcuſſa, nunc verò de cæteris, quæ ſpecialem difficultatem præſeferunt, indiſtinctè, & non librorum Metaphyſicæ ordinem inſectantes, aliqualem tradere notitiam intendimus. Qui autem ampliorem notitiam deſideret, præcipuè inter noſtros conſulat Maſtrium 4. & 5. tom. Curſus Philoſophici, ubi lato, & ſubtili calamo metaphyſicas difficultates proponit, diſputat, atque reſolvit.

Inter cæteras Philoſophiæ partes Metaphyſica primatum tenet: quapropter nobilioribus eſt decorata nominibus. Dicitur enim *Philoſophia per antonomaſiam*, *Prima Philoſophia*, *&* *Philoſophia univerſalis*, eò quòd verſatur circa rationes communiſſimas entis v. gr. & aliorum tranſcendentium rebus materialibus, & immaterialibus communium. Dicitur *naturalis Theologia*, *ſcientia Divina*, *& ſupernaturalis Philoſophia*, eò quòd de Deo, quantum naturali-

lumine fieri poteſt, & cæteris intelligentiis ſeparatis ſermonem inſtitui, & differt à ſacra Theologia in eo, quòd hæc non rationi naturali innixa, ſed ſupernaturali revelatione, de Deo, & ſeparatis intelligentiis loquitur. Dicitur *Sapientia, Domina, & Regina ſcientiarum*, eò quòd res altiſſimas, cauſas primas, & prima, ac altiſſima principia contemplatur, ex quibus pendent cæterarum ſcientiarum principia. Nomine autem communi dicitur *Metaphyſica*, & idem eſt, ac tranſgrediens phyſicas, eſt enim *Metaphyſica* nomen græcum compoſitum ex *metà*, quod idem eſt, ac latinè *trans, poſt*, vel *ſupra*, & ex *Phyſica*. Unde idem eſt *Metaphyſica*, ac *facultas metas Phyſicæ facultatis tranſgrediens, eo quòd univerſaliſſima obiecta contemplatur*.

Nunc antequam ad metaphyſicas difficultates examinandas accedamus, præmittere oportet, ut moris eſt in quacumque facultate, hanc diſputationem tamquam procemium ad naturam ipſius mataphyſicæ cognoſcendam. Sit ergo

DISP. I.

Quæ eſt procemialis.

PLures in procemialibus diſputationibus cujuslibet facultatis ſolent excitari, & controverti quæſtiones; ſed quia ex dictis in Logica diſp. procem. plures ex illis haud difficilè reſolvuntur, aliquas omittemus, & aliquas tantum per tranſenam aſſignabimus, & ſolum illas, quæ peculiarem involvunt difficultatem, hic exagitando proponemus. Sit itaque

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quodnam ſit obiectum Metaphyſicæ?

1 DIximus in Logica diſputat. 1. procem. quæſt. 6. ſect. 1. per totam, obiectum cuiuſcumque facultatis eſſe materiale, & formale; per ſe, & per accidens; ut *quo*, & ut *quod*; totale, & partiale, quorum explicatio ibi poteſt videri, ne ſemel dictum iterum abſque neceſſitate repetatur. Nunc circa hanc difficultatem quid videatur tenendum, per ſequentes concluſiones, gratia claritatis, proponemus. Igitur

2 Dicimus 1. ens prout commune enti reali, & rationis; enti poſitivo, & negativo; enti per ſe, & per accidens, non eſt obiectum adæquatum metaphyſicæ. Hæc concluſio eſt communior in utraque ſchola. Et poteſt probari. 1. quia commune, quod ſtatuitur pro obiecto alicuius ſcientiæ debet eſſe univocum ſuis inferioribus; ſed nihil datur commune univocum enti reali, & rationis; enti poſitivo, & negativo, enti per ſe, & per accidens; ergo ens, ut prædictis commune nequit ſtatui pro adæquato obiecto metaphyſicæ. Min. in qua eſt difficultas patebit ex progreſſu diſputationis: quapropter.

3 2. Poteſt probari concluſio; quia illa, de quibus per ſe agit ſcientia, debent habere propriam, & unam quidditatem, quæ ſit medium ad proprias paſſiones illorum in ſcientia demonſtrandas; ſed ens rationis non habet propriam eſſentiam per ſe, ſed tantum metaphoricè, & quatenus fingitur eſſentia illius ab intellectu ad modum eſſentiæ entis realis (& idem eſto judicicium de ente negativo) & conſequenter neque veras, & proprias paſſiones, quæ de illo demonſtrentur, ſed tantum ad mo-

modum paſſionum entis realis ab intellectu confictarum, ut patet ex dictis in Logica diſput. 1. procem. Deinde ens per accidens non unicam, ſed plures eſſentias habet, cum conſtituatur ex rebus diverſorum prædicamentorum: g. nulla datur ſcientia, quæ per ſe de ente rationis, de ente negativo, & de ente per accidens ſermonem inſtituat; ac per conſeq. &c.

4 Plura argumenta adduci ſolent contra hanc concluſionem, quæ ex dicendis in progreſſu diſputationis facile ſolvuntur; & obſervando, quod agere de ente rationis, de ente negativo, & de ente per accidens ad metaphyſicam attinet; licet non per ſe, ut dictum eſt, nullam enim rationem habent ab aliqua ſcientia per ſe attingibilem; ſaltim per accidens, quatenus, ſcilicet, ad majorem intelligentiam entis realis poſitivi, quod per ſe eſt obiectum metaphyſicæ; ut infra dicetur, illorum intelligentia conducit, & quatenus illa per modum ſui obiecti conſideratio, & etiam quia ſcientia, quæ per ſe agit de aliquo; per accidens ſaltim, agit de oppoſito illius; oppoſita enim juxta ſe poſita magis eluceſcunt, & certum eſt, ens rationis, ens negativum, & ens per accidens enti per ſe poſitivo, & reali opponi.

5 Dicimus 2. ſubſtantia ſola quomodocumque ſumatur non eſt adæquatum obiectum metaphyſicæ. Concluſio eſt communis contra aliquos. Prob. 1. ex Ariſt. qui 4. met. docet, metaphyſicam agere de ente, prout eſt ens, cæteras vero ſcientias aliquam tantum partem entis attingere, & mathematicam, quæ circa accidens verſatur partem ſubiecti metaphyſicæ aſſumere; g. ex mente Ariſt. non ſolum ſubſtantia, ſed etiam accidens ſub obiecto adæquato metaphyſicæ continetur.

6 2. Prob. ratione; quia metaphyſica verſatur circa tranſcendentia: ſed paſſiones tranſcendentales non de ſola ſubſtantia, ſed de quolibet

acci-

accidente verificantur, & demonſtratur; ergò ſola ſubſtantia non eſt obiectum adæquatum metaphyſicæ. Et poteſt confirmari, quia accidens habet propriam eſſentiam diſtinctam ab eſſentia ſubſtantiæ, ſecundum quam eſt definibile, & habet in ſua linea genera, ſpecies, & differentias, & ſecundum ſuam rationem poteſt à materia præſcindere, cum ſit commune materiali, & ſpirituali; ergo ſecundum rationem ſic præſcindibilem eſt per ſe ſcibile, & ab aliqua ſcientia per ſe attingibile; ſed non ab alia, quam a metaphyſica; neque enim altera, a qua ut ſic attingatur facilè aſſignari poterit: ergo non ſola ſubſtantia eſt adæquatum per ſe obiectum metaphyſicæ.

7 Neque obſtat, quod Ariſtot. 7. met. text. 5. poſtquam diviſit ens in ſubſtantiam, & accidens, dixerit, *primum*, & *ſolum* agere velle de ſubſtantia; quia ly *primum* non ſumitur ab Ar. pro totali, & adæquato obiecto, ſed pro primo, & principali, facta comparatione inter ſubſtantiam, & accidens. Poſtquam autem poſuit ly *ſolum*, ſtatim ſubdit; *ut ita dicam*, per quod denotatur, non ſolum agere de ſubſtantia, ſed etiam de accidenti, licet tamquam de obiecto minus principali, hac enim particula, *ut ita dicam* uti ſolemus in his, quæ omnimodam veritatem non habent. Videatur Scotus in 2. diſt. 3 qu. 4 lit. C. Similiter explicantur alia Ariſtot. teſtimonia.

8 Dicimus 3. ſubſtantia immaterialis, ut comprehendit Deum, Angelos, & Animam rationalem, non eſt obiectum adæquatum metaphyſicæ. Hæc concluſio poteſt probari ſicut præcedens; quia præter conceptum communem ſubſtantiæ immaterialis, dantur alii conceptus realis communiores, qui tam ſubſtantiis materialibus, quam immaterialibus adaptantur, ut ſunt ratio entis realis, ratio exiſtentiæ, ſubſiſtentiæ, &c. ſed prædicti conceptus ſunt per ſe

ſci-

ſcibiles: ergo ab aliqua ſcientia attingi debent: non ab alia, quam a metaphyſica: g. iſtius objectum adæquatum non eſt ſubſtantia immaterialis, ut comprehendit Deum, Angelos, & Animam rationalem.

9 Argum. 1. pluribus auctoritatibus Ariſtot. præcipuè 2. Phyſic. text. 26. & 27. ubi dicit, metaphyſicam verſari circa res ſeparatas a materia. Et 4. metaph. cap. 4. ubi dicit, ſubſtantiam immaterialem conſiderari in prima Philoſophia, ſcilicet in metaphyſica, materialem verò in Philoſophia naturali, ſcilicet in Phyſica: ergo ex mente Ariſtot. ſola ſubſtantia immaterialis eſt obiectum adæquatum metaphyſicæ. Reſpond. Ariſtot. in primo loco non intendere obiectum adæquatum metaphyſicæ eſſe ſolam ſubſtantiam immaterialem, cum alibi frequenter communis, ſeu univerſalius obiectum metaphyſicæ deſignet, ſolum autem intendit, verſari metaphyſicam circa ſubſtantiam immaterialem, circa quam non verſantur cæteræ ſcientiæ, ſeu facultates, in quo ab illis metaphyſica diſtinguitur; quæ ſubſtantiæ, ſi non eſſet, nec obiectum adæquatum metaphyſicæ daretur, cum præcipua pars illius deficeret. Eodem modo debet intelligi Ariſtot. in 2. loco. Unde neg. conſeq.

10 Argument. 2. obiectum metaphyſicæ eſt quid abſtrahens ab omni materia, ſed ſola ſubſtantia immaterialis abſtrahit ab omni materia: ergo. Confirm. quia metaphyſica verſatur ſolum circa res tranſnaturales: hæc tantum ſunt ſubſtantiæ immateriales: ergo. Reſpond. ad argum. diſting. major. obiectum metaphyſicæ eſt quid abſtrahens ab omni materia ſecundum rem præcisè, nego; ſecundum rem, vel ſecundum conceptum, concedo. Similiter diſting. min. ſola ſubſtantia immaterialis abſtrahit ab omni materia ſecundum rem, concedo; ſecundum rem, vel ſecundum conceptum, nego;

nego; & neg. conſeq. Etenim objectum metaphyſicæ abſtrahit ab omni materia, non ita ut non poſſit cum materia conjungi, ſed ita ut ex ſuo conceptu, ſeu ex ſua formali ratione materiam non dicat, ſeu quod idem eſt, ita ut poſſit eſſe ſine materia, quod non ſolum ſubſtantiæ immateriali, ſed etiam cuilibet prædicato communi ſubſtantiæ materialis, & immaterialis convenit, ut ex ſe patet. Ad confirm. reſp. neg. min. Per res enim tranſnaturales nihil aliud debet intelligi, niſi omne illud, quod eſt poſt naturalitatem, quæ eſt propria objecti Phyſicæ, & certum eſt, omnia prædicata tranſcendentia, & communia rebus materialibus, & immaterialibus, in hoc ſenſu poſſe dici tranſnaturalia: quod idem eſt, ac tranſphyſica, ſeu metaphyſica; tranſgrediuntur enim Phyſicæ metas ſeu terminos.

11 Dicimus 4 Deus non eſt adæquatum objectum metaphyſicæ. Hæc concluſio probatur ſicut præcedentes, videatur Scotus qu. 3. prologi, lit. T. Deinde poteſt probari. Quia omnia, quæ tractantur in aliqua ſcientia debent reduci ad objectum adæquatum vel tamquam partes, vel tamquam proprietates illius; non ſic reducuntur ad *Deum*, quæ in metaphyſica tractantur, ut ex ſe patet; ergo, Ubi eſt advertendum, quòd licet omnia, quæ in metaphyſica tractantur, reducantur ad Deum tamquam effectus ad cauſam, & tamquam ad omnium ultimum finem, non ex hoc ſequitur, Deum eſſe objectum adæquatum metaphyſicæ; tum quia non attingit metaphyſica ea de quibus agit, ut ſunt effectus Dei, & ut ad Deum tamquam ad cauſam, & ultimum finem ordinantur, ſed illa ſecundum ſe, & ſecundum ſuas formales rationes attingit. Tum etiam quia aliàs unica ſolùm ſcientia deberet in rerum natura conſtitui, quæ

habe-

haberet pro obiecto adæquato Deum, cùm
omnia obiecta omnium ſcientiarum, quæ nun
aſſignantur, ſint effectus Dei, & ad ipſum ta
quam ad primam cauſam, & ultimum finem
ordinentur, quod quidem nemo eſt, qui conc
dat.

12 Arg: contr. metaphyſica ſortitur nomi
nobiliora, quam cæteræ ſcientiæ; g. habet n
bilius obiectum; ſed nobilius obiectum eſt De
g. Deinde metaphyſica dicitur Theologia nat
ralis: ſed Theologia eſt ſermo de Deo: g. Re
quod metaphyſica ſortitur nomina nobiliora
tum ab obiecto partiali principali, ut eſt Deu
tum etiam ab obiecto totali, & adæquato,
eſt ratio communiſſima entis realis, quæ q
dem ratio, licet in ſe ſit imperfecta, eſt tame
perfectiſſima, ut ſub ſe omnia comprehendi
tum à modo percipiendi ſuum obiectum, ſci
cet, ut præſcindens ab omni materia. Simili
reſp. ad aliud, dicitur enim metaphyſica Th
logia, quia agit de Deo; licet tanquam de
jecto partiali; vel quia agit de ente reali,
etiam Deum comprehendit, Ubi obſerva, qu
metaphyſica, ut dicitur Theologia naturalis
fert à Theologia ſupernaturali in eo quod h
cùm fundetur in principiis fidei, agit de eo
cundum ſuum eſſe; at verò metaphyſica, cù
ſolum in principiis naturalibus fundetur, ſol
agit de Deo, ut naturaliter cognoſcibili ſec
dum conceptus communes ipſi Deo, & cre
turis.

13 Dicimus 5. ens finitum, ut ſub ſe c
prehendit decem prædicamenta, non eſt o
ctum adęquatum metaphyſicæ. Prob. quia D
continetur ſub obiecto metaphyſicæ; ſed D
non continetur ſub ente finito, ut ſic: ergo
finitum non eſt obiectum adæquatum metap
ſicæ. Maior prob. quia Deus aliquo modo
per ſe ſcibilis naturaliter; g. debet dari ali
naturalis ſcientia ipſum ſic ſcibilem attinge
hæ

hæc nequit eſſe, niſi metaphyſica; g. metaphyſica attingit Deum, ut eſt obiectum naturaliter ſcibile, & conſequenter Deus continetur ſub objecto adæquato metaphyſicæ.

14 Arg. contr. Deus non continetur ſub objecto adæquato metaphyſicæ: g. tale obiectum eſt ſolum ens finitum. Prob. antec. tum quia Deus non convenit univocè cum creaturis in aliqua ratione obiectiva: ſed ſi contineretur ſub obiecto metaphyſicæ, univocè conveniret in aliqua ratione obiectiva cum creaturis: g. Tum etiam quia obiectum creatæ ſcientiæ, ſive totale, ſive partiale debet eſſe univerſale; Deus non eſt univerſalis, ſed ſingularis: g. Tum etiam quia ſcientia poteſt adæquatè naturam ſui obiecti manifeſtare: ſed metaphyſica ex ſuis principiis naturaliter cognitis nequit naturam Dei adæquatè manifeſtare; g. Tum denique, quia principia, & obiectum ad eamdem ſcientiam pertinent: ſed principia, quibus natura Divina cognoſcitur, ut ſunt propoſitiones naturaliter notæ, & propoſitiones revelatæ, pertinent ad ſacram Theologiam, hæc enim ſola ex principiis naturaliter notis, & ex principiis revelatis procedit; g. nullatenus continetur Deus ſub obiecto adæquato Metaphyſicæ; ac per conſeq. &c.

15 Reſp. neg. antec. & mai. primæ probationis, convenit enim Deus univocè cum creaturis in ratione communi entis realis, quod infra pro obiecto adæquato metaphyſicæ ſtatuemus, & in aliis prædicatis tranſcendentalibus, ut diſp. ſeq. dicemus. Ad 2. prob. dicimus, Deum, etſi ſit ſingulariſſimus, poſſe ſtatui pro obiecto alicuius facultatis propter ſuam neceſſitatem, alias non ſtatueretur pro obiecto ſacræ Theologiæ. Deinde dicimus, metaphyſicam non conſiderare Deum ſub ratione ſingularitatis, ſed ſub conceptibus propriis deſumptis ex communibus, ut ſub ratione entis, ſubſtantiæ, &c. Ad 3.

prob,

prob. neg. maj. qu a nulla ſcientia per ſua principia manifeſtat adæquatè naturam ſui objecti; Phyſica enim non manifeſtat rationem entis incluſam in ſuo objecto, ſed tantum rationem naturalitatis; ſufficit enim, quod ſcientia ſub aliqua ratione ſuum objectum attingat, & metaphyſica attingit Deum ſub conceptibus communibus, & propriis ex communibus deſumptis. Ad 4. prob. reſp. neg. min. quatenus dicit, principia naturaliter nota ad Theologiam ſpectare, ſpectant enim directè ad metaphyſicam: etiamſi ad ſua dogmata tradenda, illis utatur ſacra Theologia.

16 Dicimus 6. ens reale, ut commune Deo, & creaturis ſubſtantiæ, & accidenti eſt obiectum totale, & adæquatum metaphyſicæ. Hæc concluſio eſt communior conſenſus Philoſophorum, & deducitur ex Ariſtot. nam 4. met. inquit; *Eſt ſcientia quadam, qua ſpeculatur ens, prout eſt ens, & quæ ei per ſe inſunt*. Et 6. met. text. 4. inquit; *De ente prout eſt ens, ac quid eſt, & quæ ei inſunt prout eſt ens, ſpeculari huius eſt*.

7 Et poteſt probari 1. ex refutatione aliarum ſententiarum, quæ in antecedentibus concluſionibus denotantur; à ſufficienti enim partium enumeratione concluſio noſtra deducitur. Deinde quia omnia, quæ ad obiectum ſcientiæ requiruntur, reperiuntur in ente reali in communi reſpectu metaphyſicæ; g. ſtatuendum eſt pro objecto illius. Prob. antec. quia verè datur à parte rei: quapropter eſt fundamentum omnis realitatis à parte rei: etiam habet *quid eſt*, ſeu propriam eſſentiam, non quæ per genus, & differentiam explicetur, cum ens in communi ſit irreſolubile in plures conceptus, cùm ſit conceptus ſimpliciter ſimplex, ſed quæ ſufficiat, ut aliquid ſcibile dicatur. Deinde habet paſſiones, ut ſunt unum, verum, bonum, idem, diſtinctum, quæ de ipſo demonſtrentur, & quæ

de

de inferioribus illius, ſcilicet de Deo, & creaturis per rationem entis realis demonſtrari poſſint: g. ens reale modo dicto eſt obiectum totale, & adæquatum Metaphyſicæ.

18 Et confirmatur, quia omnia, quæ per ſe in metaphyſica conſiderantur reducuntur ad ens reale, vel ut partes ſubiectivæ, vel ut propriæ paſſiones, vel modi intrinſeci illius, vel ut propriæ paſſiones, aut modi intrinſeci partium ſubiectivarum ipſius, ut clarè patebit ſcrutanti: g. ens reale, ut ſic obiectum adæquatum metaphyſicæ.

19 Ne autem aliqua oriatur æquivocatio, hic neceſſariò venit advertendum, 1. quod metaphyſica poteſt dupliciter conſiderari. 1. univerſaliſſimè, prout comprehendit non ſolum metaphyſicam, de qua per ſe ſermonem inſtituit Ariſt. & nos etiam hic cum ipſo, ſed etiam quamlibet aliam naturalem ſcientiam; in quo ſenſu non contradiſtinguitur à phyſica. 2. minus univerſaliter prout eſt quædam peculiaris ſcientia a phyſica non diſtincta, & in hoc ſenſu loquimur de metaphyſica in præsẽti cum Ariſt.

20 2. Eſt advertendum, quod ens in communi poteſt etiam dupliciter conſiderari. 1. ut ſub ſe comprehẽdit omnia entia tam materialia, quam Immaterialia, tam ſubſtantialia, quam accidentalia. 2. ut tantum comprehendit omnia entia immaterialia, tam ſubſtantialia, quam accidentalia, intelligendo per entia immaterialia, non ſolùm illa quibus repugnat coniungi cum materia ut eſt Deus, & intelligentiæ, ſeu Angeli, ſed etiam omnia illa prædicata, quæ ex ſua natura nõ dicunt ordinem intrinſecum ad materiam, imò ex natura ſua ita præſcindunt à materia, ut poſſint eſſe, imò de facto dentur in aliquibus ſine materia, ſeu quod idem eſt, ſunt ex natura ſua ad materiale, & non materiale indifferentia, cujuſmodi ſunt, *ſubſtantia, accidens, eſſentia, exiſtentia, cauſa*, & his ſimilia. Nunc.

21 Si Metaphyſica primo modo, ſeu univerſaliſſimè conſideretur, debet ſtatui pro obiecto illius ens reale, prout ſub ſe comprehendit omnia entia tam materialia, quam immaterialia, & ſecundum omnes ſuas peculiares rationes, quæ naturaliter cognoſci poſſunt. Hæc tamen metaphyſica non admittitur, ut ſcientia particularis, aliàs nulla alia daretur naturalis ſcientia, cùm ad hanc ſpectaret de omnibus, & ſecundum omnes rationes obiectivas naturaliter attingibiles, diſputare. Si autem Metaphyſica ſecundo modo, ſeu minus univerſaliter conſideretur, & ut diſtinguitur à Phyſica, ut hic, & ab Ariſt. ſumitur, ſtatuitur pro obiecto adæquato illius ens reale, ut ſub ſe comprehendit ſolùm entia immaterialia, ſive ſecundum eſſentiam, ut eſt Deus, & intelligentiæ, ſive ſecundum præciſionem, ut ſunt omnia prædicata, quæ ex natura ſua non dicunt ordinem ad materiam, ſeu ſunt indifferentia ad conjungi cum rebus materialibus, & immaterialibus; & in hoc ſecundo ſenſu debet intelligi noſtra concluſio.

22 Hinc facile reſolvitur quoddam dubium, ſcilicet, quænam ſit ſphæra metaphyſicæ, ſeu ad quę entia metaphyſica conſideratio extendatur: Reſpondemus enim, ſphæram metaphyſicæ, ſeu conſiderationem illius ſe extendere, non ſolùm ad rationem entis realis in communi, & ad paſſiones, ſeu proprietates cum illo convertibiles ſed etiam ad omnia inferiora entis realis, quæ in ſua ratione formali non dicunt intrinſecum ordinem ad materiam modo ſupra explicato. Sed ut hoc clarius percipiatur, & aliqua argumenta ſolvi poſſint.

23 Sciendum eſt, quod ſubſtantiæ immateriales per eſſentiam, ut ſunt Deus, & intelligentiæ, ſeu Angeli, poſſunt conſiderari ſecundum diverſos conceptus proprios illarum: nam vel conceptus proprii deſumuntur ex communibus

nibus rationibus, vel ex propriis rationibus; conceptus proprii ex propriis rationibus dicuntur illi, qui deſumuntur à propria ſubſtantia, & eſſentia, ut qui deſumuntur in Deo ab ipſa Deitate ſecundùm ſuam formalem rationem, & in Angelis à ratione formali, & quidditativa illorum; qui quidem conceptus pro hoc ſtatu haudquaquam cognoſci poſſunt à nobis; conceptus proprii ex rationibus communibus dicuntur illi, qui ex aliquo conceptu communi ratione alicuius adiuncti immaterialibus ſubſtantiis appropriantur; ut quando conceptus communis entis ratione infinitatis appropriatur ſoli Deo; Deus enim eſt ens infinitum, & quando conceptus communis ſubſtantiæ ratione immaterialitatis immaterialibus ſubſtantiis appropriatur, & ſimiliter conceptus communis naturæ ratione intellectualitatis, & ſic de aliis.

24 Similiter ſubſtantiæ materiales conſiderari poſſunt ſecundum conceptus proprios deſumptos ex propriis rationibus, ut quando conſideratur homo, verb gratia ſecundùm rationem rationalis, animalis, riſibilis, corruptibilis, &c. & ſecundùm conceptus proprios deſumptos ex communibus, ut quando ipſe homo conſideratur ſecundùm rationem ſubſtantiæ contractæ per materialitatem: ſecundum rationem naturæ contractæ per rationalitatem, &c. Rurſus tam ſubſtantiæ materiales, quam immateriales poſſunt conſiderari præciſè ſecundùm rationes communes, ut ſub ratione entis realis præciſè, ſub ratione ſubſtantiæ præciſè, &c.

25 Nunc facilè noſtra reſolutio venit intelligenda, dicimus enim, quod omnes ſubſtantiæ (idem eſt judicium de accidentibus accommoda diſtributione) tam materiales, quam immateriales ſecundum conceptus communes, præciſè ſumptos, pertinent ad metaphyſicam conſiderationem: omnes enim prædicti conce-

ptus abſtrahunt à materia. Deinde ſubſtantiæ creatæ immateriales per eſſentiam, ut ſunt Angeli, ſecundùm conceptus proprios deſumptos ex communibus, & ſecundùm eoſdem conceptus ſubſtantia immaterialis increata, ut eſt ſolus Deus, ad Metaphyſicam conſiderationem ſpectant. Hoc patet, & quia prædictæ ſubſtantiæ ſecundum tales conceptus abſtrahunt à materia, & quia ut ſic ſunt naturaliter cognoſcibiles, & ſcibiles, & non ab alia ſcientia, quam à metaphyſica.

26 Pro conceptibus propriis ſubſtantiarum immaterialium deſumptis ex propriis illarum rationibus eſt advertendum, quod eſt maxima differentia inter conceptus proprios Dei, & conceptus proprios intelligentiarum; nam conceptus proprii Dei, cum deſumantur ab ipſa Deitate, quæ eſt ſpeculum voluntarium, etſi vult videtur, etſi non vult non videtur, non ſunt naturaliter cognoſcibiles, & ſic nec ſcibiles per aliquam naturalem ſcientiam, unde ſemper ad ſcientiam ſupernaturalem ſpectant, ſcilicet ad Theologiam noſtram, ſuppoſita revelatione, vel ad Theologiam in ſe, ſeu beatorum, ſi clarè proponantur; conceptus verò proprii intelligentiarum, qui à propriis rationibus deſumuntur, cùm ſumantur ab obiectis naturalibus, & naturaliter cognoſcibilibus, neceſſariò pertinent ad aliquam naturalem ſcientiam, & non ad aliam, niſi ad metaphyſicam, cùm hæc entia à materia abſtrahentia conſideret, & nulla alia ſcientia aptior aſſignetur, vel aſſignari poſſit.

27 Sed ut hoc amplius clareſiat, aliqui metaphyſicam dividunt in metaphyſicam in ſe, & in metaphyſicam quoad nos; appellantes metaphyſicam in ſe illam, quæ præſcindendo ab ſtatibus, & tantùm abſolutè conſiderata reſpectu intellectus abſolutè, & ex natura ſua conſiderati, res immateriales, ſeu abſtrahentes

tes a materia conſiderat, & ad hanc metaphyſicam agere de conceptibus propriis intelligentiarum deſumptis a propriis rationibus ſpectat; metaphyſicam vero quoad nos appellantes illam, quæ conſiderat tantum res materiales, ſeu abſtrahentes a materia naturaliter ab intellectu pro hoc ſtatu cognoſcibiles, & metaphyſicam ſic acceptam non pertinet de prædictis conceptibus propriis intelligentiarum, à propriis rationibus deſumptis, agere; quia licet has rationes poſſit intellectus noſter ex natura potentiæ cognoſcere, non tamen illas pro hoc ſtatu cognoſcere valet, niſi facta illarum revelatione. Agere autem de quibuſcumque conceptibus propriis rerum materialium, nullatenus ad Metaphyſicam ſpectat, cum illi nullatenus abſtrahant, ſeu præſcindant a materia. Aliqua argumenta ſolent circa noſtram concluſionem adduci, ſed ex dictis, & dicendis quæſtione ſequenti haud difficilè ſolvi poſſunt. Sit ergo

QUÆSTIO II.

Sub qua ratione ens reale dicatur obiectum Metaphyſicæ?

1 EX dictis quæſt. antec. conſtat, obiectum materiale Metaphyſicæ, ſeu materiam, circa quam verſatur, eſſe ens reale prout ſub ſe comprehendit omnia entia tam immaterialia per eſſentiam, quam per abſtractionem à materia; nunc eſt dubium ſub qua ratione prædictum obiectum attingat? ſeu, quod idem eſt, quænam ſit ratio formalis ipſum attingendi, & omiſſis aliquibus, valdè confuſis, modis dicendi.

2 Dicimus: benè explicatur ratio formalis, ſub qua Metaphyſica ſuum obiectum attingit per rationem entis, ita ut ipſa ratio entis

dicatur ratio formalis *ſub qua*: & abſolutè obiectum Metaphyſicæ dicatur, *ens reale ſub ratione entis realis, ſeu quatenus eſt ens reale*. Concluſio eſt communior explicatio obiecti Metaphyſicæ. Sed pro illius clara intelligentia debet obſervari, quod ly *ſub ratione entis realis, ſeu quatenus eſt ens reale*, non ſolum debet intelligi in re: alias omne, quod rationem entis realis participat, ſive eſſet materiale, ſive immateriale, ad Metaphyſicam conſiderationem ſpectaret, quod non admittitur; ſed etiam in modo intelligendi; ens enim non ſolum intelligitur, ut præciſum ab inferioribus, ſed etiam, ut abſtrahens a materia, unde reſtringitur Metaphyſica ad conſideranda tantum omnia illa, quæ rationem entis realis participant, abſtrahunt tamen a materia, vel ſecundum eſſentiam, vel per indifferentiam, unde poteſt dici, quod ratio formalis obiecti metaphyſicæ connotat neceſſariò abſtractionem a materia, licet talis abſtractio non ſit ratio formalis obiecti, non enim obiectis partialibus metaphyſicæ conveniunt proprietates, quæ de illis in metaphyſica demonſtrantur, quia ſic abſtrahunt a materia, ſed quia entia realia ſunt.

3 Nunc patet concluſio; quia nequit aliquid aliud aptius aſſignari pro ratione formali, ſub qua metaphyſica ſuum obiectum attingat, quapropter in illius probatione non immoramur. Qui amplius, tam pro his quæſtionibus, quam pro ſequentibus dubiis deſideret, noſtrum Maſtr. tom. 1. met. diſputat. 1. conſulere poteſt Nunc nos breviter aliqua, licet per tranſenam attingemus. Videantur, quæ diximus in proœmalibus logicæ, ex quibus plura hic poſſunt applicari. Igitur

4 Dubitabis 1. An metaphyſica ſit verè, & propriè ſcientia? Reſp. affirmativè. Reſolutio eſt communior, & probatur: quia ut aliqua

facul-

facultas ſit ſcientia ſufficit, quòd de ſuo objecto demonſtret aliquas proprietates per rerum diſcurſum; hoc facit metaphyſica; ergo. Min. patet; quia per rationem entis de quolibet ente præſcindente à materia demonſtrat plures paſſiones, de quibus infra. Deinde de peculiaribus objectis, ut ſunt ſubſtantiæ immateriales, peculiares paſſiones demonſtrat, de Deo enim ex quiſbuſdam attributis prioribus, & prius cognitis alia poſteriora demonſtrat: ex immaterialitate enim immortalitatem oſtendit, & ex immutabilitate æternitatem, &c. ergo.

5 Dubitabis 2. an metaphyſica ſit practica, vel ſpeculativa? Rerp. eſſe undequaque ſpeculativam. Reſolutio eſt communis cum Ariſt. qui 6. met. cap. 1. Philoſophiam ſpeculativam in Phyſicam, Metaphyſicam, & Matematicam diviſit. Ratio eſt; quia Metaphyſica nullatenus dirigit praxim, ſed ſiſtit in mera contemplatione veritatis: ergo eſt undequaque ſpeculativa. Hoc amplius probatur ex dictis in prooemialibus Logicæ.

6 Dices contra; Metaphyſica, quatenus agit de Deo inclinat ad actus practicos: ergo ſaltim quoad hanc partem eſt practica. Antec. prob. quia metaphyſica, dum agit de Deo, oſtendit, eſſe ſummum bonum, & ultimum finem omnium; ſed ex cognitione harum veritatum, cognoſcitur, Deum eſſe ſummè diligendum, cujus veritatis cognitio eſt practica, cùm inducat ad praxim, ſcilicet, ad amorem Dei: ergo Metaphyſica, ut agit de Deo, inclinat ad actus practicos; ac per conſeq. &c.

7 Aliqui reſp. concedendo, quòd Metaphyſica quoad illam partem, qua de Deo ſermonem inſtituit, poteſt dici practica, quod nullum videtur incoveniens, nam quòd aliqua ſcientia ſit ſimul practica, & ſpeculativa ſolùm inconvenit ſecundum eandem partem,

& ſecundum eandem rationem ; non verò ſecundum diverſas partes habentes diverſas rationes.

8 Tamen Scotiſtæ aliter reſpondent neg. antec. vel potius diſting. illud ſimul cum ſua probatione ; Metaphyſica ut agit de Deo inclinat ad actus practicos formaliter, & proximè, negant, virtualiter, & remotè, concedunt, & neg. conſeq. Inquiunt enim, quòd ad inferendam concluſionem practicam duæ præmiſſæ requiruntur, altera oſtenſiva bonitatis, & altera directiva, v.g. *Summum bonum eſt diligendum : Deus eſt ſummum bonum*; ergo *Deus eſt diligendus*. Major eſt directiva in generali, & formaliter practica, ſed non ad metaphyſicam, ſed ad Philoſophiam moralem pertinet ; minor verò eſt oſtenſiva veritatis, & formaliter ſpeculativa, & ad metaphyſicam pertinet, dicitur tamen virtualiter practica, quatenus partialiter deſervit in prædicto ſyllogiſmo ad veritatem formaliter practicam inferendam ; hoc enim nihil aliud eſt, quàm quòd veritas ſpeculativa ad metaphyſicam ſpectans, ſit apta, ut aſſumatur à ſcientia practica, ut eſt Philoſophia moralis, tamquam medium partiale, ſeu cauſa partialis, ad ſuas concluſiones practicas eliciendas. Quòd hoc exemplo clareſit, veritates, ſeu concluſiones theologicæ ſunt practicæ, & ſupernaturales, & tamen deducuntur ex una præmiſſa practica, & ſupernaturali, & ex altera naturali, & ſpeculativa, tanquam ex cauſis partialibus, propter quod illa præmiſſa ſpeculativa, & naturalis formaliter, poteſt dici virtualiter ſupernaturalis, & practica.

9 Neque obſtat, quod Scotus cit. in Log. diſp. 2. procem. q. 5. n. 18. dicat, quòd ut ſcientia ſit practica, ſufficit, quod verſetur circa objectum, quod virtualiter contineat veritates practicas ; nam hoc intelligitur, quando talis

ſcien-

ſcientia ita verſatur circa illud objectum, ut ſimul circa veritates practicas, quas virtualiter continet, verſetur; non tamen, quando ſolùm circa illud objectum verſatur, non verò circa veritates practicas, quas virtualiter continet: quapropter, licet Theologia ſit notitia practica, quippe verſatur circa Deum, & circa veritates practicas, quas in ſe virtualiter continet, ut in procemialibus Theologiæ dicitur; non tamen dicitur practica metaphyſica, ad huc ex illa parte, qua circa Deum verſatur, eo quòd non verſetur circa veritates practicas, quas in ſe virtaliter continet; hoc enim eſt proprium Philoſophiæ moralis, quatenus illæ veritates deducuntur ex Deo, ut fine naturali naturaliter noto per metaphyſicam.

10 Dubitabis 3. an metaphyſica ſit una, & qua unitate? Poteſt metaphyſica conſiderari in eſſe rei, ſeu qualitatis; & in eſſe ſcientiæ, ut dictum eſt de Logica diſp. 2. procem. q. 9. & ex dictis in illa facile reſolvitur hoc dubium, eadem enim eſt ratio hic, ibi. Igitur reſpondetur, quòd metaphyſica non eſt una ſimplex qualitas, ſeu, quod idem eſt, non eſt ſimplex in eſſe rei, ſeu qualitatis, ſed compoſita ex tot qualitatibus, quot ſunt diverſæ difficultates, quæ ad illam pertinent; eſt tamen una in eſſe ſcientiæ, non unitate ſpecifica, ſed unitate generica, ſeu tranſcendentali deſumpta ab unitate ſui objecti. Hoc probatur ex dictis quæſt. cit. Logicæ. Videantur: iterùm enim repeti non eſt neceſſe.

11 Dubitabis 4. an Metaphyſica ſibi alteras naturales ſcientias ſubalternet? Pro reſponſione notare oportet, ſcientiam ſubalternantem dupliciter poſſe ſumi, ſcilicet latè, & impropriè; ſtrictè, & propriè. Latè, & impropriè dicitur ſcientia ſubalternans illa, quæ aliquomodo ſub ſe alteras continet ſcientias, eo quòd eſt omnium univerſaliſſima; & in hoc ſenſu

certum eſt, Metahpyſicam poſſe dici ſubalternare ſibi cæteras ſcientias; cùm verſetur circa univerſaliſſimum obiectum, & rationes communiſſimas, & tranſcendentales obiectorum aliarum ſcientiarum. Stricte, & propriè dicitur ſcientia ſubalternans illa, à qua cæteræ ſcientię in eſſe talium eſſentialiter dependent; ad cuius rationem tres communiter conditiones aſſignantur, quæ deducuntur ex Ariſt. pluribus in locis, præcipuè 1. Poſterior. à Philoſophis cit. Prima eſt, ut obiectum ſcientiæ ſubalternatæ ſub obiecto ſubalternantis contineatur. Secunda, quòd obiectum ſubalternatæ addat aliquam accidentalem differentiam ſupra obiectum ſubalternantis. Tertia, quod ſcientia ſubalternata accipiat ſua principia ad ſuas cõcluſiones deducendas à ſcientia ſubalternante, ita ut principia ſubalternatæ non ſint immediata; & per ſe nota, ſed mediata, & nota per aliud, ſcilicet per principia ſubalternantis, tamquam concluſiones iſtius. Pro quibus conditionalibus, & illarum ampliori intelligentia poteſt videri noſter Maſtrius in Log. diſp. 12. q. 4. per totam. Et in hoc ſecundo ſenſu procedit dubium; ad quod

12 Reſpondetur negativè. Reſolutio eſt communis, & probatur; quia Metaphyſicæ reſpectu aliarum ſcientiarum nõ conveniunt conditiones ſupra aſſignatæ ad rationem ſcientiæ ſubalternantis requiſitæ: g. Prob. antec. quia, licet obiecta aliarum ſcientiarum contineantur ſub obiecto Metaphyſicæ; non tamen continentur modo requiſito ad ſubalternationem; hoc eſt, licet contineantur in eſſe rei, non tamen in eſſe ſcibilium, ita ut in ſua ſcientifica cognitione eſſentialiter à ſcientia ſubalternante dependeant, quælibet enim ſcientia naturalis, v. g. Phyſica independenter à Metaphyſica habet ſua principia ad demonſtrandas paſſiones de ſuo obiecto, ita ut prædicta principia ſunt ſufficienter nota, quin per princip a Metaphyſi-

cæ demonſtrentur: g deficit prima conditio, & conſequenter tertia, quia principia aliarum ſcientiarum non ſunt cõcluſiones demonſtratæ in metaphyſica. Deinde objectum Phyſicæ non addit differentiam accidentalem ad objectum Metaphyſicæ, addit enim rationem naturalitatis, quæ eſſentialiter additur rationi entis, & licet obiectum Mathematicæ addat quantitatem, quæ eſt quid accidentale, quantitas tamnanon additur immediatè enti, quod eſt obiectum metaphyſicæ, ſed corpori, ad rationem autem ſubalternationis requiritur, quòd objectum ſubalternatæ addat immediatè accidentalem differentiam ad obiectum ſubalternantis g. nullatenus Metaphyſica ſubalternat ſibi cæteras naturales ſcientias.

13 Pro clariori adhuc intelligentia notare oportet, quòd principia ſcientiarum ſunt in duplici differentia: alia enim ſunt univerſaliſſima, ut v. g. *Totum eſt maius ſua parte*. Alia particularia ut in Phyſica; *Totum compoſitum per ſe ſubſtantiale addit aliquid ſupra materiam primam*; hæc principia ſunt ex ſe ſufficienter nota, ut Phyſica poſſit circa ſuum obiectum ſuas concluſiones demonſtrare, & ſic non egent probari per principia Metaphyſicæ, unde nullatenus Phyſica Metaphyſicæ ſubalternatur: verum enim eſt, quod Metaphyſica per ſua principia cognoſcit clarè terminos illorum principiorum univerſalium, ſcilicet, *quid ſit totum? quid ſit pars*? Deinde ſi prædicta principia ex ſe ſufficienter nota negentur à protervo, poteſt Metaphyſica per ſua principia reducere protervum ad impoſſibile per univerſaliora principia, ſcilicet, *quodlibet eſt, vel non eſt; quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, ſed ex hoc nullatenus ſequitur, quòd cæteræ ſcientiæ ſubalternentur Metaphyſicæ quælibet enim illarum independentur à Metaphyſica habet principia evidentia quantùm ra-

tionabiliter requiritur ad ſuas concluſiones circa ſuum objectum eliciendas.

DISP. II.

De natura entis, & illius diviſionibus.

STatuimus diſp. antec. ens reale pro objecto Metaphyſicæ; nunc ad præcipuas difficultates, quæ circa ipſum controvertuntur, accedimus. Pro quibus ſit.

QUÆSTIO I.

Utrum ens reale dicat unum conceptum, tam formalem, quàm obiectivum, perfectè præciſum à ſuis inferioribus.

1 PRo ente reali nihil aliud communiter intelligitur, quàm id, cui non repugnat à parte rei exiſtere, nulla intellectus conſideratione interveniente, in quo differt ab ente rationis, quod tantùm exiſtit obiectivè in intellectu, ſeu intellectu conſiderante, ut diximus in Log. diſp. 1. procemial. q. 1.

2 Nunc pro quæſtionis intelligentia ſupponitur, conceptum formalem eſſe cognitionem rei, ſeu actum intellectus, qui dicitur conceptus, eo quòd eſt proles mentis, & dicitur formalis, eò quòd per ipſum formaliter intelligimus: conceptum verò objectivum eſſe ipſam rem mente conceptam, quæ dicitur conceptus denominatione extrinſeca deſumpta à conceptu formali, quo dicitur concipi: & dicitur obiectivus, eo quòd obiicitur potentiæ, & non eſt forma ipſi potentiæ inhærens. Differunt conceptus objectivus, & formalis in eo quòd conceptus formalis ſemper eſt vera res poſitiva intellectui inhærens, ut patet ex dictis in lib. de Ani-

Anima; conceptus verò objectivus non ſemper eſt vera, & poſitiva res, cùm entia rationis, & negationes etiam intellectui obiiciantur. Deinde differunt in eo quòd conceptus formalis ſemper eſt ſingularis in eſſendo, licet poſſit eſſe univeſalis in repræſentando; conceptus verò obiectivus poteſt eſſe ſingularis, vel univerſalis in eſſendo, cùm tam univerſalia, quàm ſingularia intellectui poſſint obiici cognoſcenda.

3 Plures circumferuntur ſententiæ circa hanc difficultatem, tam loquendo de unitate conceptus entis, quàm de præciſione perfecta, vel imperfecta illius, quæ poſſunt videri apud recentiores, præcipuè apud noſtrum Maſtrium in metaphyſica diſp. 2. q. 1. & 3. Quid autem ex mente Subtilis Doctoris ſit tenendum, per ſequentes concluſiones proponemus.

4 Dicimus 1. conceptus entis formalis eſt unus. Hæc concluſio eſt ferè communis, licet in illius explicatione non parva ſit variatio. Probatur tamen; quia actus cuiuſcumque potentiæ tendentis in ſuum obiectum eſt entitativè unus: ſed conceptus formalis entis eſt actus intellectus tendentis in ſuum obiectum: g. eſt entitativè unus. Quia circa conceptum unum formalem entis nulla ferè alicuius momenti eſt controverſia, non ampliùs in hoc immoramur, ut detur locus controverſiæ circa conceptum obiectivum, quæ in hac materia præcipuum obtinet locum. Pro qua

5 Dicimus 2. conceptus obiectivus entis eſt unus. Hanc concluſionem tenent omnes Scotiſtæ cum Subtili Magiſtro in 1. d. 3. quæſt. 3. §. *ad quæſtionem igitur*, & diſt. 8. quæſt. 3. §. *teneo opinionem meam*. Et plures alii cit. à noſtro Maſt. in Met. diſp. 2. q. 1. Prob. ratione Scoti: intellectus certus de uno, & dubius de alio diverſum conceptum format de illo, de quo eſt certus, ac de illo, de quo eſt dubius: ſed intel-

tel-

tellectus noſter poteſt eſſe certus, quòd id, quod concepit ſit ens: & dubius, an ſit Deus, vel creatura: an ſit ſubſtantia, vel accidens? g. diverſum conceptum format de ratione entis, ac de ratione Dei, & creaturæ; ſubſtantiæ, & accidentis. Maior ex ſe patet; mior eſt certa; nam aliqui Philoſophi certi fuerunt de quantitate, quòd erat ens, dubitabant tamen, an eſſent ſubſtantia, vel accidens? ſimiliter aliqui Ethnici erant certi de igne, quòd erat ens, & dubitabant, an eſſet Deus, vel creatura; g. evidens eſt illos formaſſe unum conceptum entis diſtinctum à conceptibus Dei, & creaturæ, ſubſtantię, & accidentis

6 Si autem dicas cum aliquibus, Scotum loqui de unitate conceptus formalis, non autem conceptus obiectivi; hoc nihil eſt, nam ut patebit ſcrutanti literam, loquitur de conceptu obiectivo: loquitur enim non de actibus, ſed de objecto intellectus.

7 Deinde licet hoc admittatur, ex illo ſequitur evidens ratio pro noſtra concluſione; quia nequit dari conceptus formalis unus, & diſtinctus ab aliis conceptibus formalibus, quin detur conceptus obiectivus unus, & diſtinctus ab aliis conceptibus objectivis: g. Prob. antec. quia conceptus formalis non ſolum eſt unus in entitate, & ab aliis diſtinctus, ſed etiam in repræſentando: g. repræſentat unum obiectum ab aliis diſtinctum; & conſequenter conceptus objectivus entis eſt unus, & diſtinctus à conceptibus Dei, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidentis, prout illo uno conceptu formali repræſentatur.

8 Nunc eſt controverſia an prædictus conceptus objectivus adæquatè ſit præciſus à Deo, & creaturis: ſubſtantia, & accidenti; quæ controverſia eſt circa ſecundam partem quæſtionis. Pro qua reſolvenda notare oportet, ne in æquivoco procedamus, 1. tunc aliquid dicere con-

conceptum perfectè præciſum, quando ita abſtrahit ab inferioribus rationibus, (ſive ex natura rei, ſive ſaltim, ut per intellectum repræſentatur) ut nullatenus rationes inferiorum dicat, & conceptus ſic præciſus eſt perfectè unus, & dicit rationem aliquam communem contrahibilem, & determinabilem per peculiares rationes. Tunc verò aliquid dicere conceptum imperfectè præciſum, quando non ita abſtrahit ab inferioribus rationibus (nec ex natura rei, nec adhuc, ut per intellectum repræſentatur) ut ſaltim implicitè, & confusè non dicat peculiares illorum rationes, ſed tantum ab explicatione, ſeu expreſſione eorum præſcindit, & conceptus ſic præciſus non eſt perfectè unus, nec dicit aliquam rationem communem contrahibilem, & determinabilem per peculiares rationes, ſed dicit plura inferiora immediatè, & confusè per modum unius concepta.

9 Hinc conceptus perfectè præciſus ſolet appellari adæquatus, ſeu præciſio, qua ſic præſcinditur, adæquata præciſio; quia per eam ita abſtrahitur conceptus perfectè unus, ut ſecundum ſe totum concipiatur, nihil rationum pecularium, à quo abſtrahitur, concipiendo, nec explicitè, nec implicitè; ſicuti quando concipitur animalitas, quæ ita ſola concipitur, ut nec implicitè, nec explicitè rationes, per quas contrahitur, concipiatur; conceptus verò imperfectè præciſus ſolet inadæquatus appellari, ſeu præciſio, qua ſic præſcinditur inadæquata; quia per eam ita abſtrahitur conceptus imperfectè unus, ut ſaltim implicitè rationes peculiares dicat. Nunc

10 Dicimus 3. in ordine; ens dicit conceptum unum perfectè præciſum à Deo, & creaturis, ſubſtantia & accidente. Hæc in re, juxta explicationem conceptus perfectè præciſi, eſt omnium Scotiſtarum. & pluribus rationibus, ex

lum conceptum, per alium conceptum ipſius entis explicari poſſunt: ſed licet per conceptum præciſum animalis non explicentur inferiora, explicari poſſunt per alium conceptum ipſius animalis, ut patet; g.

14 Contra. 2. quia, vel implicita incluſio inferiorum in conceptu entis attenditur penes rationem entis, ut conceptam formaliter, vel penes rationem entis, ut materialiter identificatam cum rationibus inferiorum: ſed nullo modo opponitur noſtræ concluſioni: erg. Min. prob. quia in contrariorum ſententia animalitas includitur in inferioribus, ut nullatenus ex natura rei diſtinguatur à peculiaribus rationibus inferiorum, ſcilicet à rationalitate, & irrationalitate; ſed hac incluſione, ſeu indiſtinctione ex natura rei non obſtante, conceptus animalis præciſus non includit implicitè rationes peculiares, ita ut non dicat conceptum perfecte præciſum: erg. licet ratio entis ita includatur in ſuis inferioribus, ut nullatenus ex natura rei diſtinguatur à peculiaribus rationibus illorum, ſcilicet à finitate, & infinitate, perſeitate, & inaleitate; conceptus entis non includit implicite rationes peculiares, ita ut non dicat conceptum perfecte præciſum ab inferioribus.

15 Confirm. quia ideò omnes admittunt conceptum animalis perfecte præciſum à ſuis inferioribus, quia poſſumus concipere rationem animalis clare, & diſtincte, quin clare, & diſtincte concipiamus inferiora, licet hæc in obſcuro, & confuſe concipiamus; ſed juxta adverſarios poſſumus concipere rationem entis clare, & diſtincte, quin clarè, & diſtincte concipiamus inferiora, licet hæc in confuſo concipiamus: erg. etiam debet admitti conceptus entis perfecte præciſus ab inferioribus. Hæ impugnationes latè proſequuntur à noſtro Maſt in met. diſp. 2. q. 1. & 3.

16 Contra. 3. quia in conceptu entis nullatenus

tenus poteſt intelligi incluſio inferiorum; erg. non datur talis incluſio; & conſeq. conceptus entis eſt perfectè præciſus ab illis. Prob. antec. quia non poteſt intelligi, ita ut ens conjunctivè ſignificet omnia inferiora, ſcilicet Deum, & creaturas? ſubſtantiam, & accidens, ut aliqui dicunt. Patet, quia alias iſtæ propoſitiones: *Deus eſt ens*: *creatura eſt ens*, eſſent falſæ, facerent enim hunc ſenſum; *Deus eſt Deus & creatura*, *creatura eſt creatura & Deus*, ſed hæ ſunt pluſquam falſæ, g. etiam eſſent illæ, quod nullus concedit. Nec poteſt intelligi, ita ut ens diſiunctivè ſignificet Deum, vel creaturam, ſubſtantiam, vel accidens; nam ſi ſignificet inferiora hoc modo non unam communem rationem, ſed peculiares, & plures rationes inferiorum, quæ non rationes conveniendi, imò diſconveniendi ſunt; ſed nomen ens non eſt impoſitum ad ſignificandas plures rationes diſconveniendi, ſed tantum unicam rationem conveniendi; erg. non ſignificat adhuc diſiunctivè illas peculiares rationes, ſed aliquam communem, in qua omnia inferiora conveniunt, & totaliter rationes peculiares inferiorum excludentem; ac per conſeq. &c.

17 Deinde iſtæ propoſitiones eſſent falſæ; *ſubſtantia eſt ens*; *accidens eſt ens*, nam facerent hunc ſenſum; *ſubſtantia eſt ſubſtantia, vel accidens*; *accidens eſt accidens, vel ſubſtantia*, quod apertè falſum eſt.

18 Neque poteſt intelligi ita ut ens ſignificet aliquod ens in particulari, & cætera per attributionem ad illud, ſcilicet Deum immediatè, & creaturas per attributionem ad Deum, ſeu ſubſtantiam immediatè, & accidens per attributionem ad illam; quia alias hæc propoſitio eſſet falſa; *Creatura eſt ens*, loquendo de illo conceptu præciſo; nam faceret hunc ſenſum; *Creatura eſt Deus ad quem omnia attribuuntur*, hoc enim juxta prædictam explicationem ſignificat

ficat ens; quod quidem non eſt dicendum; ergo nullatenus intelligitur quomodo conceptus præciſus entis includat inferiora, ſeu rationes peculiares illorum; ac per conſequens eſt conceptus perfectè ab inferioribus præciſus. Ex argumentorum reſponſionibus hoc amplius patebit.

19 Pluribus argumentis inſurgunt adverſarii contra noſtram concluſionem, quæ omnia ad ſequentia reducuntur a quodam doctiſſimo recentiori Thomiſta. Argum. igitur. 1. Nihil præſcinditur perfectè ab illo, quod eſt de eſſentia illius; ſed inferiora, & eorum differentiæ ſunt de eſſentia entis; ergo ens non præſcinditur perfectè a ſuis inferioribus. Prob. min. quia ens non contrahitur ad inferiora per aliquid ſibi ſuperadditum; ſed contrahitur ad inferiora per differentias (ſive per modos intrinſecos) erg. differentiæ ſunt de eſſentia entis. Patet conſeq. nam quidquid non eſt de eſſentia entis, eſt extraneum ab ente,, & ſuperadditum enti; erg. ſi differentiæ non ſunt extraneæ, nec enti ſuperadditæ, ſunt de eſſentia entis.

20 Reſp. neg. min. ſicut enim homo non eſt de eſſentia animalis, neque differentia illius, idem dices de bruto, & illius differentia, ita neque Deus, & creatura, ſubſtantia, & accidens; neque illorum differentiæ, ſcilicet finitas, & infinitas, perſeitas, & inaleitas, ſunt de eſſentia entis. Unde neg. conſeq. ſicut enim perfectè abſtrahitur animal à ſuis inferioribus, & eorum differentiis, ita perfectè abſtrahitur ens a ſuis inferioribus, & differentiis eorum. Deinde neg. mai. probationis min. contrahitur enim ens per finitatem, & infinitatem; perſeitatem, & inaleitatem, quę ſunt aliquid ſuperadditum conceptui communi entis.

21 Argum. contra; vel id per quod contrahitur ens eſt ens, vel non eſt ens? ſi eſt ens; g. de eſſentia entis; & conſequenter non contrahitur

per

per aliquid ſibi ſuperadditum, ſeu quod non ſit de eſſentia illius. Si non eſt ens; ergo per nihil contrahitur, quod non eſt dicendum; conſequ. patet; quia inter ens, & nihil, nullum datur medium. Reſpond. quod id, per quod contrahitur ens eſt ens realiter, & identicè, quippè realiter identificatum cum ente; non tamen eſt ens formaliter, ita ut de ſuo conceptu formali ſit ens; ſicuti ſimiliter id, per quod contrahitur animal eſt animal realiter, & identicè, quippè realiter identificatum cum animali; non tamen eſt animal formaliter, ita ut de ſuo conceptu formali ſit animal. Unde negatur prima conſequent. ſcilicet, quod id, per quod ens contrahitur ſit de eſſentia entis; ad hoc enim non ſufficit, quod ſit ens realiter, ſed erat neceſſarium, quod eſſet de conceptu formali illius ſeu formaliter ens. Ex quo non ſequitur, quod id, per quod ens contrahitur ſit nihil; nam inter nihil, & ens formaliter datur medium, ſcilicet ens realiter: quod enim nihil eſt, nequè realiter eſt ens. Intelligentia huius ſolutionis dependet ex infra dicendis, dum inquiramus, an ens includatur, ſeu dicatur *in quid* de ultimis differentiis, modis intrinſecis, & propriis paſſionibus; & etiam ex ibi dicendis deducendum eſt, quid ad aliquas replicas ſit reſpondendum.

22 Argum. 2. conceptus perfectè unus, & perfectè præciſus ab inferioribus, eſt illis univocus; ens non eſt univocum ſuis inferioribus; erg. non dicit conceptum perfectè unum, & perfectè præciſum ab illis. Hoc argumentum ſolum militat contra aſſerentes, ens dicere conceptum unum perfectè præciſum; ſed non univocum; non vero militat contra nos qui univocationem conceptus entis fatemur; unde negamus minorem; de quo qu. 3.

23 Argum. 3. ſi daretur conceptus entis ſic præciſus a Deo, & creaturis, jam daretur aliquid

quid prius, & ſimplicius Deo: conſtitutivum enim eſt prius, & ſimplicius conſtituto. Deinde jam daretur in Deo compoſitio ex actu, & potentia: ratio enim entis ſic abſtracta ſe haberet per modum contrahibilis, & potentialis; & ratio differentialis ſe haberet per modum contrahentis, & actuantis. Similiter Deus, & creatura non eſſent primo diverſa; ſiquidem in illa ratione entis perfectè præciſa convenirent. Denique, inter contradictoria, ut ſunt creatum, & increatum, daretur medium, ſcilicet ratio entis ſic perfectè præciſa. hæc omnia, & alia ſimilia ſunt abſurda; erg. non debet admitti ratio entis perfectè una, & perfectè ab inferioribus præciſa.

24 Reſpond. ad 1. diſting. daretur aliquid prius Deo in eſſe, ſeu in realitate, nego; in conceptu, ſeu in ſubſiſtendi conſequentia, concedo: hoc enim nullum eſt inconveniens; benè enim valet, juxta omnium conſenſum; *Eſt Deus*, g. *eſt ens*, non verò è contra, *eſt ens*: g. *eſt Deus*, eſſe autem inconveniens dari aliquam realitatem conſtitutivam Dei, ipſo Deo priorem. Ad 2. reſpond. etiam diſting. daretur aliquid ſimplicius Deo ſimplicitate oppoſita reſolubilitati, concedo; ſimplicitate oppoſita compoſitioni, nego. Vel aliis terminis, ſimplicitate conceptus, conc. ſimplicitate rei, neg. ens enim eſt irreſolubile in plures conceptus, Deus autem in plures conceptus eſt reſolubilis, quod nullatenus inconveniens adducit. Videatur Scotus in 1.d.8.q.3.lit.I.

25 Ad 3. Reſpond. diſting. daretur in Deo compoſitio ex actu, & potentia in realitatibus, nego: in noſtris conceptibus imperfectè realitatem Dei concipientibus, concedo; neque hoc eſt inconveniens, ut patebit ex pluribus dicendis in tota diſputatione. Ad 4. ſimiliter reſp. diſting. Deus, & creatura non eſſent primo diverſa in realitate, neg. in conceptu, concedo, vel

aliis

aliis terminis, non eſſent prima diverſa ſubjectivè, nego, obiectivè, concedo; hoc etiam patebit ex dicendis.

25 Ad 5. reſp. Deum, & creaturam non eſſe contradictoria, ſeu extrema contradictionis, ſed eſſe entitates exiſtentes ſub extremis contradictionis, ſcilicet ſub dependere, & non dependere, ſub cauſari, & non cauſari, &c. Et licet inter ipſa extrema contradictionis non detur medium, datur tamen medium inter illa quæ ſub prædictis contradictionis extremis exiſtunt: eo, vel maximè, quia prædicta extrema contradictionis non conveniunt Deo, & creaturæ per rationem communem entis, ſed per ſuas peculiares rationes; ratio enim communis entis neque dicit dependentiam, vel non dependentiam, eſſe cauſatam, vel non eſſe cauſatam, ſed formaliter ſumpta neutraliter ſe habet, & indifferenter ad utrumque extremum.

27 Arg. 4. Aliquibus authoritatibus Ariſt. præcipuè 4. met. cap. 2. ubi dicit; *Ens autem multipliciter quidem dicitur, utrùm ad unum, unamque quandam naturam, & non æquivocè, ſeu quemadmodum omne ſanum ad ſanitatem*; nomen *ſanum* non ſignificat conceptum perfectè præciſum ab animali, urina, & medicina; g. neque ens dicit conceptum perfectè præciſum à Deo, & creatura, ſubſtantia, & accidenti. Et 7. met. 16. ubi docet, ens, ut tale ſtatim eſſe ſubſtantiam, quantitatem, & qualitatem; g. ens nullum conceptum perfectè ab illis præciſum dicit.

28 Ad primum locum reſp. ex Soto in 4. diſt. 12. quæſt. 1. ſimilitudinem non debere eſſe in omnibus; quia, quod in omnibus eſt ſimile potius eſt idem, quam exemplum; in exemplis enim ſimile, & diſſimile invenitur, ad rem ergo: verum enim eſt, quod ſicut in urina, & medicina eſt ordo ad animal in hoc, quod eſt dici *ſanum*, ita eſt ordo accidentis ad ſubſtantiam

tiam

tiam in participanda ratione entis, quod ſolum opponitur perfectæ univocationi, de quo qu. 3. tamen verſatur hæc differentia, quod, ſcilicet, ratio ſignificata hoc nomine *ſanum*, actu, & formaliter ſolum in animali reperitur, at verò in urina, & medicina ſolum per extrinſecam denominationem deſumptam à ſanitate animalis: ratio autem ſignificata hoc nomine *ens* actu, & formaliter in ſubſtantia, & accidenti reperitur.

29 Ad ſecundum locum reſp. Ariſtot. ſolum intendere, ens non expectare aliquid ſibi eſſentialiter ſuperadditum, ut in decem prædicamenta deſcendat, quippe iuxta Ariſt. & noſtrum modum concipiendi deſcendit ad prædicamenta non per differentias propriè dictas, ſed per modos intrinſecos, qui ut ſuo loco dicemus nullum gradum eſſentialem addunt rebus, quorum ſunt modi, non autem intendit, ens de ſuo præciſo conceptu exprimere, ſeu ſignificare omnia inferiora; quod quidem nullatenus opponitur conceptui perfectè ab inferioribus præciſo. Alii reſpond. Ariſt. intendere, ens non per aliquid realiter diſtinctum deſcendere ad decem prædicamenta, arguebat, inquiunt, contra aliquos dicentes, ens per aliquid realiter diſtinctum ad prædicamenta deſcendere.

QUÆSTIO II.

Utrùm prædictus conceptus entis ſit præciſus à Deo, & creaturis ante operationem intellectus? ſeu an ex natura rei ab illis diſtinguatur?

1 HÆc controverſia ſolùm poteſt habere locum inter Scotiſtas, qui inter gradus ſuperiores, & inferiores prædicamentales, ſeu potius inter gradus ſuperiores, & differentias, per quas contrahuntur diſtinctionem formalem

malem ex natura rei admittunt: & ſenſus illius eſt, & anſicut animal v.g. ex natura rei præſcindit, & diſtinguitur à ſuis inferioribus, ſeu à differentiis, per quas ad illa contrahitur, ita ex natura rei præſcindat, ſeu diſtinguatur ratio entis à Deo, & creatura? Circa quam.

2 Non deſunt aliqui Scotiſtæ partem affirmativam tenentes; tamen validiores Scotiſtæ inter quos Lichetus ſuper Scotum in 1. diſt. 2. quæſt. 1. & diſt. 3. quæſt. 2. & 3. & diſt. 8. qu. 3. & aliis in locis. Vulpes tom. 1. part. 1. diſp. 10. art. 1. num. 2. Maſt. in met. tom. 1. diſp. 2. qu. 4. pro viribus partem negativam defendunt, cum quibus.

3 Dicimus: conceptus entis reſpectu Dei, & creaturæ non præſcindit, neque diſtinguitur ab eis ex natura rei, quippe non fundatur in aliqua communi realitate, quæ ſit una in Deo, & creatura per indifferentiam à parte rei. Prob. 1. concluſio à prædictis Scotiſtis pluribus authoritatibus Scoti locis ſæpè citatis quæſt. antec. & ſequentibus qq. citandis, in quibus apertè docet, Deum, & creaturam eſſe primò diverſa in realitate, licet non ſint primo diverſa in conceptu, accipe hunc locum in 1. diſt. 8. quæſt. 3. lit. E. cui plura ſimilia paſſim in Scoto invenies, inquit enim; *Deus, & creatura non ſunt primò diverſa in conceptibus, ſunt tamen primò diverſa in realitate: quia in nulla realitate conveniunt.* Sed quia Scotus hæc cum magno, & ſubtili fundamento dicit, ad rationes veniamus. Igitur.

4 Prob. 1. concluſio, ſi conceptus entis diceret realitatem ex natura rei communem Deo, & creaturæ, daretur in Deo ex natura rei compoſitio ex actu, & potentia, ſive ex contrahibili, & contrahente: nequit in Deo admitti talis compoſitio; quippe oppoſita ſummæ ſimplicitati Divinæ, quæ eſt puriſſimus actus ſine aliqua in re potentialitate; erg. Mai. patet: quia

rea-

realitas communis pluribus ex natura rei, neceſſariò ex natura rei eſt potentialis, & contrahibilis, & ſic cum ratione contrahente ex natura rei compoſitionem efficiens.

5 Nec valet, quod aliqui Scotiſtæ reſpondent, ſcilicet, argumentum benè probare, conceptum entis non dicere realitatem ſubiectivam, quæ cum ratione contrahente compoſitionem efficiat metaphyſicam, non tamen probare, conceptum entis non dicere realitatem obiectivam, quæ quidem optimè (inquiunt) cum Dei ſimplicitate compatitur abſque aliqua ex natura rei compoſitione. Hoc non valet, quia numquam ſufficienter explicant, quid per realitatem obiectivam intelligatur: nam vel intelligitur aliquid commune independenter à conſideratione intellectus? & ſic nihil aliud eſt, quàm realitas ſubiectiva, quam non admittunt; neque talis obiectiva realitas compoſitionem ex natura rei vitat; vel intelligitur aliquid, quod non ſit quid commune ante operationem intellectus? Et ſic nihil contra nos dicunt ſic reſpondentes, hoc enim nos aſſerimus, cùm conceptum entis perfectè præciſum per intellectum adſtruimus.

6 Neque valet, quod ulterius reſpondent alii Scotiſtæ: quod realitas entis non contrahitur per differentias, ſed per modos intrinſecos, & ſic nulla datur in Deo compoſitio: nam licet realitas, quæ contrahitur per differentias ſit in potentia, non tamen realitas, quæ contrahitur per modos intrinſecos, quod, inquirunt, eſt expreſſa mens Scoti. Hoc non valet nam contra eſt 1. quia quod eſt primo contractivum alicujus rationis, ſeu realitatis communis debet eſſe de eſſentia inferioris, ſeu eſſentiale conſtitutivum illius: ſed modo intrinſeci nõ ſunt de eſſentia Dei, & creaturæ, neq; illorum eſſentialia conſtitutiva: ſunt enim modi intrinſeci extra eſſentiã Dei, & creaturæ, ut ſuo loco dicemus: g. mo-

di intrinſeci nequeunt ex natura rei eſſe contractiva alicuius realitatis, ſeu rationis communis. Neque Scotus ſtat pro ſic reſpondentibus, quando enim dicit, ens contrahi ad Deum, & creaturam per finitatem, & infinitatem, quæ ſunt modi intrinſeci, non loquitur de contractione ex natura rei alicuius realitatis: ſemper enim negat, dari aliquam realitatem ad Deum, & creaturam contrahibilem aliquo modo, cùm potius aſſerat, Deum, & creaturam eſſe in realitate primo diverſa; ſolum enim loquitur de contractione quoad noſtrum modum cõcipiendi, quæ eſt contractio non realitatis, ſed conceptus præcisè per modos intrinſecos, de qua contractione ampliùs infra.

7 Contra. 2. quia, admiſſa realitate communi ex natura rei contrahibili, ſive per differentias, ſeu per modos intrinſecos, ſemper ſequitur in Deo compoſitio metaphyſica: g. nullatenus ens dicit talem realitatem contrahibilem per modos intrinſecos. Prob. anteced. quia talis realitas non eſſet de ſe hæc, ſeu ſingularis, ſed communis, & indifferens, & alias modus intrinſecus eſſet aliquid ei ſuperadditum, & ex natura rei aliquomodo ab illa diſtinctum, & ipſam ex natura rei ad eſſe inferioris, ſcilicet Dei, contrahens: ſed quando aliqua realitas, quæ non eſt de ſe hæc, ſed communis, per aliquid ab ea aliquo modo ex natura rei diſtinctum contrahitur ad eſſe alicujus inferioris, neceſſariò ex natura rei ſe habet ut potentia, & contrahens per modum actus, & actus, & potentia ex natura rei, neceſſariò compoſitionem metaphyſicam efficiunt; erg. nequit admitti prædicta realitas entis ex natura rei adhuc per modos intrinſecos contrahibilis: cùm per hunc modum dicendi non vitetur in Deo metaphyſica compoſitio, quæ à Deo eſt penitus releganda. Scotus autem, ut patebit litteram eius ſcrutanti, non vitat compoſi-

tio-

tionem metaphyſicam in Deo, per hoc, quod aliqua realitas ex natura rei non per differentias, ſed per modos intrinſecos contrahatur; bene tamen per hoc, quod nulla realitas detur ex natura rei ad Deum, & creaturam contrahibilem; cum quo compatitur, quod detur conceptus communis abſtractus, & præciſus, qui quoad noſtrum modum concipiendi per modos intrinſecos contrahatur.

8 Ad ampliorem intelligentiam contractionis entis, pulchram explicationem tranſcripſit Maſtr. ſupr. citat. ex Licheto, quam etiam nos hic ferè ad litteram tranſcribimus. Etenim ens non importat aliquam realitatem communem ex natura rei præciſam à Deo, ſed ſimpliciſſimum conceptum immediatè abſtractum ab intellectu à particularibus rationibus Dei, & creaturæ inadæquate conceptis, qui conceptus deinde per actum intellectus rurſus referentem illum ad inferiora contrahitur ad illa per particulares conceptus finiti, & infiniti, dicentes *quale*, ſeu contrahens: unde, ſicut conceptus entis non eſt prior ex natura rei Deo & creatura, imò poſterior; quia abſtrahitur ab illis jam in ſuo eſſe conſtitutis; ita contractio entis, quæ fit per finitum, & infinitum non eſt contractio à priori, ſed à poſteriori facta per intellectum cum fundamento in re; e contra evenit in prædicatis prædicamentalibus, animal enim eſt realitas ex natura rei prior homine, & bruto, præſcindit enim ſecundum ſuum adæquatum conceptum ex natura rei, & ante operationem intellectus ab illis, ſeu a rationalitate, & irrationalitate, per quas contrahitur, & ſic contractio per illas eſt contractio à priori, & ex natura rei, nullum actum intellectus ſpectans.

9 Ex quibus ſequitur, quod in Deo ſolum datur compoſitio rationis, ſeu per noſtrum intellectum inadæquate concipientem, quæ nullate-

nus Divinæ ſimplicitati in re opponitur; nam talis compoſitio ſolum dicit extrinſecam denominationem ab actu intellectus provenientem, quæ nullam in rebus, bene tamen in intellectu imperfectionem imponit, qui unico actu non valet aſſequi eminentem perfectionem obiecti; ideoque prius illud concipit ſub una ratione, poſtea ſub alia, & tandem utramque rationem, communem, ſcilicet, & particularem ad invicem componit, in entibus vero prædicamentalibus, cum dentur realitates ex natura rei, & ſecundum ſuos adæquatos conceptus contrahibiles, & contrahentes, datur compoſitio, quæ dicit imperfectionem ex parte rei in ex illis conſtituto.

10 Prob. 2. concluſio: ſi ens diceret realitatem ex natura rei præciſam, & communem Deo & creaturæ, daretur aliquid a parte rei prius, &, independentius Deo: hoc repugnat; g. Sequela patet; quia talis realitas eſſet conſtitutiva Dei per modum partis: ſed quod eſt conſtitutivum, & pars eſt prius, & independentius conſtituto: quippè conſtitutum ab illa; illa autem a conſtituto non dependet; g. daretur aliquid ex natura rei prius, & independentius Deo.

11 Neque valet reſpondere, ut aliqui Scotiſtæ reſpondent, non eſſe inconveniens dari aliquam realitatem priorem Deo in prædicando; ſeu, quod idem eſt, dari aliquid prius Deo, non prioritate reali, & exiſtentiæ, ſed prioritate prædicationis, a qua non valet ſubſiſtendi conſequentia; quippè talis prioritas non eſt realis, ſed rationis. Hoc non valet; quia licet hæc reſponſio, qua nos uſi ſumus quæſt. antec. num. 24. ad ſimile argumentum, ſufficiat ad ſalvandum conceptum entis per intellectum perfectè ab inferioribus præciſum; non tamen ſufficit ad ſalvandam a parte rei realitatem præciſam; quia eo modo, quo datur realitas entis conſtitutiva Dei perfectè ex natura rei præciſa, præcedit

Dei-,

Deitatem: ergo realiter, & non ſolum in prædicando, ſeu per intellectum, præcedit: g. præcedit prioritate reali, & non prioritate rationis; quod nullatenus admitti debet.

12 Deinde, admiſſa realitate entis ex natura rei præciſa, & diſtincta ab inferioribus, eodem modo loquendum eſt de illa realitate, quo loquitur de realitate animalis perfectè præciſa ex natura rei, & diſtincta a ſuis inferioribus: ſed, ut communiter circumfertur inter Scotiſtas, realitas animalis realiter, & non per intellectum, ſeu prioritate naturæ reali, & non prioritate rationis præcedit hominem, quem conſtituit ſimul cum differentia contrahente: erg. & talis realitas prior eſſet Deo non prioritate rationis tantum, ſed prioritate reali naturæ, quod nullatenus admittitur; ac per conſequens, &c.

13 Prob. 3. concluſio, quia realitas entis ex natura rei præciſa, vel eſſet creata, vel increata, vel participata, vel non participata? ſed quodlibet horum eſt inconveniens; g. non datur talis realitas entis ex natura rei. Min. patet; nam hæc talis realitas juxta adverſarios ex natura rei reperitur in Deo, & creatura: ergo ſi eſſet creata, & participata, aliquid creatum, & participatum eſſet realiter, ſeu ex natura rei, in Deo, quod abſurdum eſt; et ſi eſſet increata, & imparticipata, aliquid increatum, & imparticipatum eſſet realiter, ſeu ex natura rei in creatura, quod non eſt minus abſurdum: g. nullatenus debet admitti talis realitas entis ex natura rei præſcindens a Deo, & creatura.

14 Facilis ſolutionis videtur hoc argumentum aliquibus Scotiſtis; inquiunt enim, prædictam realitatem entis ex natura rei formaliter, neceſſe creatam, nec increatam, nec participatam, nec non participatam, ſed ad utrumque formaliter indifferentem, realiter tamen, & identicè, eſſe in Deo increatam, & non

participatam, in creatura vero creatam, & participatam; quod idem, inquiunt, evenit in quibuſcumque realitatibus communibus, quæ quidem, ita ex natura rei ab inferioribus præſcindunt, ut formaliter ex natura rei non dicant aliquam peculiarem rationem; benè tamen realiter, & identicè; animal enim formaliter ex natura rei, nec dicit rationalitatem, nec irrationalitatem, realiter verò, & identicè dicit in homine rationalitatem, & irrationalitatem in bruto. Sed præterquamquod, ſic reſpondentes, non facilè aſſignabunt diſparitatem, qua ſicut animal eſt genus reſpectu inferiorum, & facit ex natura rei compoſitionem cum rationibus contrahentibus, non etiam realitas entis ſit genus, & faciat compoſitionem ex natura rei cum contrahentibus rationibus, quod pluribus in locis inficiatur Scotus; imò argumento ſimili noſtro utitur in 1.d.8.qu.3. ad probandum ens non eſſe genus reſpectu Dei, & creaturæ.

15 Contra eſt; quia nihil eſt in Deo à parte rei exiſtens, quod ſit extra eſſe increatum, & imparticipatum, & nihil eſt in creatura a parte rei, quod ſit extra eſſe participatum, & creatum: ergo neque datur a parte rei aliqua realitas Deo, & creaturæ per indifferentiam communis. Prob. antec. quia quælibet realitas in Deo reperta habet intrinſecè eſſe infinitam, independentem, & increatam, quapropter inquit Scotus in 1. diſtinct. 8. quæſt. 3. litt. K. & in 2. diſtinction. 3. quæſt. 6. litt. L. quælibet Divina realitas in quacumque abſtractione ſecum fert infinitatem, independentiam, &c. ergo nihil datur in Deo à parte rei exiſtens, quod ſit extra eſſe increatum, & imparticipatum. Deinde, creatura ſecundum omnes ſuas realitates eſt intrinſecè finita, & habet eſſe participatum, & communicatum à Deo, nam ſecundum omnes ſuas formalitates tam communes, quam ſingulares dependet à Deo, ita ut nulla ſit formalitas, ſeu

rea-

realitas creaturæ, quæ non habeat intrinſecè eſſe participatum à Deo: ergo nulla datur formalitas in creatura, quæ ſit extra eſſe creatum, & participatum: g. nulla poteſt aſſignari realitas ex natura rei præſcindens ab eſſe creato, & increato participato, & non participato; & conſequenter ens nòn dicit realitatem ex natura rei præciſam à Deo, & creatura. ipſiſque ex natura rei per indifferentiam communem.

16 Confirmatur, quia Deus ſecundum omnes ſuas formalitates, & realitates, quæ ſunt in ipſo ex natura rei, & eſſentialiter ſingularis, & non per aliquid ſuperadditum: erg. etiam ſecundum realitatem entis in ipſo ex natura rei repertam eſt ſingularis ex ſe. Conſeq. eſt evidens, & antec. probat. quia ſi ſecundum aliquam realitatem Deus non eſſet ex ſe ſingularis, ſed per aliquid ſuperadditum, & illi ex natura rei extrinſecum, per quod ad eſſe ſingularis determinaretur, jam daretur in Deo ex natura rei formalitas, ſeu realitas contrahibilis, determinabilis, ſeu in potentia, & formalitas, ſeu realitas ex natura rei contrahens, determinans, & actuans; & conſequenter ex natura rei compoſitio; ergo quælibet realitas reperta in Deo eſt eſſentialiter ex ſe ſingularis, & non per aliquid ſuperadditum; ſed quod eſt ex natura rei ſingulare, nequit ex natura rei dicere realitatem communem, & ex ſe a ſingularitate præſcindentem; ergo nulla realitas datur ex natura rei in Deo (adhuc realitas entis, quæ tam intrinſeca eſt Deo, quam omnes aliæ realitates) ex ſe præciſa, ſeu diſtincta ex natura rei à ſingularitate, ſeu dicens aliquid commune.

17 Argum. 1. quidquid actui intellectus præſupponitur dicit realitatem præciſam ex natura rei, & independenter ab intellectus conſideratione; ſed ens ſecundum ſuum proprium conceptum præſupponitur actui intellectus; g. dicit realitatem ex natura rei præciſam, & ante ope-

rationem intellectus. Probat. min. quia ens ſecundum ſuum conceptum eſt primum, & adæquatum obiectum intellectus: ſed primum, & adæquatum obiectum intellectus; neceſſario habet ſuum eſſe independeter a conſideratione intellectus: g ens ſecundum ſuum proprium conceptum præſupponitur actui intellectus.

18 Reſpond. neg. min. cuius probationis diſtinguo mai. ens ſecundum ſuum conceptum eſt obiectum primum intellectus primitate originis nego; primitate adæquationis, concedo. Similiter diſting. min. primum obiectum intellectus habet ſuum eſſe independenter a conſideratione intellectus, ſi ſit primum primitate originis, concedo; ſi ſit primum tantum primitate adæquationis, nego. Sicut enim diximus nu. 8. huius quæſtionis, conceptum entis non eſſe priorem ex natura rei Deo, & creaturis, & ſimiliter, contractionem talis conceptus non eſſe à priori, ſed a poſteriori; ita nunc dicimus, ens ut ſic non eſſe obiectum primum intellectus prioritate originis, ſeu in eſſendo, imo poſteriorem, cum non detur talis conceptus ex natura rei præciſus, ſed tantum præciſus per intellectum; eſſe tamen obiectum primum prioritate adæquationis, eo quod talis conceptus præciſus ſub ſe continet omnia, quæ actui intellectus præſupponuntur prioritate originis, ſeu in eſſendo, & poſſunt ab intellectu attingi, tamquam propria illius obiecta.

19 Replic. ens ſecundum ſuum conceptum aliquomodo juxta dicta eſt obiectum primum, & adæquatum noſtri intellectus: ſed obiectum primum, & adæquatum noſtri intellectus debet eſſe reale: erg. conceptus entis debet eſſe realis: ſed ſi talis conceptus non diceret realitatem ex natura rei præciſa non eſſet realis, quippe dependens ab actu intellectus: erg. dicit realitatem ex natura rei præciſum, & ex ſe communis, ſeu indifferens Deo, & creaturis.

20 Reſp.

20 Reſp. conceſſo primo ſyllogiſmo, neg. min. ſubſumptam, quomodo autem, conceptus entis dicatur realis, cùm tamen non dicat realitatem ex natura rei præciſam, & communem, diverſimode ſolet explicari ab Scotiſtis, pro quo videatur Maſtr. diſput. 2. ſæpè cit. quæſt. 4. Pro nunc autem eſt notandum, quod ens reale poteſt dici dupliciter, vel prout dicit ſecundum proprium conceptum veram entitatem à parte rei, ſeu extra animam, & in hoc ſenſu opponitur omni habēti eſſe per intellectum, ſeu in anima, & ut ſic certum eſt, prædictum conceptum entis non eſſe ens reale, ut enim ſæpè dictum eſt nullam entitatem, ſeu realitatem præciſam dicit ex natura rei; vel poteſt ſumi ens reale prout opponitur enti ficto, & in hoc ſenſu opponitur enti rationis; & ut ſic, dicimus, conceptum entis eſſe quid reale; non enim aliquid fingit intellectus percipiens rationem communem entis realis, quod ſimpliciter ad rationem entis rationis requiritur, cùm intellectus cognoſcendo rem aliter, ac eſt in ſe, ens rationis efficiat: ſed exprimit rem ſicuti eſt, licet propter ſuam imperfectionem, non adæquatè, ſed inadæquatè illam exprimat, conceptum illum abſtrahendo; abſtrahentium enim non eſt mendacium: eo vel maximè, cum ad talem abſtractionem habeat fundamentum in re, ut infra dicetur.

21 Dices contra: g. nullatenus diſtinguitur objectum metaphyſicæ ab objecto Logicæ, ita ut ratione ſui objecti metaphyſica dicatur ſcientia realis; Logica verò ratione ſui objecti dicatur ſcientia rationis: Prob. conſeq: quia ex dictis in Logica, objectum hujus non eſt ens rationis, ſed ens reale intentionale, & ſimiliter ex dictis ens reale, quod eſt objectum metaphyſicæ, eſt ens reale intentionale, cum ſit conceptus entis, qui non dicit aliquam realitatem ex natura rei, ſed per intellectum præciſam.

22 Reſp. neg. conſeq. ad cujus probationem dicimus, eſſe maximam differentiam inter objectum Logicæ, & Metaphyſicæ, objectum enim Logicæ non eſt ipſa entitas, quæ intellectui objicitur, ſed denominatio extrinſeca proveniens ab actu intellectus, ut ſufficienter manet explicatum in Logica, quæ quidem denominatio, & dicitur realis, quia provenit à forma reali, & dicitur intentionalis, ſeu rationis; quia provenit ab actu intellectus, qui potentia rationalis dicitur, & propter hoc dicitur ſcientia rationis; reduplicat enim Logica ſupra ipſam denominationem extrinſecam, ita ut nihil agat de objectis, niſi reduplicativè, ut tali denominatione affectis; at verò objectum metaphyſicæ eſt ipſum, quod objicitur intellectui, non curando de aliqua denominatione ab intellectu proveniente, neque aliquid de ipſa agendo; ſed agendo de realibus attributis, quæ enti ut exprimitur per talem conceptum, & ſuis inferioribus à parte rei conveniunt: v. g. hic ſyllogiſmus: *Omnis homo eſt animal; Petrus eſt homo; ergo, Petrus eſt animal*, pertinet ad objectum Logicæ, ſolum quatenus eſt ſic diſpoſitus ab intellectu juxta regulas Logicæ docentis, & nihil agit Logica de animali, homine, & Petro, ut ſunt à parte rei; hic autem conceptus *ens reale*, eſt objectum metaphyſicæ; non ut dicit rationem præciſionis ipſum extrinſecè denominantem, ita ut aliquid agat metaphyſica de ipſa præciſione, ſed prout dicit ipſum eſſe repræſentatum, de ipſo, & omnibus ſuis realibus inferioribus agendo, & illis attributa realia attribuendo.

23 Arg. 2. impoſſibile eſt, aliqua plura ſecundum unam, & eandem rationem ſimul convenire, & differre, eo quòd ſimilitudo, & convenientia fundatur ſuper unitatem, diſtinctio, & diverſitas ſuper multitudinem: ſed Deus, & creatura realiter conveniunt in ratione entis,

&

& realiter differunt in propriis rationibus Dei, & creaturæ: ergo ratio entis ex natura rei præſcindit à rationibus propriis Dei, & creaturæ. Reſpond. cum Maſtrio cit. diſting. maj. impoſſibile eſt aliqua plura ſecundum eandem rationem ſimul convenire, & differre actu, & formaliter, concedo; differre actu, & formaliter, & convenire; & convenire fundamentaliter, & aptitudinaliter, nego. Diſting. etiam min. Deus, & creatura realiter conveniunt in ratione entis, & realiter differunt in propriis rationibus, utrumque actu, & formaliter, nego; differunt actu, & formaliter in propriis rationibus, & conveniunt fundamentaliter, & potentialiter in ratione entis, concedo, & neg. conſeq. Quod videtur debere teneri ab Scotiſtis.

24 Etenim attenta realitate, & eo quo ſe tenet ex natura rei, nulla datur actualis convenientia inter Deum, & creaturam, nam ut paſſim tenet Scotus, Deus, & creatura ſunt in realitate primò diverſa, idest, nullatenus ex natura rei in aliqua realitate convenientia; ſed quia ut etiam ſæpe tenet Scotus., cùm differentia in realitate, optimè compati poſſit convenientia in conceptu; ſtat enim optimè, aliqua eſſe ſubjectivè diverſa, & objectivè convenientia; ideò dicimus, quòd licet Deus, & creatura ſint primò diverſa in realitate, ſunt tamen convenientia in conceptu objectivo entis; ſed quia talis conceptus entis habet fundamentum in re, ſcilicet, quòd tam Deus, quàm creatura nata ſunt cauſare conceptum illis communem, quoad rationem eſſendi apud intellectum inadæquatè concipientem; ideò dicimus, Deum, & creaturam convenire realiter, non actualiter, ſed fundamentaliter in ratione entis. Nulla enim eſt contradictio, quòd aliqua ſecundum eandem rationem actu, & formaliter differant, & ſolum fundamentaliter,

virtualiter, ſeu potentialiter conveniat; ſicuti nulla eſt contradictio in hoc, quòd Sol ſecundum eandem formam ſit calidus virtualiter, & non ſit calidus formaliter.

25 Contra hanc reſponſionem inſurgunt aliqui Scotiſtæ; videtur enim ex illa penitus ruere fundamentum Scoti ad ponendas naturas communes, quæ ex natura rei præſcindant à peculiaribus rationibus, & quibus unitas formalis ex natura rei conveniat, Quod ſic probant; eadem convenientia reperitur inter hominem, & brutum in ratione animalis, quæ reperitur inter Deum, & creaturam in ratione entis; ſed convenientia hæc in ratione entis ſalvatur, quin ratio entis dicat realitatem ex natura rei præciſam à peculiaribus rationibus Dei, & creaturæ, cui ex natura rei correſpondeat unitas formalis: g. & illa convenientia poteſt ſalvari, quin ratio animalis dicat realitatem ex natura rei præciſam à rationibus peculiaribus hominis, & bruti, cui unitas formalis ex natura rei conveniat.

26 Reſp. neg. aſſumptum, & maj. prob. non enim eadem conveniētia reperitur inter Deum, & creaturam in ratione entis, quæ reperitur inter hominem, & brutum in ratione animalis: hæc enim eſt convenientia in aliqua realitate ex natura rei præciſa, ſeu inadequato conceptu realitatis, illa verò tantum eſt convenientia in conceptu realitatis imperfecto, & non in aliqua realitate ex natura rei præciſa, ſeu in conceptu perfecto alicujus realitatis; quippe animal dicit realitatem ex narura rei præciſam à peculiaribus rationibus hominis, & bruti, ens autem non dicit realitatem ex natura rei præciſam à peculiaribus rationibus Dei, & creaturæ, ut ſæpè repetitum eſt.

27 Ratio autem cur animal, & aliæ naturæ prædicamentales dicant realitatem ex natura rei præciſam à peculiaribus rationibus inferio-

rum,

rum, ens autem conveniens Deo, & creaturæ non dicat talem realitatem ſic ex natura rei à peculiaribus rationibus Dei, & creaturæ præciſam, deſumitur ex eo, quòd ſpecies, & individua non ſunt primò diverſa, ſed aliquid idem entia, ideſt in aliquo reali convenientia, at verò Deus, & creatura ſunt primò diverſa, ut paſſim ex Scoto referunt Scotiſtæ, quæ prima diverſitas nequit ſtare cum convenientia in aliqua realitate ex natura rei, benè tamen ſtare poteſt cum convenientia in communi conceptu deſumpto à realitatibus Dei, & creaturæ imperfectè conceptis.

28 Deinde deſumitur ex rationibus pro noſtra concluſione ſupra poſitis, nulla enim invenitur realitas ex natura rei in Deo, quæ determinatè non exigat (liceat ſic loqui) eſſe à ſe, independentem, infinitam, imparticipatam, & cui ex ſua ratione ex natura rei non repugnet eſſe ab alio, eſſe participatam, finitam, & dependentem; & ſimiliter nulla realitas ex natura rei invenitur in creatura, quæ non exigat determinate eſſe ab alio, dependentem, finitam, & participatam; aliàs aliquid creatum ex natura rei daretur, quod ex ſe non eſſet à Deo dependens, & participatum, quod quidem prorſus ſanæ rationi repugnat: at verò in creatura, v.g. in homine benè datur ex natura rei aliqua realitas, v.g. animalitas, quæ non exigit determinatè eſſe hominis, ſeu cui ex ſua propria ratione ex natura rei non repugnat eſſe bruti; unde nequit aliqua realitas Dei perfectè concipi, quin concipiatur, ut exigens determinatè eſſe increatum, infinitum, &c. neque aliqua realitas creaturæ perfectè concipi, quin concipiatur, ut exigẽs determinatè eſſe creatū, finitum, dependens, &c. poteſt tamen aliqua realitas hominis perfectè concipi, quin concipiatur determinatè exigere eſſe hominis; quapropter realitas entis in Deo non præſcindit ex natura rei ab eſſe creato, & in.

in creato, &c. neque ſimiliter in creatura, ſed tantum in conceptu abſtracto ab intellectu imperfectè realitatem Dei, & creaturæ cognoſcente, realitas verò animalis in homine, & ſimiliter in bruto ex natura rei præſcindit ab eſſe hominis, & bruti. Hæc doctrina expreſsè fundatur in Scoto pluribus in locis, in quibus aſſertivè tenet, Deum, & creaturam in nulla realitate convenire, etſi alicui non videatur ſufficiens, conciliet aliter Doctoris ſubtilis authoritates; nos enim libenter à quolibet edocebimur.

29 Ex dictis in hac quæſt. inferetur (quod approbat Maſtrius ſæpè cit. ex Bargio) quòd apud intellectum perfectè concipientem, & præcipuè apud intellectum Divinum non datur conceptus entis communis Deo, & creaturis: nam intellectus perfectè concipiens concipit realitates eo modo, quo ſunt ex natura rei, & cum omni exigentia, (liceat ſic loqui) quam dicunt determinatè. Addunt ſupradicti Authores, Deum cognoſcere conceptum entis communem Deo, & creaturis, ut eſt in intellectu noſtro imperfectè concipiente; etſi non daretur actu intellectus creatus, ſed tantum poſſibiliter, tunc cognoſceret Deus conceptum entis communem non actualem, ſed poſſibilem; ſi autem repugnaret intellectus creatus, & non repugnarent aliquæ creaturæ, tunc non cognoſceret Deus talem conceptum communem entis, adhuc ut poſſibilem: cognoſceret tamen ex parte objecti fundamentum, quod eſſet in ipſo Deo, & creaturis, ut poſſet abſtrahi talis conceptus, ſi eſſet poſſibilis intellectus creatus; ſi denique omnes prorſus creaturæ repugnarent, nullatenus Deus cognoſceret conceptum communem entis nec in ſe formaliter, nec fundamentaliter ex parte objecti.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An conceptus entis ſit univocus Deo, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidenti.

1 PRo quæſt. intelligentia recolenda ſunt quæ diximus in Logica loquendo de univocis, æquivocis, & analogis; & præcipuè quatuor communiter aſſignari gradus univocationis. Illud dicitur univocum in primo gradu (qui eſt perfectiſſimus omnium) quod convenit pluribus ſecundum idem nomen, & ratio ſignificata per illud eſt in omnibus eadem cum æquali perfectione; cum eodem modo eſſendi, & cum eodem ordine eſſentiali, in hoc gradu ſolùm ſpecies infimæ dicuntur univocæ reſpectu ſuorum individuorum; eadem enim ratio ſignificata per hoc nomen *homo* invenitur in omnibus individuis, & cum æquali perfectione, cùm differentiæ individuales nullum gradum eſſentialem addant naturis ſpecificis; & cum eodem modo eſſendi, nullum enim individuum in eſſe talis dependet ab alio, nec unum alteri tribuitur: & cum eodem ordine eſſentiali, eo quòd natura ſpecifica hominis non prius ad unum individuum, quàm ad aliud deſcendit: licet enim unum individuum ſit prius alio in exiſtendo, non tamen in participando naturam ſpecificam, v.g. humanam.

2 Illud dicitur univocum in ſecundo gradu (qui eſt imperfectior primo) quod convenit pluribus ſecundum idem nomen, & ratio ſignificata per illud eſt in omnibus eadem cum eodem modo eſſendi; & cum eodem ordine eſſentiali, non tamen cum eadem perfectione; in hoc ſenſu genera dicuntur univoca reſpectu ſpecierum, animal enim v. g. ſecundum idem nomen, & rationem ſignificatam convenit homi-

ni, & equo, & animalitas equi non dependet, ab animalitate hominis, vel è contra, neque eſt prius in uno, quam in alio, eſt tamen in homine cum majori perfectione, quam in equo propter perfectiorem differentiam, ſcilicet rationalitatem hominis, quæ perfectior eſt hinibilitate equi.

3 Illud dicitur univocum in tertio gradu (qui eſt imperfectior primo, & ſecundo) quod convenit pluribus ſecundum idem nomen, & ratio ſignificata per illud eſt in omnibus eadem cum eodem modo eſſendi, ſed non cum eodem ordine eſſentiali, nec cum eadem perfectione: in hoc ſenſu dicitur communiter, numerum eſſe univocum ſuis ſpeciebus; quippè ratio communis numeri omnibus numeris convenit, neque unus numerus ab alio dependet in eſſe numeri formaliter: tamen prius convenit binario, quam ternario, &c. & perfectius eſt in una ſpecie, quam in alia ratione differentiarum, differentiæ enim, & ſpecies, ut communiter circumfertur, non ſunt ejuſdem perfectionis.

4 Illud dicitur univocum in quarto gradu (qui eſt omnium imperfectiſſimus) quod convenit pluribus ſecundum idem nomen, & ratio ſignificata per illud eſt in omnibus eadem, ſed non cum eodem modo eſſendi, nec cum eodem ordine eſſentiali, nec cum eadem perfectione, in hoc ſenſu, adſtruunt Scotiſtæ cum Scoto univocationem conceptus entis reſpectu Dei, & creaturæ, ens enim, & ſecundùm nomen, & ſecundum rationem ſignificatam, idem eſt in Deo, & creatura, tamen in Deo ratio entis eſt independens; & in creatura dependens à Deo; in Deo eſt prius quam in creatura, & in Deo eſt cum infinita perfectione, in creatura verò cum limitata, & finita. Idem dicunt communiter Scotiſtæ de ente reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis. Nunc.

Cir-

5 Circa præſentem difficultatem tres aſſignantur ſententiæ, quarum 1. tenet, ens eſſe purè æquivocum reſpectu Dei, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidentis, huius ſententiæ meminit D. Thom. qu. 7. de potentia art. 7. ſed communiter ab omnibus reiicitur, quia illud ſolum dicitur purè æquivocum, quod ita ſecundum idem nomen pluribus convenit, ut ratio ſignificata per nomen ſit in illis omninò diverſa, quin in aliquo ſit cum aliqua dependentia ab alio, cum aliqua attributione, proportione, aut ſimilitudine inter illa: non ſic ſe habet ens reſpectu Dei, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidentis, ut ex ſe eſt manifeſtum, in creatura enim dependet ens a Deo, dicit attributionem aliquam ad Deum, & cum Deo habet aliqualem ſimilitudinem: ſimiliter ens in accidente dicit aliquem ordinem ad ſubſtantiam, & ſimiliudinem cum illa; g. ens non eſt purè æquivocum reſpectu Dei, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidentis.

6 Secunda ſententia tenet, ens eſſe analogum, & nullatenus univocum reſpectu Dei, & creaturæ; ſubſtantiæ, & accidentis. Sic comminiter Thomiſtæ cum ſuo Angelico præceptore. Tertia ſententia tenet, conceptum entis, ſi ſumatur modo explicato qq. antec. eſſe univocum reſpectu Dei, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidentis. Sic omnes Scotiſtæ cum Scoto cit. pro quæſtionibus antecedentibus; licet diverſimodè ab aliquibus explicetur, pro illa ergo ſequentes concluſiones ſtatuimus.

7 Dicimus 1. conceptus entis eſt univocus in quarto gradu univocationis Deo, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidenti. Pluribus rationibus deſumptis ex Scoto cit. probant Scotiſtæ hanc concluſionem, quæ quidem rationes coincidunt cum rationibus poſitis pro quæſtione prima, quæ ſi benè inſpiciantur, ſicut probant unitatem, & perfectam præciſionem conceptus en-

entis, ita univocationem illius probant, quibus omiſſis, ſeu potius non rèpetitis propter prolixitatem vitandam.

8 Probat. concl. hac unica ratione, illud dicitur univocum, quod ſecundum nomen, & rationem per illud immediatè ſignificatam pluribus convenit: ſed conceptus entis ſecundum nomen entis, & ſecundum rationem immediatè per illud ſignificatam convenit Deo, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidenti; ergo conceptus entis eſt univocus Deo, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidenti. Minor prob. ex dictis quæſt. 1. concluſ. 3 ubi oſtendimus perfectam præciſionem conceptus entis ab inferioribus, quæ quidem non daretur, niſi ens ſignificaret aliquid immediate ſignificans rationem communem illis, hæc autem ratio immediatè ſignificata per nomen *ens*, eſt capacitas exiſtentiæ realis independenter ab intellectus conſideratione: ſed tam Deus, quam creatura, ſubſtantia, & accidens independenter ab intellectus conſideratione realiter exiſtunt; g.

9 Reſp. aliqui diſting. mai. ſi talis ratio non tranſcendat differentias, per quas determinatur ad inferiora, eſt vera; ſi tranſcendat, eſt falſa; ratio enim ſignificata per nomen *ens*, inquiunt tranſcendit omnes differentias, omnes enim ſunt, & dicuntur formaliter ens. Vis huius reſponſionis ſtat in hoc; quod ad rationem univocationis requiritur, quod nomen univocum ſignificet rationem ſimpliciter unam, ratio autem ſignificata per nomen *ens* non eſt inquiunt, ſimpliciter una, quippè per ſe ipſam eſt multiplex, & non per aliquid ſuperadditum, cum differentiæ, quæ ſuperadduntur ſint etiam formaliter ens, & ſic etiam ſignificentur nomine *ens*. Hoc argumentum, ſeu hæc reſponſio, non ſolum oſtendit, ens non eſſe univocum Deo, & creaturis, ſubſtantiæ, & accidenti, ſed etiam, ens non dicere conceptum perfectè præciſum ab illis.

illis. Neutrum tamen oſtendit, nititur enim fundamento nullatenus ab Scoto, & Scotiſtis admiſſo, ſcilicet, ens tranſcendere omnes differentias, de quo quæſt. ſequenti.

10 Alii reſpondent, majorem eſſe veram, quando ratio ſignificata per illud nomen convenit multis cum æquali perfectione, & cum eodem modo eſſendi, & cum eodem ordine eſſentiali, quo quidem modo non convenit ens Deo, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidenti; cum majori enim perfectione eſt in Deo, quam in creatura, & cum diverſo modo eſſendi, in Deo enim eſt a ſe, independens, &c. in creatura verò ab alio, dependens, &c. & cum diverſo ordine eſſentiali; prius enim eſt in Deo, quam in creatura; quod idem ſuo modo dicendum eſt de ſubſtantia cum accidente comparata. Hæc reſponſio magis quam intendit, oſtendit: ex illa enim ſequitur, nihil eſſe univocum, niſi ſpecies reſpectu individuorum, ut patet ex explicatione graduum univocationis, quod nemo eſt, qui concedat.

11 Deinde nihil dicit contra noſtram concluſionem, quia licet evidenter demonſtret, ens non eſſe univocum in aliquo ex triplici gradu univocationis, quod nos nullatenus inficiamur; non tamen oſtendit, ens non eſſe univocum in quarto, & imperfectiſſimo gradu univocationis, in quo noſtra concluſio procedit, ad quem quidem gradum ſufficit, quod ratio ſignificata per nomen ſit in pluribus eadem, licet diverſam perfectionem, diverſum ordinem eſſentialem, & diverſum modum eſſendi habeat in inferioribus.

12 Quod quidem, ne quæſtio de re ad quæſtionem de nomine reduceretur, prævenit Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 2. §. *Secundo non aſſerendo, verſ. & ne fiat contentio*, ſub litt. B. his verbis: *Et ne fiat contentio de nomine univocationis, conceptum univocum dico, qui ita eſt unus, ut eius uni-*

unitas ſufficiat ad contradictionem affirmando, & negando ipſum de eodem; & ſufficit pro medio ſyllogiſtico, ut externa unita in medio ſic uno ſine fallacia æquivocationis concludantur inter ſe unum; quo modo certũ eſt, ens eſſe univocum, eo quod præciſè ratio immediatè ſignificata per illud eſt una; hæ enim propoſitiones ſunt contradictoriç; *Ens eſt unum, verum, bonum; ens non eſt unum, verum, bonum.* Similiter in hoc ſyllogiſmo benè concluditur unitas extremorum; *Omne ens eſt unum; verum, bonum; omnis lapis eſt ens*: g. *Omnis lapis eſt unus, verus, bonus*; & ſimiliter in hoc; *Omne ens eſt verum: unum, bonum; Deus eſt ens*: g. *Deus eſt unus, verus, bonus.*

13 Pluribus authoritatibus Ariſt. inſurgunt adverſarii contra noſtram concluſionem, quæ apud noſtrum Maſtr. videndas relinquimus, illis enim tantum intendit Philoſophus, ens non eſſe perfectè univocum, ſed eſſe aliquomodo analogum, quod & nos libenter admittimus, cum tantum imperfectiſſimam univocationem enti tribuamus, quæ cum aliqua analogia compatitur, ut ex infra dicendis conſtabit. Etiam inſurgunt aliquibus rationibus, quibus intendunt probare; ens nõ eſſe univocum Deo, & creaturis, & quia tranſcendit omnes differentias, & quia ſequeretur, quod eſſet genus, quod non admittitur, quas etiam hic omittimus; quia de tranſcendentia, & unitate generica, quæſtionibus ſequentibus diſputabimus; nunc autem alias rationes proponemus. Igitur

14 Arg. 1. quando effectus non adæquat virtutem cauſç, nomen illis commune nequit eſſe univocum; ſed creatura eſt effectus Dei, & non adæquat virtutem Dei; g. nomen *ens*, quod eſt illis commune, nequit eſſe univocum. Prob. mai. quia quando effectus non adæquat virtutem cauſæ: non recipit ſimilitudinem eius ſecundum eandem rationem; ſed ſimilitudo ſecundum eandem rationem requiritur ad univocationem; g. quan-

quando effectus non adæquat virtutem cauſæ; nomen illis commune, nequit eſſe univocum. Reſpond. diſting. mai. ſi effectus ſecundum nullam rationem adæquat virtutem cauſæ, concedo; ſi non adæquat virtutem cauſæ ſecundum peculiares rationes, adæquat tamen ſecundum aliquam rationem communem tali nomine ſignificatam, nego. Similiter diſting. min. creatura non adæquat virtutem Dei ſecundum peculiares rationes, concedo; ſecundum rationem communem ſignificatam nomine entis, neg. & neg. conſ. Creatura enim adæquat Deum in ratione ſignificata hoc nomine *ens*, ſi præciſè conſideretur, quod ſufficit ad univocationem imperfectam; eò vel maximè, cum neque talis adæquatio, neque talis univocatio ſit ex natura rei, ſeu in aliqua realitate; ſed tantum in conceptu præciſo, ut ſæpè dictum eſt, ſeu, aliis verbis non eſt convenientia, ſeu adæquatio phyſica, & realis independens ab intellectus noſtri conſideratione, & ſic nullam in Deo imperfectionem conſtituens. Quod in ſimili contingit in Sole producente metalla, quę non adęquant virtutem eius ſecundum omnes peculiares rationes Solis, & tamen univocè conveniunt cum Sole in ratione ſubſtantiæ, & corporis.

15 Argum. id, quod de uno ex inferioribus dicitur ſimpliciter, & de altero ſecundum quid, non eſt illis univocum; ſed ens ſimpliciter dicitur de Deo, ut patet ex illo Exodi 3. *Ego ſum, qui ſum*, de creatura verò ſolum ſecundum quid, ut patet ex illo Iſaiæ 40. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo*. Deinde ſimpliciter dicitur ens creatum de ſubſtantia, de accidenti verò ſecundum quod, ut deducitur ex pluribus locis Ariſt. g. ens non dicitur univocè de Deo, & creatura; ſubſtantia, & accidenti. Reſpond. diſtingu. maior. ſi per ly *ſimpliciter* intelligatur eſſe in uno formaliter, & per ly *ſecundum quid*, non eſſe in alio formaliter, concedo; ſi per

per ly *ſimpliciter* intelligatur eſſe in uno perfe-ctiori modo, & per ly *ſecundum quid* eſſe in alio imperfectiori modo, nego. Similiter diſting. min. eſt enim vera in ſecundo ſenſu, neque aliud intendit Scriptura ſacra, & Ariſt. falſa autem in primo ſenſu; unde nego conſequentiam. Alia argumenta tantum probant, univocationem entis non eſſe perfectam, quod nos libenter concedimus, ut patet ex ſupradictis; imò pro majori claritate addimus ſequentem concluſionem.

16 Dicimus 2. univocatio entis reſpectu Dei, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidentis benè compatitur cum aliqua analogia; ſeu, quod idem eſt, ens non eſt purè univocum, ſed univocum analogum reſpectu Dei, & creaturæ; ſubſtantiæ, & accidentis. Hanc concluſionem tenent expreſsè Maſtr. in met. diſputa. 2. qu. 5. & Meron. in Logica diſp. de prædicam. aſſert. 3. citantes pro ſe Scotum in 2. diſtinct. 12. q. 1. lit. G. & in 4. d. 12. qu. 1. lit. H. & etiam illam oſtendunt plures authoritates Ariſt. quæ ſolent adduci contra concluſionem antecedentem. Deinde

17 Prob. ratione, tum quia ut diximus in Logica loquendo de analogia, illud dicitur analogum inæqualitatis, quod convenit pluribus ſecundum rationem ſimpliciter eandem, & ſecundum quid diverſam ratione inæqualis perfectionis differentiarum; ſed ens convenit Deo, & creaturis ſecundum eandem rationem ſimpliciter, ut ex ſupradictis conſtat, & diverſam ſecundum quid, quippe perfectius eſt in Deo, quam in creatura, & perfectius in ſubſtantia, quam in accidenti, ut ex ſe eſt manifeſtum; g. ſaltim analogia inæqualitatis ens dicendum eſt analogum reſpectu Dei, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidentis.

18 Sed eſt dubium, an etiam poſſit dicit analogum analogia attributionis, & proportionalitatis? & videtur, quod non; quia ex dictis

in Logica, ad quamlibet analogiam ex iſtis requiritur neceſſariò, quòd ratio ſignificata per nomen propriè conveniat uni ex analogatis, cæteris verò impropriè, ut patet in hoc nomine *ſanum*, quod dicitur analogum attributionis, eo quòd propriè convenit animali; urinæ verò & medicinæ improprie, & ſolùm per attributionem ad animal, & ſimiliter in hoc nomine *riſus* quod dicitur analogum proportionis, ſeu proportionalitatis, eo quòd proprie convenit homini, improprie verò ſeu metaphoricè convenit prato, habent tamen inter ſe hanc proportionem, ſicut ſe habet homo ad ſuum riſum, ita pratum ad ſuum, & uterque riſus habet aliquam metaphoricam ſimilitudinem: ſed ratio ſignificata per nomen *ens* verè, realiter, & propriè invenitur in Deo, & creatura: ſubſtantia, & accidenti: g. nulla ex prædictis analogiis poteſt illi convenire reſpectu illorum.

19 Ne tamen fiat contentio de nomine, videtur dicendum, quod extendendo nomen analogiæ attributionis, & proportionis, ſeu proportionalitatis, ita ut analogia attributionis non ſolùm dicat rationem ſignificatam per nomen alteri proprie, & alteri improprie convenire, & cum attributione, & ordine unius ad aliud, ſed etiam dicat, prædictam rationem proprie convenire omnibus, cum attributione tamẽ, ſeu ordine unius ad aliud, & ſimiliter analogia proportionis, ſeu proportionalitatis, non ſolum dicat, rationem ſignificatam per nomen alteri proprie, & alteri impropie convenire, & inter ſe habere metaphoricam ſimilitudinẽ, ſed etiam dicat, rationem prædictam proprie omnibus convenire, & habere inter ſe aliquam ſimilitudinem, bene poteſt ens dici analogum attributionis, & proportionis, ſeu proportionalitatis, quod ex parte tenet Maſtr. cit. & totaliter cit. Meron. Nulla tamen analogia hoc modo ſumpta opponitur univocationi, ſaltim im-

imperfectæ, ad hanc enim ſolum requiritur, quod ratio ſignificata per nomen ſit in omnibus eadem propriè, & formaliter, ſive hoc, ſive illo modo illis conveniat.

20 De analogia attributionis patet; quia Deus eſt ens per eſſentiam, cauſa, & finis craturæ cratura per participationem effectus Dei, in quem tamquam in finem ordinatur, ſubſtantia eſt ens per ſe, accidens ens aliquid ſubſtantiæ, propter quod dicitur entis ens; eſt enim vel diſpoſitio, vel inſtrumentum, vel quaſi affectio ſubſtantiæ; g. creatura eſt ens per attributionem ad Deum: & accidens ens per attributionem ad ſubſtantiam: ac per conſequens, &c. Hoc modo debent intelligi authoritates Ariſt. & Scoti, dum dicunt, ens dici de inferioribus ad unum.

12 De analogia proportionis, ſeu proportionalitatis etiam patet: ſicut enim ſe habet ens in Deo; ita ſe habet in creatura, & ſicut in ſubſtantia, ſic in accidente, in quolibet enim ex his intrinſecè, & eſſentialiter invenitur; & hæc analogia ſatis impropriè analogia dicitur, ſtat enim cum qualibet æquivocatione, etiam perfectiſſima. Hæc omnia nullam videntur habere controverſiam, niſi hoc ad quæſtionem de nomine reducatur.

QUÆSTIO IV.

Vtrùm ens includatur formaliter, & quidditativè in ulimis differentiis?

1 PRo quæſt. intelligentia, quæ valde prolixè, & non minus confusè ab aliquibus Scotiſtis proponitur, notandum eſt 1. ens, ut ſonat, poſſe dividi in *ens quid*, & in *ens quale*. *Ens quid* dicitur illud quod ſe habet per modum contrahibilis, potentialis, & determinabilis, & prædicatur per modum per ſe ſtantis. *Ens quale* dicitur illud, quod ſe habet

per

per modum actuantis, contrahentis, & determinantis, & prædicatur per modum alteri adjacentis. Hæc diviſio habet fundamentum in Scoto, dum in 1. d. 3. qu. 3. §. *Quantum ad ſecundum*, ultimas differentias, & paſſiones entis conceptus qualitativos appellat: licet aliqui Scotiſtæ nomen entis *quale* admittere renuant, ſed rem, adeò gravem, ad quæſtionem de nomine reducunt.

2 Hæc entis diviſio adhuc poteſt dupliciter ſumi, vel in re, ſeu in realitatibus, ut in animalitatem, & rationalitatem, animalitas enim eſt perfecta realitas potentialis, contrahibilis, & determinabilis, & rationalitas eſt perfecta realitas actuans, contrahens, & determinans; vel in conceptibus imperfectis, ut in rationem communem entis, & modum intrinſecum; ut enim patet ex dictis quæſtionibus antecedentibus, ratio communis entis à nobis concepta ſe habet per modum potentialis, contrahibilis, & determinabilis, & modus intrinſecus ſe habet per modũ actuãtis, cõtrahentis, & determinãtis?

3 Aliis terminis ſolet hæc diviſio explicari, in ens completum, & in incompletum, intelligendo pro ente completo *ens quid*, & pro incompleto *ens quale*; & rurſus accipiendo hanc diviſionem pro ente completo, & incompleto obiectivè; quæ diviſio coincidit cum diviſione per conceptus; & pro ente completo, & incompleto ſubjectivè, quæ diviſio coincidit cum diviſione per realitates; obiectum enim reſpicit conceptum, & ſubjectum reſpicit rem.

4 Notandum eſt 1. quod reſolutio metaphyſica non ſiſtit in reſolutione realitatum, ſed adhuc ad ampliorem, ſeu ulteriorem progreditur; quapropter tenet Scotus pluribus in locis, & cum eo omnes Scotiſtæ, quod licet aliquid ſit omninò ſimplex in realitate, ita ut in plures realitates nequeat reſolvi, poteſt tamen ab intellectu noſtro imperfectè realitatem

concipiẽtis in plures conceptus inadęquatos reſolvi; unde benè ſtat, quod aliqua in realitate non conveniant, ſeu, quod idem eſt, ſint in realitate primò diverſa:& tamen conveniant in aliquo conceptu abſtracto à realitatibus imperfectè conceptis, ſeu non ſint primo diverſa in conceptu, ut patet ex dictis qq. antec. de conceptu communi entis Deo, & creaturis, licet enim ſint in realitate primò diverſa, non tamen in conceptu imperfecto prædictæ realitatis.

5 Hic amplius claritatis gratia adhuc poteſt ſic exemplificari, humanitas v. gr. ſecundum rem, & realitatem reſolvitur in animalitatem, & rationalitatem: quæ quidem ſunt realitates ex natura rei ſe invicem excludentes, genus enim excludit differentiam perfectè à ſuo conceptu formali, ut in Logica ſuo loco diximus: metaphyſicus autem non ſiſtit in hac reſolutione; nam animalitas adhuc reſolvitur ſecundum realitatem in rationem vivendi genericam, & in rationem ſentiendi differentialem, tamquam in realitates etiam ſe invicem excludentes, ulterius, ratio vivendi reſolvitur ex natura rei in rationem ſubſtantiæ genericam, & rationem corporis, differentialem ſimiliter ſe excludentes, in hac reſolutione ſiſtit reſolutio ſecundum realitates perfectas.

6 Sed adhuc progreditur metaphyſicus reſolvendo quamlibet perfectam realitatem in conceptus inadæquatos, reſolvit enim ſubſtantiam in conceptum communiſſimum entis, & in conceptum perſeitatis, ex quibus conceptus entis dicitur conceptus *in quid*, & conceptus perſeitatis dicitur conceptus *in quale*, non quia ex natura rei conceptus entis ſit quid potentiale, & contrahibile, & conceptus perſeitatis ſit quid actuans, & contrahens, ſed quia ex noſtro imperfecto modo concipiendi ſic accipiatur, ut quæſtionibus antec. ſæpè repetitum eſt. Similiter reſolvit metaphyſicus realitatem corporei-

poreitatis in conceptum entis, qui eſt conceptus *in quid*, & in conceptum perſeitatis, qui eſt conceptus *in quale*: verſatur tamen hoc diſcrimen inter conceptum perſeitatis, quo ens determinatur ad formalitatem ſubſtantiæ, & conceptum perſeitatis, quo ens determinatur ad formalitatem corporeitatis, quod ſcilicet, licet uterque conceptus dicatur *in quale*, eo quod uterque ſit contractivus entis; tamen perſeitas, qua determinatur ens ad ſubſtantiam dicitur perſeitas *in quid*, eò quod conſtituit ſubſtantiam quæ eſt formalitas *in quid*, contrahibilis, & determinabilis: perſeitas verò, qua determinatur ens ad corporeitatem dicitur perſeitas *in quale*, eo quod conſtituit ſubſtantiam, quæ eſt formalitas *in quale*, contrahens, & determinans. Similiter quælibet alia differentia ex ſupradictis, ſcilicet ratio ſentiendi, ſeu ſenſibilitas, & ratio ratiocinandi, ſeu rationalitas poteſt reſolvi à metaphyſico in conceptum entis, qui eſt conceptus *in quid*, & in conceptum proportionalem perſeitatis *in quale* ſibi correſpondentem, modo quo poſſumus concipere rationalitatem adhuc in conceptu ab irrationale diſtingui.

7 Notandum eſt 3. quamlibet differentiam, quæ dicit perfectam realitatem poſſe comparari, vel ad id, quod immediatè contrahit, ut rationalitas ad animalitatem; vel ad conceptum inadæquatum entis in communi.

8 Notandum eſt 4. dupliciter aliquid poſſe dici primum, vel ultimum, ſcilicet ordine compoſitionis, & ordine reſolutionis, quod enim eſt primum ordine compoſitionis, eſt ultimũ ordine reſolutionis, & quod eſt primum ordine reſolutionis, eſt ultimum ordine compoſitionis; v.g. juxta Scotiſtarum ſententiã, in viventibus primus actus ordine compoſitionis phyſicæ eſt forma ſubſtantialis corporeitatis conſtituens corpus ſimul cum materia prima conſtituit corpus;

& ultimus actus ordine compoſitionis phyſicæ eſt anima, quæ ſimul cum corpore conſtituit vivens; ordine verò reſolutionis phyſicæ anima eſt primus actus, & forma corporeitatis eſt actus ultimus. Similiter in compoſitione metaphyſica ultimus actus eſt hæcceitas, ſeu differentia individualis, & primus actus eſt conceptus imperfectus ſupradictus *in quale*; hic conceptus eſt ultimus ordine reſolutionis, hæcceitas verò, ſeu differentia individualis eſt prima ordine reſolutionis.

9 Notandum eſt. 5. quaslibet differentias, quæ dicunt perfectam realitatem, ut ſunt corporeitas, ſenſibilitas, rationalitas, & etiam ultimæ differentiæ ordine conſtitutionis; ut ſunt hæcceitates, non includere formaliter *ens quid*, quod dicit perfectam realitatem, & quod immediatè contrahunt; verb. gratia rationalitas non includit formaliter animalitatem; neque petreitas humanitatem. In hoc communiter omnes conveniunt, eo quod illa, quæ ſe habent, ut actus, & potentia, ut contrahens, & contrahibile ſe formaliter excludunt, & in Scoti ſententia formaliter ex natura rei diſtinguuntur, ſi ex natura rei ſe habent, ut actus, & potentia: & certum eſt animalitatem, & humanitatem ſe habere per modum potentiæ, rationalitatem verò, & hæcceitatem, ſeu differentiam individualem, per modum actus. In hoc nulla eſt controverſia præter attactam in Logica de diſtinctione formali ex natura rei. Nunc eſt difficultas, an conceptus entis in communi formaliter, & quidditativè includatur in ultimis differentiis?

10 Duplex circa hanc difficultatem eſt oppoſita ſententia, altera affirmans, ens formaliter, & quidditativè includi in ultimis differentiis. Hanc ſententiam pro viribus defendunt omnes Thomiſtæ. Altera tenens, ens non includi formaliter, & quidditativè in ulti-

mis

mis differentiis. Hanc ſententiam ſic propoſitam tuentur omnes Scotiſtæ cum Scoto infra citando; nam nullus eſt inter Scotiſtas, qui non fateatur, hanc eſſe maximam difficultatem in via Scoti; quapropter in explicando, quid per ultimam differentiam intelligat Scotus, admodum diverſimodè loquuntur ſed quid in tanta varietate videatur tenendum, claritate poſſibili in tam ingenti difficultate pro noſtro captu proponemus. Igitur

11 Dicimus ultimæ differentiæ ordine conſtitutionis includunt formaliter, & quidditativè conceptum *entis quid* imperfectum. Hæc concluſio videtur eſſe Scoti aliquibus in locis explicatis a noſtro Licheto; præcipuè in 1. diſt. 26. qu. 1. §. *Ad primum tertia via. Verſ. Ad tertium*, ſub lit. Y. ubi poteſt videri etiam Lichetus, qui valdè ſubtilem doctrinam affert, magna ex parte pro noſtra concluſione: ſed quia hæc concluſio non contra extraneos, ſed contra aliquos proprios procedit, quod ſit juxta principia Scoti nunc intendimus oſtendere; igitur Scotus loco cit. reſpondendo ad quoddam argumentum intendens probare, nihil poſſe abſtrahi ab ultimis conſtitutivis, & diſtinctivis diſtinctum *in quid* de illis, loquitur enim argumentum de perſonalitatibus Divinis, quæ ſunt ultimo conſtitutiva, & diſtinctiva Divinarum Perſonarum; ſicuti Petreitas, & Pauleitas ſunt ultimo conſtitutiva, & diſtinctiva Petri, & Pauli, habet ſequentia verba;

12 *Dico, quod licet aliquis conceptus communis poſſit haberi, qui dicatur in quid de generatione Divina, & ſpiratione Divina, imò forte de paternitate Divina, & creata; tamen nulla realitas poteſt eſſe in Divinis aliquomodo diſtincta ex parte rei, a qua ſumatur iſte conceptus dictus* in quid, *quæ realitas ſit determinabilis per aliam realitatē, ſicut conceptus communis eſt determinabilis in intellectu per alium conceptū*. Et proſequitur;

Dico igitur, quod paternitas, & filiatio non ſunt duo primo diverſa quantum ad intellectum, quin poſſit intellectus abſtrahere ab eis aliquem conceptum realem communem: ſed ſunt primo diverſa quantum ad realitatem, ita & realitatem, ita quod nullum unum gradum realitatis includunt, qui ſit quaſi potentialis, & determinabilis per proprias differentias, vel quaſi proprias; ſicut albedo, & nigredo includunt realitatem aliquam eiuſdem rationis determinabilem per proprias differentias ſpecificas earum, a quibus ſumuntur earum differentia ſpecifica, & tunc illa propoſitio maior, quod primo diſtinctiva ſunt primo diverſa, tantum debet intelligi de ipſis realitatibus, qua primo conſtituunt, quantum ad non convenientiam in aliqua realitate una formali, quam formaliter includant ambo. Hæc Scotus.

13 Ex quibus verbis haud difficulter deducitur noſtra concluſio; nam juxta illam, bene ſtat, quod ultimo conſtitutiva, & diſtinctiva ſint primo diverſa in realitate, eo quod non dicant realitatem, in qua conveniant, & realitatem, per quam differant, convenientia tamen apud intellectum in aliquo imperfecto conceptu ipſius realitatis; ſed nihil obſtat quo minus talis conceptus ſit ratio communis entis; g. non eſt, cur talis conceptus denegetur.

14 Quapropter exponendo Scotum inquit Lichetus citatus; Dico tertio, quod Doctor, quando vult, quod ab ultimis differentiis non poteſt abſtrahi conceptus dictus *in quid*, non intelligit hoc abſolutè, ſcilicet, quod non poſſit abſtrahi conceptus communis dictus *in quid*; qui tamen non ſit potentialis (in re) ad conceptum contractivum; nam Doctor dicit, quod iſta dicuntur primò diverſa, ideſt non idem realiter includentia, ſcilicet, quod in re ante omnem abſtractionem ſit aliquid reale, in quo verè conveniant, & aliquid, in quo verè differant: modo ultimo conſtitutiva, ſive ultimæ diffe-

differentiæ ſic ſe habent inter ſe, quod non habeant aliquid verè reale, in quo conveniant, & aliquid, in quo differant, quod quidem reale, in quo conveniant ſit in potentia perfectibile ab illo, in quo differant. Et proſequitur ipſe Lichetus, dicendo, quod conceptus entis dicitur *in quid* de ultimis differentiis, & quod aliter non videtur poſſe intelligi Scotus. Unde patet, quod noſtra concluſio eſt conformis menti Subtilis Doctoris: Neque obſtat, quod aliquibus in locis videatur Scotus loqui de primo diſtinctivis, & conſtitutivis; nam in re ſemper intelligitur de ultimis differentiis ordine conſtitutionis, modo a nobis explicato 4. notabili, ut litteram Scoti ſcrutanti patebit; ne ergo quæſt. tam de re ad quæſtionem de nomine reducatur.

15 Neque hæc opponuntur dictis a nobis in Logica tract. de univerſalibus diſp. 7. quæſt. 2. loquendo de individuo, imò ſi benè perpendantur cum hic dictis omninò cohærent.

16 Dicimus 2. ultimæ differentiæ ordine reſolutionis non includunt formaliter, & quidditativè conceptum *entis quid*, ſeu conceptus entis non prædicatur *in quid* de ultimis differentiis ordine reſolutionis; hæc concluſio loquendo indifferenter de ultimis differentiis tenent omnes Scotiſtæ cum Scoto in 1. diſt. 3. quæſt. 3. §. *Ad quæſtionem igitur*, *verſ. Quantum ad primum*, litt. F. ubi dicit; *Dico, quod ens non eſt univocum dictum in quid de omnibus per ſe intelligibilibus; quia non de differentiis ultimis, nec propriis paſſionibus*. Et quod Scotus debeat intelligi in ſenſu concluſionis conſtat ex dictis pro concluſione antecedenti; nam cum ultimæ differentiæ tantum ſint, vel ordine conſtitutionis, vel ordine reſolutionis, & concluſio nequeat intelligi de differentiis ultimis ordine conſtitutionis, quod veniat intelligenda de ultimis differentiis ordine reſolutionis neceſsè eſt.

17 Prob. 1. concluſio ratione Scoti; quia ſi ultimæ differentiæ includerent eſſentialiter, & quidditativè rationem *entis quid*, ſeu potentialis, neceſſario convenirent in iſta ratione entis: erg. ut inter ſe differrent indigerent aliis differentiis; quæcumque enim in aliquo potentiali, & ipſis communi conveniunt aliquibus differentiis differunt ex Ariſtot. 5. & 10. met. tunc de illis differentiis, per quas differunt, inquiram, an includant formaliter rationem *entis quid*, vel non? Si non: hoc eſt, quod aſſerimus, ſcilicet, *ens quid* non includi in ultimis differentiis. Si includunt; ergo etiam differunt per alias differentias, & de iſtis idem inquiram; & dabitur proceſſus in infinitum; ne ergo in infinitum abeamus, dicendum videtur, *ens quid* non includi eſſentialiter, & quidditativè in ultimis differentiis; alias non darentur ultimæ differentiæ.

18 Prob. 2. ratione ipſius Scoti: quia ſicut ſe habet reſolutio phyſica in phyſicis entitatibus, ita ſe habet reſolutio metaphyſica in metaphyſicis conceptibus: ſed in reſolutione phyſica non progreditur in infinitum, ſed ſiſtitur in duabus entitatibus ſimpliciter ſimplicibus, quarum una ita ſit potentia, ut nullum phyſicum, ſeu formalem actum includat, & altera ita ſit actus, ut nullam potentialitatem phyſicam, ſeu ſubiectivam includat, quæ propterea in linea phyſica primo diverſa dicantur; ergo ſimiliter in reſolutione metaphyſica ſiſtendum eſt in aliquibus conceptibus ita primo diverſis, ut unus ſit totaliter potentialis, & contrahibilis, ut nihil actualitatis, & contractionis includat, & alter ſit totaliter actuans, & contrahens, ut nihil potentialitatis, & contrahibilitatis includat: ſed ſi ultimæ differentiæ includerent formaliter *ens quid*, ſeu contrahibile, non deveniretur in metaphyſica reſolutione ad aliquem conceptũ pure determinativum,

vum, & contrahentem; imò, nec videtur quo modo darentur ultimæ differentiæ: g. dicendum eſt, ultimas differentias non includere formaliter, & quidditativè *ens quid*.

19 Ex hac ratione, quam adducit Scotus loco cit. *verſ. Secundò ſic*, litt. G. colligitur clarè, quòd quando dicit, ens non includi eſſentialiter, & quidditativè in ultimis differentiis loquitur de ultimis differentiis ordine reſolutionis, adducit enim paritatem de reſolutione phyſica ad metaphyſicam, & his verbis proſequitur: *Ille conceptus tantum determinabilis eſt conceptus entis: & determinans tantum eſt conceptus ultima differentia*.

20 Ex quo etiam deducitur, quòd quælibet differentia, quæ dicit perfectam realitatem ex natura rei, v. g. rationalitas, ſenſibilitas, includunt formaliter *ens quid*, quælibet enim eſt reſolubilis in conceptus imperfectos ſe habentes per modum contrahibilis, & contrahentis, v. g. rationalitas in conceptum *entis quid*, ſeu contrahibilis, & in conceptum imperfectum ipſius rationalitatis ſe habentem per modum *quale*, ſeu contrahentis; non quia detur ex natura rei realitas entis contrahibilis, & alia realitas rationalitatis contrahens ens, ſed quia ſic à nobis concipitur propter noſtrum imperfectum modum concipiendi; ſicuti ſimiliter diximus, ens dicere conceptum contrahibilem, & communem Deo, & creaturis, & modos intrinſecos dicere conceptum per modum *quale*, ſeu contrahentis non in re, ſed ſecundùm noſtrum modum concipiendi.

21 Adhuc poteſt hoc amplius explicari: hoc axioma. *Omnis differentia differentium debet reduci ad aliqua primò diverſa*, eſt ſatis tritum in via Scoti: hæc prima diverſitas poteſt ſtare dupliciter, ut etiam in via Scoti eſt ſatis receptum, & patet ex ſupra dictis, vel penes realitates, vel penes conceptus: Deus enim, & creatura ſunt

differentia (liceat ſic loqui) taliter quòd in nulla realitate conveniunt, quapropter dicuntur primo diverſa in realitate, ſed quia Deus, & creatura non ſunt irreſolubiles, imò ſunt reſolubiles in plures conceptus inadæquatos reſpectu intellectus imperfectè concipientis, conveniunt in conceptu *entis quid* eſſentialiter, & quidditativè dicto de eis, & ſic non ſunt primò diverſa in conceptu, differunt tamen adhuc in conceptu per modos intrinſecos finitudinis, & infinitudinis, & cùm modi intrinſeci ſint ſimpliciter ſimplices, ideſt ulterius irreſolubiles in plures conceptus, & alias dicunt conceptus differendi, & non conveniendi, ipſi modi intrinſeci dicuntur primi diverſi in conceptu, ſeu in nullo communi conceptu convenientes. Nunc ad propoſitum;

22 Homo, & equus v. g. nullatenus dicuntur primò diverſa, quippè in pluribu conceptibus, & realitatibus conveniunt, & in conceptu entis, in realitate ſubſtantiæ, corporis, viventis, & animalis; quia tamen differunt inter ſe, ſua differentia debet reduci ad aliqua primò diverſa, ſeu in nullo convenientia; reducitur enim ad rationalitatem, & irrationalitatem, quæ ſunt realitates perfectæ, & ſimplices, & ſic inter ſe irreſolubiles in plures realitates, in quarum una conveniant, & in altera differant quapropter ſunt primò diverſa in realitate; & hoc modo differentia hominis, & equi reducitur ad aliqua primò diverſa in realitate; ſed quia prædictæ differentiæ nō ſunt ſimpliciter ſimplices quoad conceptum, ſed adhuc reſolubiles in plures conceptus v. g. in conceptum imperfectum *entis quid*, in quo conveniunt, & in ſuos peculiares conceptus, in quo differunt, ad has peculiares rationes reducitur ultimatè differentia hominis, & bruti, tanquam ad primo diverſa in conceptu; quia jam illæ peculares rationes ſunt irreſolubiles in plures conceptus, &

ſic

ſic in nullo conceptu convenientes. Idem poteſt exemplificari in quorumlibet differentia, ſive ſit ſpecifica, ſive individualis: unde colligitur, quod per ultimas differentias non includentes *ens quid* eſſentialiter, & quidditativè, ſolum poſſunt intelligi, vel modi intrinſeci, vel illæ peculiares rationes differentiarum; quia tantum modi intrinſeci, & illæ peculiares rationes, cùm non poſſint in plures conceptus reſolvi, & ſint ad huc in conceptu rationes differendi, non conveniunt in aliquo conceptu, unde nequeunt rationem *entis quid*, quæ eſt ratio conveniendi, quidditativè, & eſſentialiter includere.

23 Plura objiciunt adverſarii contra noſtram concluſionem, quæ ferè ejuſdem rationis ſunt, quapropter tantum aliqua proponemus; arguunt igitur. 1. conceptus ultimæ differentiæ eſt aliquid vel exiſtens in rerum natura, vel ſaltim in conceptu vero, & reali: g. eſt ens formaliter, & quiditativè. Patet conſeq. quia inter ens, & nihil non datur medium; ultimæ differentiæ non ſunt nihil, ſed aliquid; erg. Reſpond. conceſſo antec. neg. conſeq. & diſting. maj. prob. inter ens realiter, vel formaliter, & nihil non datur medium, concedo, inter ens formaliter præcisè, & nihil non datur medium, nego. Nullatenus enim negamus, conceptum ultimæ differentiæ eſſe ens, ſed ſolum negamus, ex ſuo formali, & preciſo conceptu eſſe ens quidditativè, alias eſſet quid contrahibile, ſeu includeret in ſuo præciſo conceptu aliquid contrahibile, & cùm ſit ratio differendi, etiam includeret aliquid contrahens, & ſic daretur proceſſus in infinitum, ut dictum eſt in noſtris rationibus quod quidem nullatenus videtur concedendum.

24 Replic. ultima differentia ex ſuo conceptu formali, vel eſt aliquid, vel eſt nihil: ſed non eſt nihil; erg. aliquid & conſequenter

ex ſuo concepu formali eſt ens. Reſp. neg. maj. quia, ex ſuo conceptu formali, neque eſt aliquid, neque nihil, neque hæc cum reduplicatione *ex ſuo conceptu formali* ſunt contradictoria ſicuti hæc non ſunt contradictoria: *Homo ex ſuo conceptu formali, vel eſt albus, vel eſt non albus* eſſent tamen contradictoria abſolutè loquendo: *Vltima differentia, vel eſt aliquid, vel non*; ſicuti hæc abſolutè loquendo ſunt contradictoria; *Homo eſt albus, vel non eſt albus*. Stat enim optime, quòd ultima differentia ex ſuo formali conceptu, neque ſit aliquid, neque nihil; nam cùm hoc componitur, quòd abſolute ſit ens realiter, & identice, ſicuti ſtat optime, quòd homo ex ſuo conceptu formali neque ſit albus, neque non albus; nam cum hoc componitur, quòd abſolute ſit albus.

25 Hoc amplius patebit hoc exemplo: in via Scoti hæc non ſunt contradictoria: *Natura humana ex ſuo conceptu formali eſt ſingularis, vel eſt non ſingularis*: quia in ſuo conceptu formali neque includit ſingularitatem, neque includit aliquid, quod ſingularitati opponatur; alias repugnaret illi ſingularitas; eſſent autem contradictoria ſic: *Natura humana ex ſuo conceptu formali eſt ſingularis, vel non eſt ſingularis*, quia hic affirmatur, & negatur copula, non verò primo modo; unde unum illorum neceſſariò debet naturæ humanæ cum qualibet reduplicatione convenire; eſt enim vera propoſitio negativa, ſcilicet; quòd natura humana ex ſuo conceptu formali non eſt ſingularis; hoc enim non eſt negare abſolutè, naturam humanam non eſſe ſingularem, ſed tantùm negare, ſingularitatem, quam abſolutè habet natura humana, non convenire illi ex ſua ratione formali, ſeu non includi in ratione formali illius.

26 Sic ſimiliter hæc non ſunt contradictoria;

ria: *Ultima differentia ex ſuo conceptu formali eſt ens, vel eſt non ens*: quia in ſuo conceptu formali neque includit ens, neque includit aliquid, quod enti opponatur, alias repugnaret illi ratio entis: eſſent autem contradictoria ſic: *Ultima differentia ex ſuo conceptu formali eſt ens, vel non eſt ens*: quia hic affirmatur, & negatur copula, non verò primo modo; unde unum illorum neceſſariò debet ultimæ differentiæ cum qualibet reduplicatione convenire; eſt enim vera propoſitio negativa, ſcilicet, quod ultima differentia ex ſuo conceptu formali non eſt ens; hoc enim non eſt negare abſolute, ultimam differentiam non eſſe ens, ſed tantùm negare, rationem entis, quam abſolutè habet ultima differentia, non convenire illi ex ſua ratione formali, ſeu non includi in ratione formali illius.

27 Argum. 2. ultima differentia ex ſuo conceptu formali eſt poſſibilis; ſed nihil eſt poſſibile, niſi quod eſt ens; erg. ultima differentia ex ſuo conceptu formali eſt ens. Hoc argumentum coincidit cum præcedenti; quapropter ſimiliter reſp. neg. maj. ultima enim differentia ex ſuo conceptu formali neque eſt poſſibilis, neque impoſſibilis: cum quo componitur, quod ultima differentia ſit abſolutè poſſibilis: unde diſting. min. nihil eſt poſſibile, niſi quod eſt ens quidditativè, ſeu ex ſuo conceptu formali, nego; niſi quod eſt ens abſolutè loquendo, concedo, & nego conſeq.

28 Hic pro majori claritate, & ampliori Scoti intelligentia obſervare oportet (quod obſervant plures Scotiſtæ, præcipuè Maſtrius, Lichetus, Meron, & Merin.) aliud eſſe aliquid univoce prædicari, & aliud eſſe univocum prædicatum, illud enim prædicatur univocè quod non ſolum convenit pluribus ſecundum, idem nomen, & eandem rationem ſignificatam per illud

illud, ſed etiam talis ratio prædicatur *in quod*, ſeu quidditativę de illis, ita ut in conceptu formali illorum includatur; hoc modo animal v. gr. dicitur univocè prædicari de homine, & bruto, quippè in conceptu formali illorum includitur: illud autem dicitur univocum prędicatum præcisè, quod, licet ſecundum idem nomen, & ſecundum eandem rationem conveniat pluribus, non tamen talis ratio prædicatur de illis *in quod*, ſeu quidditativè, ita ut in conceptu formali illorum includatur, hoc modo album v. g. dicitur univocum prædicatum reſpectu hominis, & equi, quippè non includitur in conceptu formali illorum; unde, prædicari univocè, & univocum prædicatum ſe habent tamquam ſuperius, & inferius: nam licet valeat: *prædicatur univocè*; *g. eſt univocum prædicatum*; non tamen valet è contra; *eſt univocum prædicatum*; *g. prædicatur univocè*: quia benè ſtat, quod ſit univocum prædicatum, & non ſit de formali conceptu illorum, de quibus prædicatur.

29 Unde Scotus ſolum negat, ens prædicari univocè de ultimis differentiis, & propriis paſſionibus, ut clarè denotant illius verba, inquit enim: *Ens non eſt univocum dictum in quid de omnibus per ſe intelligibilibus, quia non de differentiis ultimis, nec propriis paſſionibus entis*. Non autem negat eſſe univocum prædicatum; dicitur enim ens, & ſecundum nomen, & ſecundum eandem rationem ſignificatam de ultimis differentiis, & propriis paſſiónibus, licet non prædicetur de illis *in quid*, ſeu quidditativè, eo quòd non includatur in conceptu formali illorum, valet enim: *Ultima differentia eſt ens*, ſicut valet *homo eſt albus*; non tamen valet: *ultima differentia eſt ens quidditativè*, ſeu; *ens eſt de conceptu formali ultimæ differentiæ* ſicut non valet: *Homo eſt albus quidditativè* ſeu, *albedo eſt de conceptu formali hominis*; quod ſi hoc benè obſervetur, plura facilè ſolvētur argumēta.

30 Quia

30 Quia tamen hæc ultimæ differentiæ acceptio, non ab omnibus Scotiſtis admittitur; videre liceat; quomodo ratio ultimæ differentiæ ab aliis explicet; aliqui enim dicunt, quod per ultimas differentias ſolùm debent intelligi differentiæ individuales; quod ſic ſuo videri ex mente Scoti explicant per paritatem in phyſicis; in viventibus v. gr. datur materia prima, forma corporeitatis, & forma viventis, ſeu anima, ex quibus materia prima eſt pura potentia ſubjectiva, ſeu determinabilis, cùm nullius ſit actus formalis, ſeu determinativa: forma corporeitatis, neque eſt pura potentia, neque purus actus: non pura potentia, quia eſt actus materiæ: non purus actus, quia conſtituit corpus, quod adhuc eſt in potentia, & determinabile per formam viventis, ſeu animam; anima autem eſt purus actus, quia ita informat corpus, ut vivens conſtitutum ex illa, & corpore, non ſit ulterius in potentia ad aliquem actum.

13 Sic ſimiliter, dicunt, omnes differentiæ, quæ conſtituunt aliquod, quod adhuc eſt contrahibile, & determinabile per alias differentias, non ſunt puri actus in linea metaphyſica, ſed tantùm illæ, quæ conſtituunt aliquod, quod ulterius non eſt contrahibile, & determinabile per alias differentias; cuiuſmodi tantùm ſunt differentiæ individuales conſtitutivę individuorum in eſſe talium: cæteræ verò differentiæ non ſunt huiuſmodi, quippè ſola individua, ut talia, non ſunt ulterius determinabilia, ſeu contrahibilia per aliquas differentias; cætera verò conſtituta per alias differentias, ſcilicet genera, & ſpecies, ſunt ulterius per alias differentias determinabilia, & contrahibilia; cùm ergo, inquiunt, ſolùm illa, quæ ſunt puri actus metaphyſici non includant in ſuo conceptu formalis ens *quid*, ſeu determinabile, alias jam non eſſent puri actus, ſequitur evidenter, per ultimas differentias non includentes,

tes quidditativè, ſeu in ſuo conceptu formali ens *quid*, ſolùm debere intelligi differentias individuales, & non alias differentias, cujſcumque ordinis ſint.

32 Quod autem hæc explicatio ſubſtineri nequeat, ſatis patet ex ſupra dictis, & deinde; quia ſic explicantes firmiter tenent, ut potè Scoti diſcipuli, modos intriſecos non includere formaliter ens *quid*: ſed hoc cùm prædicta explicatione ſtare non poteſt: erg. inconſequenter loquuntur. Prob. min. quia modi intrinſeci (ſaltim quoad noſtrum modum concipiendi) ſunt contractivi entis, & conſtitutivi inferiorum, quæ ulterius per alias differentias ſunt determinabilia, & contrahibilia: erg. juxta prædictam explicationem modi intrinſeci non ſunt puri actus in linea metapyſica: & conſequenter includunt ens *quid* in ſuo conceptu formali, quod nullus Scotiſtarum admittit; ac proinde talis explicatio ſubſtineri nequit in via Scoti.

33 Rurſus, quòd non ſit juxta mentem Scoti patet, nam Scotus diſt. & quæſt. 3. ſæpè citat. verſ. ad videndum, lit. O. dicit quod ultima differentia non includens formaliter ens *quid* eſt illa, quæ deſumitur ab ultima forma, ſeu ab ultima realitate formę, & intelligitur, ut patet in litera de forma, & realitate eſſentiali; ſed differentiæ individuales, ut in confeſſo eſt apud omnes, non ſunt eſſentiales, neque ad quidditatem rei pertinentes: erg. non rectè in via Scoti per ultimas differentias non includentes formaliter ens *quid*, intelliguntur individuales differentiæ.

34 Denique, ex hoc ſequeretur, quod non omnis differentia differentium reduceretur ad aliqua primò diverſa, quòd nullatenus eſt admittendum: erg. neque eſt admittenda prædicta explicatio ulimæ differentiæ. Prob. antec. quia homo, & equus differunt inter

ſe; quis hoc neget? g. ſua differentia debet reduci ad aliqua primo diverſa; ſed quæ includuat ens *quid* quidditativè non ſunt primò diverſa, ut ex ſe patet; erg. debet reduci ad aliqua non includentia quidditativè *ens quid*; ſed non reducitur ad differentias individuales; nam loquimur de homine, & equo ſecundum ſe; erg. dantur aliquæ differentiæ, quæ non ſint individuales, per quas aliqua ultimò differant, non includentes quidditative *ens quid*; & conſequenter, &c. videantur dicta, num. 21. & 22. huius quæſtionis.

35 Alii Scotiſtæ per ultimas differentias, non includenter quidditative *ens quid*, intelligunt non ſolum differentias individuales, ſed etiam quaslibet alias differentias in abſtracto ſumptas; quæ explicatio, ſi ad ſenſum noſtrę concluſionis reducatur, ut reduci poteſt, & fortaſſis ſic ab aliquibus Scotiſtis intelligitur, illi non contradicimus, imò illam ſubſtinemus. Si vero intelligatur, ita ut quælibet differentia, dicens perfectam realitatem, ſumpta in abſtracto dicatur ultima, & non includens quidditative ens *quid*; loquendo de ultima differentia in realitate, & de non incluſione *entis quid*, quod immediate contrahit; hoc verum eſt; rationalitas enim poteſt dici ultima differentia hominis in realitate, & non includens animal, quod immediate contrahit, & hoc conſtat ex ſæpè dictis.

36 Si autem loquatur de ultima differentia proprie dicta, & non includente quidditative ens *quid*, in communi, & tranſcendentaliter ſumptum, ut loquitur Scotus, hæc explicatio nequit in via ipſius Scoti ſuſtineri; quippè loco citat. num. 33. dicit, quod hæc eſt vera propoſitio; *Rationalitas eſt ens*, ubi loquitur Scotus de incluſione entis quidditative, & accipit rationalitatem in abſtracto (quod idem videtur dicendum de qualibet diffe-

differentia dicente perfectam realitatem) ergo juxta Scoti mentem non quælibet differentiæ in abſtracto dicuntur ultimæ differentię excludentes ens *quid* a ſuo conceptu formali, & quidditativo. Aliæ ultimæ differentiæ explicationes ſolent adduci, adeò confuſæ, ut vix percipi poſſint, quapropter illas ommittimus;& quia ex dictis haud difficulter impugnantur.

QUÆSTIO V.

An ens quidditativè in propriis paſſionibus includatur?

1 SUpponitur tanquam certum apud omnes, ens habere proprias paſſiones, alias incomplexas, ut ſunt unitas, veritas, bonitas; &c. alias complexas, ut ſunt diſtinctio, diviſio, &c. aliqua de unitate, diſtinctione, & diviſione propoſuimus in Logica tract. de univerſalibus: nunc autem alia, quæ reſtant de paſſionibus entis proponemus. Sed ut claritate poſſibili procedamus, & titulo quæſtionis aptius ſatisfacere poſſimus, in duas ſectiones quæſtionem dividere neceſſarium videtur; quarum ſit

SECTIO I.

In quo paſſiones entis conſiſtant, & quomodo ab ente, & inter ſe diſtinguantur?

1 DIcimus 1. unitas non conſiſtit formaliter in duplici negatione indiviſionis in ſe, & diviſionis à quolibet alio, ſed in aliqua poſitiva entitate. Hanc concluſionem tenent omnes Scotiſtæ cum Scoto in 2. d. 3. qu. 2. §. *Concedo igitur*, litt. D. & infra, & aliis in locis citat. à Maſtrio in Metaphyſica diſp. 5. qu. 4. in quibus diput. latè agit de paſſionibus entis, & ſolet probari pluribus rationibus ex Scoto deductis, ex qui

quibus aliquas aſſignabimus. Igitur

3 Probat. 1. omnis negatio præſertim repugnantiæ neceſſario convenit rei ratione alicuius entitatis poſitivæ: ſed negatio diviſionis in plura, quam præſefert ens ratione unitatis eſt negatio repugnantiæ: ergo convenit enti ratione alicuius entitatis poſitivæ; ſed hæc ratio poſitiva nequit eſſe ipſa ratio entis: erg. eſt alia ratio poſitiva enti ſuperaddita, in qua formaliter ſtet ratio unitatis. Minor ſubſumpta prob. quia præciſa ratio entis eſt tantum ratio eſſendi abſolutè, non tamen ratio eſſendi unum, vel plura, abſtrahit enim a ratione unius, vel plurium: ſed prædictæ negationes debet enti competere ratione alicuius, quod immediatè, & determinatè dicat rationem oppoſitam pluribus: hanc rationem dicit præciſè unitas: erg. non entitas poſitiva entis eſt ratio propter quam enti conveniunt prædictæ negationes, bene tamen alia entitas poſitiva enti ſuperaddita: hæc ratio nequit eſſe, niſi unitas: g. unitas dicit formaliter entitatem poſitivam enti ſuperadditam.

4 Prob. 2. quia unitas eſt ratio proxima fundandi relationes reales identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis: ſed negatio nequit eſſe ratio proxima fundandi prædictas relationes: ergo unitas non eſt formaliter negatio, ſed aliquid poſitivum. Probat. min. quia relationes dicunt entitates poſitivas; ſed nequeunt relationes majus eſſe habere, quam fundamentum illarum, a quo ſuum eſſe recipiunt: ergo nequit negatio eſſe ratio fundandi prædictas relationes; ac per conſeq. &c. Nihil alicuius momenti contra hoc obiici poteſt.

4 Dicimus 2. veritas entis conſiſtit non in aliqua entitate abſoluta, ſed in entitate reſpectiva, quæ explicatur per conformitatem entis ad intellectum, quatenus ens eſt cognoſcibile ab intellectu, ſeu identificabile intentionaliter cum illo. Hæc concluſio eſt communior inter

Sco-

Scotiſtas, eam tenet expreſsè Maſtr.cit. quæſt.6. art. 3. & ex parte Vulp.tom.1.par.1.diſp. 10.art. 1.cit.Scotum pluribus in locis præcipuè in 1. d. 3.qu. 3. ſub litt B. & in 4 diſt. 49. qu.4 ſub lit.I. Prob breviter; quia veritas cognitionis explicatur per conformitatem cognitionis ad rem; g. veritas rei debet explicari per conformitatem rei ad cognitionem. Conſeq. videtur tenere, nam veritas, ut ſic dicitur univocè de veritate rei, & cognitionis; g. veritas rei debet explicari per conceptum reſpectivum conformitatis, ſicut explicatur veritas cognitionis. Et poteſt confirmari, tum quia intellectus dicitur verus formaliter, quando rem intelligit, ſicut eſt à parte rei; g. res dicitur vera formaliter, eo quod intelligitur, ſeu eſt apta intelligi eo modo, quo ſe habet a parte rei. Tum quia ideo ens rationis non dicitur verum ens, quia per cognitionem, qua fit non intelligitur aliquid, ſicuti eſt; g. ens reale ideo dicitur formaliter ens verum, quia eſt intelligibile ſicuti eſt.

5 Ubi advertendum eſt cum Maſt. & Vulp. citat. quod reſpectus conformitatis, in quo conſiſtit formaliter veritas non eſt prædicamentalis, & actualis, ſed tantum tranſcendentalis, & potentialis; ſolum enim quando actualiter terminat ens cognitionem dicitur actualis, & prædicamentalis reſpectus, modo dicto in Logica loquendo de relationibus tertii generis; aptitudo autem ad fundandum talem actualem reſpectum conformitatis eſt ratio formalis veritatis, & eſt reſpectus tranſcendentalis; ſicuti cum dicimus potentiam receptivam materiæ primæ dicere reſpectum ad formas; qui reſpectus eſt tranſcendentalis, & aptitudinalis, fit tamen actualis, quando actualiter recipit formas; quod benè nota, ut aliqua argumenta ſolvas.

6 Dicimus 3. bonitas, quæ eſt paſſio entis conſiſtit formaliter in reſpectu appetibilitatis,

vel

vel propter ſe, vel propter aliud. Hanc concluſionem tenet Vulpes t.1. p.1. diſp. 11. art.1. Pro cujus intelligentia notare oportet ex Scoto in 4. diſt. 49. q. 2. ſub lit. X. quod bonitas naturalis (non loquimur de bonitate morali, & meritoria) eſt duplex: altera primaria, quæ eſt ipſamet quidditas, & eſſentia rei, quælibet enim res eſſentialiter habet ſuam perfectionem, & integritatem, per quas bonitas primaria explicatur. Sed ut benè advertit Vulpes cit. hæc primaria bonitas adhuc poteſt dupliciter conſiderari. Primò, fundamentaliter; & in hoc ſenſu dicitur bonitas quidditativa, & eſt ipſamet rei quidditas. Secundò formaliter: & in hoc ſenſu dicit modum intrinſecum ipſius quidditativæ bonitatis. In primo ſenſu intelligitur Scotus, quando in 1. diſt. 1. quæſt. 2. lit. K. dicit, quod perfectio, ſeu bonitas formalis eſt entitas quidditativa. In ſecundo verò ſenſu intelligitur Scotus, quando aliquibus in locis dicit, quod bonitas primaria entis, quæ dicitur bonitas eſſentialis, eſt integritas, & perfectio entis in ſe, hæc bonitas, ut ex ſe patet non dicitur paſſio, ſeu proprietas entis. Altera bonitas eſt ſecundaria, & hæc explicatur per aptitudinalem convenientiam in ordine ad appetitum, quem poteſt movere: & ratione iſtius bonitatis quælibet res dicitur appetibilis, vel per modum finis, vel per modum medii conducentis ad aliquem finem, in hoc ſenſu dicitur bonitas affectio entis, & ſic dicit proprietatem bonitatis quidditativæ; eſt enim delectabilitas, ſeu appetibilitas in ordine ad potentiam delectantem, ſeu appetentem.

7 Nunc facilè prob. concl. à ſimili de concluſione præcedenti; eadem enim videtur eſſe ratio, & deinde, quia non facilè aptior explicatio bonitatis, quæ eſt proprietas, & propria paſſio entis, aſſignari poteſt. Eſt etiam notandum, ut pro concluſione antec. notabamus, quod

reſ-

reſpectus appetibilitatis, quem importat hæc bonitas, non eſt prædicamentalis, & actualis, ſed tranſcendentalis, & aptitudinalis; quando autem res actualiter appetitur, fit actualis, & prædicamentalis talis reſpectus, modo dicto in Logica loquendo de relationibus tertii generis. Adverte tamen, ne aliqua oriatur æquivocatio, quod quando dicimus, quod reſpectus, in quibus formaliter conſiſtunt veritas, & bonitas non ſunt actuales, ſed aptitudinales, non intendimus, quod non detur actualiter aliquis reſpectus, nam datur de facto ipſa aptitudo, quæ eſt reſpectus actualis tranſcendentalis; ſed ſolum intendimus, quod non ſit actu reſpectus prædicamentalis, ſed tantum aptitudinaliter, quatenus ſcilicet eſt fundamentum, ut inter rem, & potentiam reſultet actualis reſpectus prædicamentalis pertinens ad tertium genus relationis.

8 Pro ſecunda parte ſectionis notandum eſt conſequenter ad dictas qq. antec. cum Maſtr. ſæpè cit. diſp. 9. q. 1. num. 9. & Vulp. diſput. 10. artic. 1. quod ſicut ens accipitur, vel tranſcendentaliter pro conceptu communi entis præciſo à ſuis inferioribus, qui conceptus non dicit ex natura rei aliquam formalitatem præciſam, ſed eſt conceptus imperfectus alicujus realitatis; vel prædicamentaliter pro quocumque ente alicujus generis determinati, ut pro ſubſtantia, quantitate, &c. ita ſimiliter paſſiones entis, vel accipiuntur tranſcendentaliter, & prout ſunt proprietates entis tranſcendentaliter ſumpti, & in hoc ſenſu non dicunt perfectam realitatem ex natura rei præciſam, & verè emanantem à ſuo ſubiecto, ſed ſicut ſubjectum illarum dicit in re plures realitates, quæ natæ ſunt concipi ab intellectu noſtro imperfectè, ita quælibet proprietas entis, ut ſic dicit in re plures realitates in re fluentes à ſuis ſubiectis, quatenus imperfectè, & inadæquatè à noſtro intellectu concipi poſſunt; cujus ratio eſt, quia nequeunt paſ-

ſiones

ſiones eſſe majoris entitatis, quam ipſarum ſubjectum; ſubjectum, ſcilicet, ens in communi non dicit ex natura rei perfectam realitatem; g. neque paſſiones illius. Vel accipiuntur prædicamentaliter, ſeu ut ſunt paſſiones, & proprietates cujuslibet entis prædicamentalis, & ut ſic dicunt perfectas realitates à ſuis ſubjectis verè per metaphyſicam reſultantiam emanantes. Hoc notato.

9 Dicimus 4. in ordine; paſſiones, ſeu proprietates entis prędicamentalis non diſtinguuntur realiter, ab eo, diſtinguuntur tamen formaliter ex natura rei. Hæc concluſio eſt omnium Scotiſtarum, & patet quoad utramque partem ex dictis in libris de anima circa diſtinctionem ſuarum potentiarum, eadem enim eſt ratio hic & ibi, videantur ibi dicta, ne iterùm ſine neceſſitate aliqua repetantur. Ex quo deducitur, quod prædictæ proprietates inter ſe non diſtinguuntur realiter, nam quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe; diſtinguuntur tamen formaliter ex natura rei propter rationes diſtinctionis cujuslibet illarum à ſuo ſubjecto, in hoc enim nulla eſt differentia.

10 Dicimus 5. paſſiones, & proprietates entis tranſcendẽtalis non diſtinguuntur ex natura rei aliquomodo ab illo. Hæc concluſio, licet in terminis non ab omnibus proponatur, deducitur tamen ex Maſtr. & Vulp. cit. & eſt conſequens ad ſuperius dicta. Prob. breviter; quia illa, quæ ex natura rei non dicunt aliquam realitatem, nequeunt ex natura rei aliquomodo diſtingui: ſed juxta ſuperius dicta ens tranſcendentaliter ſumptum non dicit ex natura rei aliquam realitatem, ſed tantum imperfectum conceptum realitatis, neque ſimiliter paſſiones entis tranſcendentaliter ſumptæ realitatem ex natura rei important: ergo nullatenus ex natura rei diſtinguuntur ab ente. Neque ex hoc inferas, quod ex natura rei prædictæ paſſiones

ſunt

ſunt idem formaliter cum ente; nam quæ ex natura rei nullam entitatem, ſeu realitatem dicunt, neque diſtincta, neque idem poſſunt eſſe ex natura rei.

11 Dicimus 6. paſſiones, ſeu proprietates entis tranſcendentaliter ſumpti diſtinguuntur formaliter in conceptu, & fundamentaliter ex natura rei. Hæc concluſio etiam deducitur ex authoribus cit. pro concl. antec. & quoad primam partem patebit ſect. ſequenti, ubi oſtendemus, prædictas paſſiones non includere quidditativè, ſeu in ſuo conceptu formali rationem entis, in hoc enim conſiſtit formalis diſtinctio in conceptu.

12 Quoad ſecundam verò partem prob. quia ſicut intellectus noſter propter ſuam imperfectionem deſumit fundamentum ex rebus ad abſtrahendam unico conceptu rationem communem, & tranſcendentalem entis, ita deſumit fundamentum ex rebus ad abſtrahendum unico conceptu rationem communem, & tranſcendentalem cujuslibet paſſionis, g ut prædicti conceptus inter ſe formaliter diſtinguantur datur in rebus aliquod fundamẽtum reſpectu intellectus imperfectè concipientis; Antec. patet, quia fundamentnm ad prædictum conceptum entis ſunt realitates imperfectè conceptibiles à noſtro intellectu; ſed etiam dantur realitates imperfectè à noſtro intellectu conceptibiles in conceptu paſſionis entis; g. ſicut ad unum, etiam ad aliud datur fundamentum in re.

13 Si autem dubites à quibus realitatibus abſtrahantur prædictæ paſſiones? facile reſp. quod ſicut conceptus entis tranſcendentaliter ſumptus abſtrahitur ab entibus in particulari, ita conceptus paſſionum tranſcendentaliter ſumpti abſtrahuntur à proprietatibus entium in particulari, v g. ſicut abſtrahitur conceptus entis à realitatibus Dei, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidentis, imperfectè illas concipiendo: ita con-

conceptus tranſcendentalis unitatis abſtrahitur ab omnibus unitatibus, quæ ſunt paſſiones entium in particulari, realitates perfectas illarum quas præſeferuut imperfectè concipiendo; idem dicendum eſt de aliis paſſionibus entis debito ordine, & proportione ſervatis.

14 Ubi eſt maximè advertendum, quod prædictæ paſſiones entis tranſcendentaliter ſumpti dicuntur reales, non quia dicant veras realitates ex natura rei, ſed quia verè concipitur, quod eſt à parte rei, licet inadæquatè, nam abſtrahentium non eſt mendacium; & ſic diſtinguuntur à paſſionibus entis rationis, ſicut etiam ens reale in conceptu diſtinguitur ab ente rationis, in ente enim rationis, & paſſionibus illius, ut in Logica ſuo loco diximus, cognoſcitur, quod non eſt, ſicut ſi eſſet. Videantur quæ diximus quæſt. 2. hujus diſput. à num. 17. uſque ad 22. præcipuè num. 20. Ex hucuſque dictis ſequitur, quod paſſiones entis tranſcendentaliter ſumptæ non diſtinguuntur, neque ſunt idem ex natura rei formaliter, diſtinguuntur tamen ex natura rei fundamentaliter, & formaliter in conceptu: eadem enim eſt ratio de illis inter ſe comparatis ac comparatis cum ſuo ſubiecto. Cum diſtinctione harum concluſionum facilè conciliantur aliquæ authoritates Scoti. Qui plus deſideret, conſulat Maſtr. citat. qui latiſſimè de proprietatibus entis tam in communi, quam in particulari ſermonem inſtituit.

SECTIO II.

In qua reſolvitur quæſtio:

15 Dicimus 1. paſſiones entis tranſcendentaliter ſumpti non includunt quidditative, ſeu in ſuo conceptu formali *ens quid*. Hæc concluſio indiſtinctè loquendo de paſſio-

 ni-

nibus eſt omnium Scotiſtarum cum Scoto citat. quæſt. antec. n. 16. ubi eam tenet expreſsè. Prob; rationibus illius. Prima eſt; ſubjectum, ut tenet Philoſ. 7. Met. 17 & 19. ponitur, ut additum in definitione paſſionis: ſed quod ponitur, ut additum in definitione alicujus, non eſt de eſſentia illius: g. ens non eſt de eſſentia ſuæ paſſionis. Min. patet; quia quod ponitur, ut additum in definitione præſupponit quidditatem, & eſſentiam illius, in cujus definitione, ut additum ponitur. Aliis rationibus deſumptis ab authoritate, ſolet probari concluſio, ut videre eſt apud ipſum Scotum, & illius Expoſitores, præcipue Lichet. & Maſtr. quapropter alias Scoti adducemus rationes, quarum

16 Secunda eſt: Ens adæquate dividitur in increatum, & in decem genera, tamquam in ea; de quibus quidditative prædicatur: ſed paſſiones tranſcendentales entis, neque ſunt ens increatum, neque aliquod ex decem generibus: g. ens non prædicatur de illis quidditative. Maj. fundatur in eo quod, nihil prædicatur quidditative, ſeu quod idem eſt, per modum ſuperioris, niſi de illis, quæ reſpectu illius ſe habent per modum inferiorum; ſed ſolum ens increatum, & decem genera ſe habent per modum inferiorum reſpectu entis tranſcendentaliter ſumptum, non autem paſſiones illius, cùm hæ convertantur cum ente, ſuperius autem, & inferius non convertuntur, valet enim: *Eſt ens*, g. *unum*; & è contra; eſt *unum*: g. *ens*, non autem valet: *Eſt ens*; g. *increatum, vel aliquod ex decem generibus*, licet valeat; *Eſt ens increatum, ſeu aliquod ex decem generibus*; g. *eſt ens*, g. nullatenus ens quidditative prædicatur de propriis paſſionibus tranſcendentaliter ſumptis; ſeu quod idem eſt, prædictæ paſſiones non includunt formaliter, & quidditative ens.

17 Ne autem aliqua oriatur æquivocatio, notandum eſt, quod quando Scotus dicit, ens

adæ-

adæquate dividi in increatum, & in decem genera; non debet intelligi, ita ut ſolum quidditative prædicetur de decem generibus, ut nomen generis ſonat: alias ſibi ipſi contradiceret, cum dicat, ut patet ex dictis q. antec. ens de aliquibus differentiis generum prædicari; debet enim intelligi, ita ut non prædicetur quidditative de illis, quæ cum illo convertuntur, ſed tantum de illis, quæ ſe habent per modum inferiorum reſpectu illius, in hoc fundatur Scoti ratio, & certum eſt, non ſolum decem genera, ut nomen generis ſonat, ſed etiam differentias non ultimas ordine reſolutionis, & alia infra dicenda, ſe habere per modum inferiorum reſpectu entis tranſcendentaliter ſumpti.

18 Tertia ratio eſt, ſi paſſiones entis includunt eſſentialiter, & quidditative ens; g. includunt aliquid aliud præter ens: patet conſeq. nam alias idem eſſet paſſio ſui ipſius. Tunc de illo alio poteſt inquiri, an includat eſſentialiter ens, vel non? ſi non includit, illud erit paſſio entis: ſeu idem dicendum eſt de paſſione, eadem enim videtur eſſe ratio, ſi includat: g. includit aliud præter ens, de illo idem inquiri poteſt, & ſic in infinitum, quod eſt abſurdum, vel ſiſtendum eſt in aliquo quod non includat ens eſſentialiter, & quidditative, & illud erit paſſio entis.

19 Plura obiici ſolent contra noſtram concluſionem, ex quibus aliqua coincidunt cum objectis contra ultimas differentias quæſt antec. Sed peculiariter poteſt argui. 1. nulla datur prædicatio in abſtracto, quæ non ſit quidditativa: ſed de unitate, veritate, & bonitate in abſtracto ſumptis prædicatur ens; g. ens quidditative includitur in illis. Poteſt reſponderi primo, neg. min. & hæc reſponſio videtur juxta dicta in Logica Tract. de univerſalibus diſp. 3. quæſt, 3. Secundo reſp. neg. maj. quia in abſtracto non ſolum poteſt dari prædicatio

quidditativa, ſeu quod idem eſt, prædicatio inter illa, quæ ſe formaliter includunt, ſed etiam poteſt dari prædicatio identica, ſeu quod idem eſt, prædicatio inter illa, quæ licet non ſe includant formaliter, includunt ſe realiter, ſeu identicè; hoc modo prædicantur in Divinis, quæ ſe formaliter non includunt, & etiam tranſcendentia, cum hoc tamen diſcrimine, quod ratio talis prædicationis in Divinis deſumitur à ſumma identitate reali proveniente ab infinitate actuali unius, vel amborum extremorum, ut etiam dictum eſt loco cit. in Logica: at verò ratio talis predicationis in tranſcendentibus deſumitur ab infinitate permiſſiva, tranſcendentia enìm ſunt indifferentia ad finitudinem; & infinitudinem: vel deſumitur à nimia illorum communitate, nam ens quidditativè, vel identicè, ſeu denominativè de omnibus, quomodocumque ſumptis, dicitur, ſeu prædicatur juxta dicta quæſt. antecedenti.

20 Arg. 2. ratio entis quidditativè nihil aliud dicit, quam aliquid eſſe extra nihil; ſed paſſiones entis ſunt extra nihil; g. includunt quidditativè rationem entis. Hoc argumentum etiam militare videtur contra ultimas differentias, necnon contra modos intrinſecos: ſed pro omnibus, reſpond. diſting. mai. ratio entis quidditativè nihil aliud dicit, quam aliquid eſſe extra nihil ex ſe, & directè, concedo; indirectè, & per aliud, nego. Similiter diſting. min. paſſiones entis ſunt extra nihil ex ſe, & directè, nego; indirectè, & per aliud, hoc eſt ratione illius cum quo identificantur, conced. & neg. conſeq.

21 Replic. ratio entis ſtat in eo, quod aliquid ſit extra nihil ſive directe, ſive indirectc, ſive ex ſe, ſive per aliud, ſive formaliter, ſive identice ſolum; ſed paſſiones entis aliquo ex his modis ſunt extra nihil; ergo ſunt entia formaliter, & quidditativè. Qui ſic replicant maximum patium-

tiuntur æquivocationem, & in terminis ſe implicant, etenim facile reſp. quod licet major ſit, bene perpendatur, ſit vera; & ſimiliter ſit vera min. falſa tamen eſt conſeq. ſic enim debebat inferri: g. *Paſſiones entis ſunt aliquomodo entia*., ut extrema præmiſſarum in conſeq. unirentur, & hoc modo illam concederemus: non enim negamus abſolutè, paſſiones entis eſſe entia, ſed ſolũ negamus, eſſe entia quidditative, ex ſe, directe, & formaliter, cum quo componitur, quod ſint entia aliquomodo, ſcilicet, identicè, indirecte, & per aliud, modo nuper explicato, & etiam loquendo de ultimis differentiis; quapropter ibi diximus cum Scoto, ens eſſe univocum prædicatum reſpectu omnium per ſe intelligibilium, etiam ultimarum differentiarum, & paſſionum illius; quia eadem eſt ratio, non tamen univoce prædicari de omnibus: nam de aliquibus prædicatur quidditative, & formaliter, de aliis verò tantum identice, ſeu denominative.

22 Dicimus 2. paſſiones entis prædicamentaliter ſumpti, quæ dicunt perfectam realitatem ex natura rei, & ab illo metaphyſice emanant, ſeu pullulant, non includunt formaliter, & quidditative illud ens à quo emanant. Hæc concluſio ab omnibus recipitur, & probatur, vel ex diſtintione formali ex natura rei illarum à ſuo ſubiecto in ſententia Scotiſtarum: vel ex diſtinctione virtuali, ſeu præciſiva obiectiva in aliorum ſententia, & deinde ex dictis pro concluſione antec. & pro differentiis, quæ dicunt realitatem perfectam quæſt. antec. debita proportione ſervata.

23 Dicimus 3. paſſiones entis prædicamentaliter ſumpti includunt formaliter, & quidditativè rationem communem entis *quid* tranſcendentaliter ſumpti. Hæc concluſio, licet in terminis non communiter proponatur, videtur conſequens ad dicta de differentiis dicentibus perfectam realitatem, ſeu non ultimis

ordine reſolutionis; eadem enim videtur eſſe ratio; neque aliquid contra has concluſiones videtur obiici poſſe, quod ex hucuſque dictis non facile ſolvatur.

QUÆSTIO VI.

In qua reſolvuntur aliqua dubia ad prædictorum intelligentiam conducentia.

1 DUbitabis 1. an ultimæ differentiæ, quas diximus non includere quidditativè ens, verè poſſint dici *ens quale*? Hoc dubium fusè ab aliquibus Scotiſtis controvertitur, præcipuè a Maſtrio ſæpè cit. diſp. 2. quæſt. 8. ſed ut communiter ab Scotiſtis circumfertur videtur ad quæſtionem de nomine reduci, nam ut diximus quæſt. 4. in notabilibus ex Scoto deducitur denominatio entis *quale*; unde dicimus, quod ſi per ens *quale* intelligatur aliqua ratio entis, quæ formaliter, & quidditativè includatur in ultimis differentiis; hoc non debet admitti; quia vel ultimæ differentiæ includunt præcisè illam rationem entis *quale*, vel aliquid aliud ſuperadditum? Si præcisè includunt rationem entis *quale*, nequeunt ultimæ differentiæ eſſe rationes differendi adhuc; ut ab intellectu concipiuntur, nam ſolum conciperet intellectus rationem entis *quale* concipiendo aliquam ultimam differentiam; & ſimiliter concipiendo aliam ſolum rationem entis *quale* conciperet; & ratio entis *quale* præcisè ſemel, & iterum concepta nullatenus dicit rationem differendi; imò dicit rationem conveniendi, ut ex ſe patet. Si includunt aliquid ſuperadditum rationi entis *quale*, de illo idem inquiram, & ſic in infinitum; vel ſiſtendum eſt in aliquo conceptu; quod nullatenus rationem entis *quale* formaliter, & quidditativè includat.

2 Si autem per ens *quale* non intelligatur ali-

qua

qua ratio entis, quæ formaliter, & quidditative includatur in ultimis differentiis, ſed tantum intelligatur aliquid qualificans id, quod formaliter, & quidditative eſt ens; hoc modo poteſt, imò debet admitti, ultimas differentias vere dici ens *quale*, & in hoc ſenſu intelligitur communiter ab Scotiſtis; ſicuti rationalitas, & irrationalitas dicuntur in *quale* animal (liceat ſic loqui) non quia formaliter, & quidditative aliquam rationem animalis aliquomodo includant, ſed quia ſunt aliquid qualificans animal. Unde ſicut a rationalitate, & irrationalitate nequit abſtrahi aliquis conceptus entitative illis communis qualificandi animal, quia quælibet ſecundum totam ſuam realitatem diverſimodè illud qualificat; quippè ſecundum totam ſuam realitatem ita conſtituit aliquod inferius animalis, ut illud a quolibet alio diſtinguat; & ſolum poteſt abſtrahi conceptus numericus per ſimilitudinem; nam ſicut ſe habet rationalitas in qualificando animal, & in conſtituendo hominem, & illum à bruto diſtinguendo: ita ſe habet irrationalitas in qualificando animal, & in conſtituendo brutum, & illud ab homine diſtinguendo; ita ſimiliter nequit abſtrahi ab ultimis differentiis aliquis conceptus communis qualificandi ens, nam quælibet ſecundum totum ſuum conceptum diverſimodè illud qualificat; quippe ſecundum totum ſuum conceptum ita conſtituit aliquod inferius entis, ut illud a quolibet alio diſtinguat; & ſolum poteſt abſtrahi conceptus numericus per ſimilitudinem; nam ſicut ſe habet aliqua ultima differentia in qualificando ens, & in conſtituendè aliquod inferius entis, & illud a quolibet alio diſtinguendo, ita ſe habet quælibet alia ultima differentia in his muneribus exercendis; benè enim poteſt ſtare convenientia in muneribus cum omnimoda diſconvenientia in entitate, ſeu in conceptu entitativo, quæ ſi benè ob-

ſerves, plura argumenta, quæ plus apparentiæ, quam realitatis habent, haud difficulter ſolves. Idem ſuo modo dicendum eſt de propriis paſſionibus entis.

4 Dubitabis 2. Quomodo veniat intelligenda diviſio entis in ens *quid*, & ens *quale*, quam adduximus in notab. quæſtionis 4. Reſp. ſub diſtinctione, ſi enim loquamur de diviſione in ens *quid*, & ens *quale* penes conceptus imperfectos, & inadæquatos non eſt proprie, & rigoroſe diviſio, ſed tantum quædam diverſæ acceptiones entis juxta noſtrum imperfectum modum concipiendi, nam in hoc ſenſu tam ens *quid*, quam ens *quale*, ſunt conceptus ſimpliciter ſimplices; & irreſolubiles in plures conceptus, & ſic adhuc in conceptu ultimo diverſa, licet propter vocum penuriam, duplici voce quemlibet explicemus. Hoc ſatis patet ex dictis in tota diſputatione.

5 Si verò loquamur de diviſione in ens *quid*, & ens *quale* penes perfectas realitates, adhuc eſt diſtinguendum, nam vel ſumitur pro diviſo ens *quid*, quod immediatè qualificatur per ens *quale*, & ut ſic idem venit dicendum, ac de diviſione antecedenti, proportione debita ſervata, nam animalitas, & rationalitas v. g. quæ ſe habet ut ens *quid* & ens *quale* in nulla realitate, ſeu conceptu animalis conveniunt, ita ut aliqua ratio animalis ſit eis communis, & dividatur in animal in *quid*, & in animal in *quale*, ut ex ſe conſtat. Vel ſumitur pro diviſo conceptus tranſcendentalis entis, & ut ſic talis diviſio eſt univoca modo quo ens dicitur univocum Deo, & creaturis, ſubſtantiæ, & accidenti: hoc patet, quia ex dictis q. 4. in differentiis dicentibus perfectam realitatem includitur formaliter, & quidditative ens tranſcendentaliter ſumptum, & ſic prædicatur ens univoce de illis, ſicut de quolibet alio inferiori: erg. animalitas, quæ ſe habet per modum entis

quid,

quid, & rationalitas, quæ ſe habet per modum entis *quale* univocè, & quidditativè conveniunt in conceptu entis *quid* tranſcendentaliter ſumpti, & conſequenter diviſio in ens *quid*, & ens *quale* in hoc ſenſu eſt diviſio univoca. Idem dices de quibuſcumque differentiis, & propriis paſſionibus entis prædicamentalis, quæ perfectam realitatem dicunt.

6 Dubitabis 3. an ens tranſcendentaliter ſumptum dicatur genus reſpectu Dei, & creaturæ? Reſpond. negativè. Sic communiter reſpondent omnes, tam Thomiſtæ, quàm Scotiſtæ, excepto Pontio, qui quoad hoc valde ab omnium Scotiſtarum via declinat, & fortaſſis à via Doctoris Subtilis, qui in 1. diſt. 3. quæſt. 3. & diſt. 8. q. 3. firmiter tenet, neque Deum eſſe in genere; neque aliquid dictum de Deo in *quid*, ut eſt ratio entis tranſcendentaliter ſumpti poſſe genus denominari. In aſſignanda autem ratione hujus reſolutionis variant Authores; Tomiſtæ conſequenter ad ſua fundamenta aſſignant pro ratione analogiam entis, inquiunt enim genus debere eſſe univocum, ens autem propter ſuam tranſcendentiam ratione cujus includitur formaliter, & quidditativè in omnibus per ſe intelligibilibus, etiam in ultimis differentiis ſecundum proprios conceptus, non eſt univocum: g. neque genus; ſed hæc ratio impugnata manet q. 3. & 4. hujus diſp.

7 Scotiſtæ verò communiter reſpondent, ens non eſſe genus reſpectu Dei, & creaturæ, quia non contrahitur ad Deum, & creaturas per veras differentias, ſed per modos intrinſecos. Hæc ratio, ſi bene intelligatur eſt ſufficiens; nam id, quod habet rationem generis debet dicere perfectam realitatem ex natura rei perfectè præciſam, & ſic verè ex natura rei indifferentem, & contrahibilem, & in potentia ad conſtituendam compoſitionem metaphyſicam cum differentia actuante, contrahente, & deter-

minante; ſed ens, quod contrahitur per modos intrinſecos non dicit ex natura rei perfectam realitatem indifferentem, contrahibilem, & in potentia ad conſtituendam compoſitionem metaphyſicam cum rationibus actuantibus, contrahentibus, & determinantibus, ut ſatis conſtat ex dictis q. 2. aliàs daretur in Deo vera compoſitio metaphyſica, quæ propter imperfectionem potentialitatis, quam includit, eſt à Deo penitus releganda; erg. ens, quod contrahitur per modos intrinſcos ad Deum, & creaturam, nequit rationem generis reſpectu illorum habere.

8 Neque valet, quod aliqui cum Pontio dicunt, ſcilicet, quòd licet ens quoad noſtrum modum concipiendi per modos intrinſecos contrahatur, contrahitur tamen ex ſe per aliquas differentias nobis ignotas; unde licet quoad noſtrum modum concipiendi rationem generis non habeat, habet tamen ex ſe rationem generis. Hoc non valet, quia hoc eſt concedere rationem entis ex ſe dicere realitatem perfectam ex natura rei præciſam, potentialem, & contrahibilem per veras differentias: ſed hoc eſt ponere in Deo ex ſe (licet à nobis ſic non concipiatur) ex natura rei compoſitionem metaphyſicam; g. eſt ponere in Deo imperfectionem potentialitatis, quæ in compoſitione metaphyſica in re includitur; hæc non eſt admittenda; g. neque quod ens contrahatur ad Deum, & creaturam per differentias nobis ignotas: ac per conſequens, neque ens eſſe genus.

9 Plenè autem deſumitur ratio negandi enti rationem generis reſpectu ſuorum inferiorum ex eo quod ens includitur quidditativè in aliquibus differentiis inferiorum, ſeu ut melius dicatur in omnibus differentiis propriis, quæ ſunt illæ, quæ perfectam realitatem dicunt, ut patet ex dictis quæſt. 4. Hanc rationem adducit Scotus in 1. d. 3. q. 3. ſæpè cit. nam §. *Contra*

tra iſtam, *verſ. Ad primum*, litt. N. habet hæc verba, explicando quemdam locum Ariſtot. *Removet enim ab ente rationem generis non propter àqui vocationem..... ſed removet rationem generis ab ente propter nimiam communitatem, quia videlicet prædicatur per ſe primo modo de differentia aliqua, & per hoc poteſt concludi, quod ens non ſit genus*. Et ibidem, *verſ. Ad videndum*, lit. O. habet hæc: *Et ex hoc, quod talis differentia eſt ens in quid, ſequitur, quòd ens non eſt genus propter nimiam communitam entis, nullum enim genus dicitur de aliqua differentia inferiori in quid, nec de illa, qua ſumitur à forma, nec de illa, quæ ſumitur ab ultima realitate formæ, ſicut patebit diſt. 8. quod ſemper illud à quo ſumitur conceptus generis ſecundum ſe eſt potentiale ad illam realitatem à qua ſumitur conceptus differentiæ*.

10 Ex quo patet ratio propter quam ens nequeat contrahi per veras differentias, nam quod contrahitur per veras differentias, debet eſſe totaliter in potentia ad omnes differentias inferiorum; ſed quod eſſentialiter, & quidditativè includitur in differentiis nequit eſſe in potentia reſpectu illarum: erg. ens quod quidditativè includitur in differentiis dicentibus perfectam realitatem, & quæ propriè ſunt differentiæ, non eſt in potentia ad alias; erg. neque poteſt per illas contrahi, & conſequenter neque rationem generis induere reſepectu ſuorum inferiorum. Hæc ſi bene percipiantur ſufficienter oſtendunt, ens, licet ſit univocum, & univocè dicatur de Deo, & creaturis; non eſſe genus reſpectu illorum.

QUÆSTIO VII.

Quomodo dividatur ens?

1 PLures ſolent aſſignari entis diviſiones, nam relicta diviſione entis in *ens quid*, & ens *quale*, ſeu in ens completum, & incompletum, quia de illa jam ſufficienter dictum eſt; ſolet dividi in ens reale, & ens rationis: in ens negativum, & poſitivum, in ens poſſibile & impoſſibile, quæ diviſiones nō per ſe, ſed per accidens ad metaphycam ſpectant; cùm metaphyſica per ſe ſolum de ente reali poſitivo ſermonem inſtituat. Aliter dividitur ens in neceſſarium, & contingens; in per ſe, & per accidens, in à ſe, & ab alivo: in ens in potentia obiectiva, & in actu entitativo; ſeu in ens poſſibile, & actu exiſtens, quæ diviſiones ex ipſa vocum intelligentia percipiuntur; quapropter in illis non immoramur. Deinde ens reale dividitur in quantum & non quantum. Quantum dicitur, quòd in ſua ratione formali aliquam perfectionem importat. Non quantum dicitur, quod nullam perfectionem in ſua entitate includit. Hæc ab Scotiſtis dicitur prima diviſio entis realis, de qua, ut in propio loco agitur in materia de Trinitate inquirendo, an relationes divine dicant formaliter perfectionem. Ens quantum dividitur in ens finitum, & in infinitum. Rurſus finitum in ſubſtantiam, & accidens. Poſtea accidens in abſolutum, & reſpectivum. Deinde reſpectivum in intrinſecus adveniens, & extrinſecus adveniens. Adhuc extrinſecus adveniens in ſex ultima prædicamenta. Et denique qodlibet ex decem generibus in ſuas ſpecies vel ſubalternas, vel infimas, ut ſuis propriis locis dictum eſt in Logica. Ex his omnibus præcipuè huc veniunt examinanda, quæ in ſequentibus ſectionibus proponemus. Sit g.

SECTIO I.

Qualis ſit diviſio entis in ens rale, & rationis?

2 Circa hanc difficultatem non deſunt qui affirment ens eſſe univocum enti reali, & rationis; communior autem eſt oppoſita ſententia in utraque Schola tenens, ens eſſe æquivocum enti reali, & rationis, non tamen purè æquivocum, ſed æquivocum analogum, pro qua ſententia inter alios poſſunt videri noſtri Maſtr. ſæpe cit. q. 9. art. 2. & Meron. diſput. de prædicamentis quæſt. 3. à §. 1. licet hic Author non judicet, omninò improbabile, ens eſſe univocum enti reali, & rationis, reſolvit tamen pro ſecunda ſententia. Quapropter diſputationis gratia cum illo.

3 Dicimus 1. benè poteſt defendi ens eſſe univocum enti reali, & rationis. Prob. illud dicitur univocum reſpectu aliquorum, quod convenit illis ſecundùm eandem rationem ſignificatam aliquo nomine: ſed ens convenit enti reali, & rationis ſecundùm eandem rationem ſignificatam nomine entis: g. ens eſt univocum reſpectu entis realis, & rationis. Min. in qua eſt difficultas prob. quia ratio ſignificata per nomen *ens*, ſolùm eſt, poſſe exiſtere, vel eſſe capax exiſtentiæ: ſed poſſe exiſtere, vel capacitas exiſtentiæ: tam convenit enti rationis, quam enti reali, licet propter ſpeciales conceptus diverſimodè conveniat illis; nam enti reali convenit independenter à conſideratione intellectus, & enti rationis dependenter ab intellectus conſideratione: g. ens convenit enti reali, & rationis ſecundùm eandem rationem ſignificatam nomine entis; ac per conſeq. eſt univocum reſpectu illorum.

4 Contra hanc concluſionem, quæ videtur

tur demonſtrari ratione poſita pro illa, plura ſolent ab aliquibus adduci, ex quibus præcipua proponemus, Arg. igitur 1. Nequit dari aliquis conceptus, qui non ſit formaliter ens reale, vel rationis: erg. non datur aliquis conceptus entis communis enti reali, & rationis. Conſeq. patet, quia conceptus communis, & univocus enti reali, & rationis, debet formaliter non eſſe ens reale, aut rationis, ſicuti, quia animal eſt commune univocum homini, & bruto, non eſt formaliter homo, aut brutum. Prob. anteced. quia talis conceptus vel eſſet talis rationis, quòd illi repugnaret realiter, & independenter à conſideratione intellectus exiſtere, & ut ſic eſſet ens rationis; vel eſſet talis rationis, quod illi non repugnaret realiter, & independenter à conſideratione intellectus exiſtere, & ut ſic eſſe ens reale: erg. nequit dari aliquis conceptus, qui non ſit formaliter ens reale, vel rationis.

5 Reſponderi poteſt neg. antec. & anteced. prob. in ſenſu in quo adducitur; itaque ille conceptus formaliter conſideratus eſſet talis naturæ, quòd illi neque repugnaret exiſtere realiter, & independenter à conſideratione intellectus, neque non repugnaret ſic exiſtere; ſed ſolùm importat capacitatem ad exiſtendum, ſive realiter, & independenter à conſideratione intellectus, ſive per rationem, ſeu dependenter ab intellectus conſideratione, ſive quod idem eſt, in ſuo conceptu formali non includit aliquid, propter quòd illi repugnet exiſtere realiter, ſeu illi repugnet non exiſtere realiter: ſicuti ſimiliter animal non includit in ſuo conceptu formali aliquid, propter quòd illi repugnet eſſe rationale, vel illi repugnet non eſſe rationale. Unde ſicut animal dicitur indifferens ad eſſe rationale, & irrationale, ſeu ad conjungi cum aliquo, ratione cujus repugnet illi eſſe rationale, vel irrationale, ita ens dicitur indifferens ad realiter exi-

exiſtere, & ad non exiſtere realiter, vel ad exiſtere non realiter, ſed per intellectum, ſeu ad conjungi cum aliquo ratione cujus repugnet illi exiſtere realiter, vel non exiſtere realiter, ſeu exiſtere non realiter, ſed per intellectum.

6. Aliis terminis poteſt reſponderi diſting. prob. antec. illud cui non repugnat realiter exiſtere à parte rei, eſt ens reale; ſi talis non repugnantia conveniat illi tantum per indifferentiam, nego; ſi conveniat illi per aliquid ſibi intrinſecum, concedo; unde neg. conſeq. verum enim eſt enti ut ſic non repugnare exiſtere realiter, ſed hæc non repugnantia non provenit enti per aliquid ſibi intrinſecum, oppoſitum non exiſtentiæ reali, ſeu exiſtentiæ per rationes, ſed ex eo quod eſt indifferens ad realiter exiſtere, & ad exiſtere per intellectum, ſicuti animali non repugnat eſſe rationale, non per aliquid ſibi intrinſecum oppoſitum non rationalitati, ſeu irrationalitati, ſed ex eo quòd eſt indifferens ad eſſe rationale, vel non rationale, ſeu irrationale. Unde patet argumentum non convincere propoſitum.

7 Deinde adhuc poteſt reſpond. quòd argumentum peccat per defectum, nam illa propoſitio: *Illi conceptui non repugnat exiſtere realiter*, licet ſit vera, eſt tamen defectuoſa; ſic enim eſſet completa: *Illi conceptui non repugnat exiſtere realiter nec repugnat non exiſtere realiter, ſeu exiſtere per intellectum*. Sicuti hæc propoſitio: *Animali non repugnat eſſe rationale*, licet ſit vera, eſt tamen defectuoſa, ſic enim eſt completa; *Animali non repugnat eſſe rationale, neque repugnat non eſſe rationale; ſeu eſſe irrationale*. Unde ſicut ex hac propoſitione non licet inferre; g. *Animal eſt rationale*, ita ex illa non licet inferre: g. *Ens exiſtit realiter, ſeu eſt ens reale*.

8 Arg. 2. nequit conceptus præſcindens ab ente

ente reali & rationis aliquomodo explicari; g. nequit dari talis conceptus, quidquid ſit de conſequentia, quam negat Maſtr. quia plura ſunt, vel dantur, quæ à nobis propter imperfectionem noſtri intellectus explicari nõ poſſunt; reſp. neg. antec. nam talis conceptus benè explicatur per id, quod eſt capax exiſtere, præſcindendo ab exiſtere realiter, vel per intellectum, ut conſtat ex ratione pro concluſione adducta.

9 Replic. quando dicitur aliquid eſſe capax exiſtentiæ, ſine aliquo addito, neceſſariò intelligitur de exiſtentia ſimpliciter, ſeu de exiſtentia reali? erg. nullus datur conceptus capacitatis exiſtentia præſcindens ab exiſtentia reali, & rationis, ac per conſeq. &c. Reſp. neg. antec. in hoc enim eſt controverſia; unde argumentum petit principium; licet enim in analogis analogum per ſe ſumptum ſtet, ſeu ſupponat pro famoſiori ſignificato, hoc tamen non contingit in univocis; cujus ratio eſt, quia analogum proprium non dicit conceptum communem, & præciſum ab analogatis; univocum verò dicit talem conceptum; unde patet, committi in argumento petitionem, & ſic nihil convincere, niſi alias talis conceptus communis impugnetur.

10 Arg. 3. Homo verus, & homo pictus in nullo conceptu univoco conveniunt; g. neque ens rationis, quod eſt ens fictum, & ens reale, quod eſt ens verum. Primò poteſt reſponderi, conceſ. antec. neg. conſ. diſparitatis ratio poteſt ſtare in hoc, quòd ex communi acceptione hoc nomen *homo* ſignificat *animal rationale*; ratio enĩ animalis rationalis nullatenus invenitur in homine picto: ens verò abſolutè, & præciſè ſumptum tantùm ſignificat capacitatem exiſtentiæ, quæ tam enti rationis, quàm enti reali convenit: licet diverſimodè propter ſuas peculiares rationes. Secundò reſp. Meron. quòd fortaſſis poſ-

poſſet negari antec. quia, inquit, fortaſſis homini vero, & picto poſſet eſſe quidam conceptus communis univocus determinabilis per differentiam viventis rationalis, & per negationem huiuſmodi vitæ; quid enim (inquit) obſtaret non video.

11 Reſp. 3. diſtinguendo conſeq. ens rationis, & ens reale; ſeu ens fictum, & ens verum, non conveniunt in aliquo conceptu univoco, ut talia ſunt, & inter ſe diſtincta, concedo; ut entia præciſè ſunt, & non conſiderata ut inter ſe diſtincta, nego. Quod etiam contingit in quibuſcumque, quæ in aliquo conceptu communi univoco conveniunt; homo enim, & brutum in ratione talium non conveniunt i aliquo univoco conceptu, benè tamen in ratione animalis præciſè ſumpta.

12 Licet præjacta concluſio diſputationis gratia ſuſtineri poſſit, ut plures AA. non parvi momenti autumant, tamen cum communi ſententia dicimus, ens non dicere conceptum univocum enti reali, & rationis, ſed eſſe æquivocum reſpectu illorum cum aliqua tamen analogia inter illa. Sic reſolvit Meron. citat. & Maſt. & Pontius inter Scotiſtas. Quod ſit æquivocum prob. quia alias non eſſet via ad adſtruendam æquivocationem inter aliqua, ut nomine communi ſignificantur: hoc non eſt dicendum: ergo. Mai. patet, quia quilibet poſſet dicere, hoc nomen *canis* ſignificare aliquam rationem communem univocè cani cæleſti, terreſtri, & marino, & hæc per ſuas differentias peculiares differre, & ſimiliter, hoc nomen *ſanum* ſignificare ſanitatem communem univocè animali, urinæ, & medicinæ, & hæc ſolum per peculiares rationes, quibus illis convenit, differre, quin ad oppoſitum adduci poſſet, ſicuti dicitur *ens* dicere rationem communem univocè enti reali, & rationis, & hæc differre per ſuas peculiares rationes: erg. ſi concederetur, ens eſſe univocum enti rea-

reali, & rationis præcluderetur via ad deſtruendam univocationem inter aliqua, ut aliquo nomine communi ſignificantur.

13 Deinde prob. ratione deducta ex Scoto in 1. diſtinct. 29. quæſt. unica, §. *Ad quæſtionem*, lit. A. quod eſt ſimpliciter tale, & quod eſt ſecundum quid tale, nequeunt univoce convenire in ratione tali; ſed ens reale eſt ens ſimpliciter, & ens rationis eſt ens ſecundum quid: erg. ens reale, & ens rationis nequeunt univocè convenire in ratione entis. Pro huius rationis intelligentia, & ut aliquibus reſponſionibus occurratur, notare oportet, quod hæc particula *Secundum quid* poteſt dupliciter accipi; vel ut eſt diminuens, vel ut eſt diſtrahens, ut eſt diſtrahens totaliter diſtrahit à ratione formæ, cui adjungitur, & ſic eſt cauſa æquivocationis, in hoc ſenſu homo pictus dicitur homo ſecundum quid, quia totaliter per illam particulam diſtrahitur à ratione hominis, etiam particula hoc modo ſumpta ſolet dici diminuens abſolutè, & ſecundum formam: ut eſt diminuens tantum minuit perfectionem formæ, ut ſic compatitur cum univocatione, in hoc ſenſu accidens dicitur ens ſecundum quid, non quia non ſit verè ens: ſed quia deficit a perfectione ſubſtantiæ, quæ dicitur ens ſimpliciter. Nunc ad intentum, quando Scotus appellat ens rationis, ens ſecundum quid, hæc particula accipitur in primo ſenſu, non in ſecundo: alias non rectè probaret, ens non eſſe univocum enti reali, & rationis.

14 Confirmatur hæc ratio, quando aliqua comparantur ad aliquod prædicatum, quod uni illorum ſimpliciter, & abſolutè competit, alteri verò ſolum competit, ut concipitur ad modum alterius, tale prædicatum nequit illis univoce convenire: ſed ens reale dicitur ens ſimpliciter, & abſolutè, & ens rationis ſolum dicitur ens, ut concipitur ad modum entis realis, neque

que aliud eſſe habet, nec habere poteſt: ergo prædicatum *ens*, nequit dici univocè de ente reali, & rationis. Conſequ. eſt legitima. Min. patet ex dictis in Logica loquendo de ente rationis. Major verò ex eo conſtat; quia ratio alicuius univocè pluribus communis omnibus illis debet convincere ſecundum ſe, non tamen uni illorum ratione alterius.

15 Ex hoc patet, ens eſſe æquivocum analogum reſpectu entis realis, & rationis; quippè ratio entis ſolum invenitur in ente rationis per quandam proportionem, & attributionem ad ens reale: in hoc conſiſtit proportionis analogia, ut omnes communiter tenent, & in aliis analogis proportionis exemplificari poteſt; ergo ens non eſt purè æquivocum, ſed æquivocum analogum reſpectu entis realis, & rationis. Advertit hic Maſtrius, quod licet inter ens reale, & ens rationis nulla detur in re proportio, aut ſimilitudo; quippe ens rationis nullam veram entitatem habet, in qua vera proportio, & ſimilitudo fundetur; datur tamen ex vi fictionis entis rationis, ſeu ex vi ſuæ fictæ entitatis, fundamentum, ut fingat intellectus ſimilitudinem, & proportionem inter ens reale, & rationis, quod ſufficit ad adſtruendam inter illa æquivocationem analogam. Advertit etiam Maſtri us, quod licet Scotus loco cit. expreſsè teneat, non dari aliquid commune univocè relationi reali, & rationis, & conſequenter neque enti reali, & rationis: tamen in reportatis in 1. diſt. 29. problematice videtur tenere utramque partem.

16 Hìc poteſt dubitari, an ens ſit univocum enti poſitivo, negativo, & privativo? Hæc dubitatio fruſtrà ab aliquibus latè proſequitur; quippe facilis eſt reſolutionis. Reſp. enim negativè. Reſolutio fundatur in eo, quod negatio, & privatio non ſunt entia, imò ſunt remotiones entis; ſed enti, & non enti nihil commune univocum dari poteſt: g.

17 Ne-

17 Neque obſtat, quod negationes, & privationes appellari ſoleant negativa, & entia privativa: quia hoc reducitur ad quæſtionem de nomine, non de re: omnes enim conveniunt, nihil eſſe, ſed propter inopiam, & indigentiam vocum entia negativa, & privativa dicuntur. Neque ſimiliter obſtat communis modus loquendi, quod, ſcilicet, dantur negationes, & privationes independenter à conſideratione intellectus: nam hoc non dicitur, eo quod negationes, & privationes aliquid ſint, ſed ſolùm ex eo quod non datur ens, cui immediate contradictorie opponuntur; contradictoria enim non verſantur inter ens, & ens, ſed inter ens, & non ens.

18 Ex quo deduces, quod ens neque dicitur nomen æquivocum reſpectu entis poſitivi, negationis, & privationis: quia nomen æquivocum ſignificat diverſas naturas in æquivocatis: negatio autem, & privatio, cum nullam entitatem habeant in ſe, nequeunt aliquo nomine, naturas aliquas ſignificante, ſignificari; niſi hoc, ut dictum eſt, ad quæſtionem de nomine reducatur.

SECTIO II.

An ens finitum ſit genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis?

19 Statuimus quæſt. antec. ens tranſcendentaliter ſumptum, licet univoce de Deo, & creaturis dicatur, non eſſe genus reſpectu illorum: nunc eſt alia difficultas, an, ſcilicet, ens reale finitum, quod in decem prædicamenta dividitur, & eſt inferius reſpectu entis tranſcendentaliter ſumpti, rationem generis habet reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis? Quæ difficultas licet ab aliquibus cum præcedenti con-

confundantur, valde tamen diverſa eſt ab illa, ut ex dicendis patebit.

20 Pro cuius intelligentia notandum eſt, quod, licet ens communiter dicatur tranſcendens; eò quod in aliquibus inferiorum differentiis includitur formaliter, & quidditativè, ut patet ex dictis quæſt. 4. tamen hæc non debet eſſe potiſſima acceptio rationis tranſcendentiæ; quia illud dicitur propriè tranſcendens, quod prædicamentali *eſſe* opponitur, & certum eſt dari plura prædicata, quæ non ſunt prædicamentalia, & tamen non includuntur in aliquibus differentiis inferiorum; nam quodcumque prædicatum inventum in Deo non eſt prædicamentale, aliàs Deus eſſet in genere, quoad aliquod prædicatum, quod nullatenus admittitur. Unde videtur dicendum, quod illud prædicatum dicitur propriè tranſcendentale, prout tranſcendentale opponitur prædicamentali, quod poteſt cum fundamento in re concipi, ut quid commune, & indifferens finito, & infinito, ideſt Deo, & creaturis. Unde ſicut hoc prædicatum *ens* dicitur tranſcendens, ita ſimiliter hæc prædicata *ſubſtantia*, *ſpiritus*, *ſapientia*, & alia hujuſmodi; quippè, hæc omnia poſſunt concipi, ut communia, & indifferentia Deo, & creaturis. Videatur Scotus in 1. diſt.8.q.3.lit.O.

21 Ex quo evidenter ſequitur, quod benè componitur, quod aliquod prædicatum ſecundùm ſe præcisè conſideratum non habeat rationem generis, & quod ſecundùm aliquam peculiarem rationem, genus poſſit denominari; ſubſtantia enim ſecundum ſe conſiderata, & præcisè ſumpta nullatenus rationem generis habet, nam ut ſic non dicit perfectam realitatem ex natura rei præciſam, potentialem, & contrahibilem per veras differentias, aliàs jam Deus, & creatura non eſſent primò diverſa in realitate: & deinde daretur in Deo

compoſitio metaphyſica; dicit enim ſecundum ſe conſiderata conceptum imperfectum ſolum quoad noſtrum imperfectum modum concipiendi per modos intrinſecos, ſcilicet, per finitudinem, & infinitudinem contrahibilem, modo dicto de conceptu communi entis quæſt. 3. huius diſputationis: & tamen ſubſtantia finita, ut omnes unanimiter fatentur, habet rationem generis reſpectu ſuorum inferiorum. Idem poteſt exemplificari in pluribus aliis prædicatis communibus Deo, & creaturis. Hoc notato.

22 Circa hanc difficultatem eſt duplex ſententia. Prima aſſerit, ens reale finitum nullatenus eſſe genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis. Hæc ſententia eſt communior in utraque Schola. Secunda tribuit enti reali finito rationem generis reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis. Hanc tenet inter Scotiſtas Maſtr. in Logica diſp 6. quæſt. 1. & in Metaph. diſput. 2. quæſt. 4. artic. 1. & quæſt. 6. art. 2. quibus in locis pro hac ſententia plures non parvi momenti Authores adduci. Fatemur enim, hanc eſſe maximam difficultatem, & hucuſque non ſatis explicatam: non quia ſubtiliter à pluribus non attingatur, ſed ob ipſius difficultatis naturam, quæ pro hoc ſtatu, captum noſtrum ſubterfugere videtur; quapropter melius circa ipſam audire eſſet, quam loqui; tamen quia neceſſe eſt illam intactam non relinquere, aliquid proponere liceat majori ex parte ex aliorum placito ex aliqua, quamvis minima parte, ex proprio captu; igitur communiori ſententiæ venia.

23 Dicimus: Nullum apparet inconveniens in hoc, quod ens reale finitum dicatur genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis. Hæc concluſio non aptiùs probari poteſt, quam fundamentis, quibus ſententia contraria nititur, occurrendo. Igitur aliqui dicunt, ens non eſſe genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis; quia non eſt univocum, ſed analogum reſpectu illorum;

rum: ſed hic modus dicendi manet impugnatus quæſt. 3. hujus diſputationis, ubi univocationem entis adſtruimus.

24 Alii dicunt, ens non eſſe genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis; quia non dicit perfectam realitatem ex natura rei præciſam, & contrahibilem per veras differentias, ſed tantum conceptum præciſum imperfectum, quoad noſtrum modum concipiendi per modos intrinſecos contrahibilem. Hæc eſt communis reſponſio Scotiſtarum. Sed licèt hæc reſponſio ſufficiat ad hoc, ut ens non dicatur genus reſpectu Dei, & creaturæ, quam quidem ad hoc intentum nos adduximus quæſt. antec. à num. 7. tamen in præſenti non videtur ſufficiens; ratio eſt quia ex eo ſufficit ad hoc, ut ens non dicatur genus reſpectu Dei, & creaturæ, quia jam Deus, & creatura non eſſent primo diverſa in realitate, ſed convenirent in aliqua realitate ex natura rei potentiali, contrahibili, & determinabili per alias realitates dicentes etiam perfectas realitates, & ſic neceſſariò daretur in Deo compoſitio metaphyſica ex duplici realitate, contrahibili ſcilicet, & contrahente, quod eſt imperfectio in Deo nullatenus conſtituenda: quod autem in creatura detur perfecta realitas entis finiti contrahibilis per veram differentiam dicentem etiam perfectam realitatem, & quod iſtæ realitates compoſitionem metaphyſicam in creatura conſtituant, nullum eſt inconveniens; erg. ſi aliunde non probetur, ens finitum non eſt genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, non benè probatur dicendo, quod non dicit perfectam realitatem contrahibilem per veras differentias, ſed tantùm conceptum inadæquatum per modos intrinſecos quoad noſtrum modum concipiendi contrahibilem.

25 Alii dicunt, ens non eſſe genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis prout ſuam tranſcendentiam; nullum enim, inquiunt, prædi-

catum

catum tranſcendens poteſt dici genus reſpectu ſuorum inferiorum. Hæc reſponſio facilè reputatur ex dictis nu. 20. & 21. nam bene componitur, quod aliquod prædicatum ex ſe ſit tranſcendens, ideſt, commune Deo, & creaturis, & ut ſic non ſit genus, & tamen ſit genus ſecundùm aliquam peculiarem rationem; ſubſtantia enim ut ſic eſt prædicatum tranſcendens, ideſt commune Deo, & creaturis, quapropter ut ſic non habet rationem generis: quippe non dicit perfectam realitatem contrahibilem ex natura rei per veras differentias, ſed tantùm conceptum imperfectum per noſtrum imperfectum modum concipiendi per modos intrinſecos contrahibilem, & tamen ſubſtantia finita eſt genus quippe dicit perfectam realitatem ex natura rei contrahibilem per veras differentias, ut omnes fatentur; imò in hoc ſenſu jam non eſt prædicatum tranſcendens; erg. etiam poteſt componi, quod, licet hoc prædicatum *ens* tranſcendentaliter ſumptum, ideſt, ut eſt commune Deo, & creaturis, non ſit genus, neque dicat perfectam realitatem contrahibilem per veras differentias, ſed tantum conceptum imperfectum, per noſtrum imperfectum modum concipiendi per modos intrinſecos contrahibilem; & tamen quod ens finitum ſit genus, & dicat perfectam realitatem ex natura rei contrahibilem per veras differentias; imò, quod in hoc ſenſu non ſit prædicatum tranſcendens; g. præjecta reſponſio non convincit, ens finitum non eſſe genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis.

26 Alii autem, aliter explicantes tranſcendentiam ſiſtunt in prædicta reſponſione, & firmiter tenent ens finitum non eſſe genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, eo quod ſit tranſcendens, quæ tranſcendentia (inquiunt) conſiſtit in nimia communitate entis, qua non ſolum in generibus, & ſpeciebus, ſed etiam in aliquibus differentiis inferiorum, hoc eſt, generum, & ſpe-

& ſpecierum includitur juxta à nobis dicta q. 4. hujus diſp. Sed hæc reſponſio, licet optima ſit ad oſtendendum, ens non eſſe genus reſpectu Dei, & creaturæ, & nos ad hoc illam adduximus ex Doctore Subtili q. antec. n. 9. non tamen eſt ſufficiens ad præſens intentum; quia Scotus loquitur de ente tranſcendentaliter ſumpto ut eſt commune Deo, & creaturis, & de hoc aſſerit non eſſe genus propter nimiam communitatem ſuam; quia, ſcilicet, in aliquibus differentiis inferiorū quidditative includitur; non tamen loquitur de ente finito, ut eſt commune ſubſtantiæ, & accidenti, neque aliquando aſſeruit, ens finitum eſſe tranſcendens; neque includi quidditative in aliquibus differentiis; unde licet verum ſit, conceptum entis communem Deo, & creaturis non poſſe denominari genus, eò quod genus debeat ita eſſe in potentia, ut in nullis inferiorum differentiis quidditative includatur; tamen ens finitum poteſt eſſe genus, quia non includitur quidditative in aliquibus differentiis inferiorum, ſed dicit perfectam realitatem totaliter excludentem à ſuo formali conceptu ex natura rei quaſcumque differentias, & ſic eſt vere ex natura rei potentiale, & contrahibile per illas.

27 Ex quod hoc ſit juxta Subtilis Doctoris mentem notat Doctiſſimus Lichetus ſuper 1. diſt. 26. quæſt. unic. his verbis; Dico, quod eo modo prædicatur (ens) *in quid* de Deo, & ultimis differentiis (loquitur de ultimis differentiis ordine conſtitutionis, ut patebit litteram legenti) licet de decem prædicamentis alio modo prædicetur *in quid*, nam de Deo, & ultimis differentiis prædicatur *in quid*, ut dicit conceptum non acceptum à realitate perfectibili ab alio; ſed, ut prædicatur de decem prædicamentis, ſic prędicatum dicit conceptum abſtractum à realitate verè perfectibili ab alia realitate, &c. Aliter judicio meo Doctor non poteſt ſalvari. Hæc Lichetus, in quibus verbis clarè denotat,

quòd, licet ens, ut dicit conceptum imperfectum, & eſt commune Deo, & creaturis includatur quidditativè in differentiis, quapropter nequit eſſe perfectibile per veras differentias; tamen ens dictum de decem prædicamentis, hoc eſt, de ſubſtantia, & accidenti, quod idem eſt ens finitum non includitur in differentiis, ſed dicit perfectam realitatem perfectibilem per veras differentias; unde ſequitur, eſſe genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis. En quomodo noſtra concluſio non parvi momenti inter Scotiſtas Patronos habet: magnæ enim authoritatis ſunt Lichetus, & Maſtrius, ſed non minoris authoritatis eſt ipſa ratio.

28 Contra hoc ſic poteſt argui; in aliquibus differentiis includitur quidditativè ratio entis, ſed talis ratio entis eſt finita: ergo includitur quidditativè ens finitum. Maj. ſupponitur, ut certa ex dictis. Min. verò prob. quia ratio communis entis Deo, & creaturæ contrahitur, modo ſæpè dicto, per modum intrinſecum infinitatis ad Deum, ita ut in Deo ſit ens infinitum; & per modum intrinſecum finitatis ad creaturam, ita ut in quacumque realitate creaturæ ſit ens finitum; erg. ratio entis quidditativè incluſa in qualibet differentia eſt ratio entis finiti; ſed ex hoc ſequitur, quod ratio entis finiti nequeat eſſe genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis; quippè, quod quidditativè includitur in aliquibus differentiis inferiorum generis rationem non habet; erg. non ſubſiſtit doctrina ſupra tradita.

29 Licèt hoc argumentum ſic in forma diſpoſitum non inveniatur; tamen ſic propoſitum videtur prima facie non parvam includere difficultatem, imò habere efficaciam ad propoſitum demonſtrandum; quapropter libenter aliorum reſponſiones audiremus. Urget tamen neceſſitas ut ipſi aliquomodo pro noſtro captu ſatisfacere intendamus. Igitur.

30 Re-

30 Reſpond. concedendo totum argumentum præter minorem ſubſumptam, quam diſtinguimus. Ex hoc ſequitur, quod ratio entis finiti nequeat eſſe genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis; eo modo, quo talis ratio entis ratio entis finiti à nobis concipitur, eſt verum, eo modo quo ſe habet à parte rei, eſt falſum. Similiter poteſt diſtingui probatio ibi incluſa. Quod includitur in differentiis inferiorum, eo modo, quo à nobis concipitur, nequit habere rationem generis, etiam eo modo, quo à nobis concipitur, eſt verum, quod includitur in differentiis inferiorum, eo modo, quo à nobis concipitur, nequit habere rationem generis in re, ſeu ex natura ſua, ſubdiſtingui poteſt; ſi alias ex natura rei includatur quidditativè in illis differentiis: admittendum eſt, ſi alias ex natura rei non includatur in illis differentiis, eſt falſum.

31 Quod, ut capias, debes attentè notare, quod ens finitum dupliciter ſumi poteſt. Primò, ut à nobis concipitur, & ut ſic tantum dicit rationem communiſſimam entis, & modum intrinſecum finitatis, & in hoc ſenſu quælibet realitas creaturæ, & etiam differentiæ, quas diximus includere quidditative ens, entia finita dicuntur; quapropter ens finitum, ut à nobis concipitur nequit dici genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis; ſiquidem in differentiis aliquibus illorum includitur quidditative.

32 Secundò poteſt accipi ens finitum ſecundùm id, quod dicit ex natura rei, & ut ſic non dicit præciſè rationem communiſſimam entis, & modum intrinſecum finitatis, ſed dicit quandam perfectam realitatem creaturæ ex natura ſua priorem modo intrinſeco finitatis, & ipſo modo intrinſeco modificatam: quod fundatur in eo, quod modus intrinſecus eſt poſterior ipſa re, quam modificat, & ſupponit

eam in ſuo eſſe conſtitutam, ut clarè patet in Deo; licet enim ens infinitum, ut à nobis concipitur nihil dicat prӕter rationem communem entis, & modum intrinſecum infinitatis, per quem quoad noſtrum modum concipiendi ad eſſe Dei contrahitur: tamen in re non ſolùm dicit rationem communem entis, & modum intrinſecum infinitatis, ſed dicit ipſam quidditatem Dei priorem tali modo intrinſeco, & illo modificatam: quippè talis modus intrinſecus, cùm non ſit prædicatum quidditativum Dei, ſupponit Deum in ſuo eſſe per ſua quidditativa prædicata conſtitutum; in hoc ſecundo ſenſu ens finitum, ut eſt commune ſubſtantiæ, & accidenti dicit quandam realitatem perfectam modificatam finitudine, quæ realitas non includitur quidditativè in aliquibus differentiis; hæ enim ſunt etiam perfectæ realitates modificatæ finitate, ſed non ſunt ipſamet realitas, quam dicit ens finitum, ut commune, ſubſtantiæ, & accidenti, hæc enim ex natura rei ſe habet, ut quid contrahibile, & potentiale, excludens totaliter ex natura rei realitates differentiarum, quæ ſe habent, ut quid contrahens, & actuans.

33 Adhuc clarius hoc poteſt intelligi his exemplis: ens per ſe, ut à nobis concipitur, tantùm dicit rationem communiſſimam entis, & modum intrinſecum perſeitatis; per quem quoad noſtrum modum concipiendi contrahitur ad eſſe ſubſtantiæ, tamen in re, fatentur ferè omnes, dicere perfectam realitatem, quæ dicitur ſubſtantia priorem ipſa, perſeitate, & illa modificatam, in qua ſtat ratio formalis conſtitutiva ſubſtantiæ, quam quia non cognoſcimus quoad eſſentiam (non, enim omnium rerum eſſentiam cognoſcimus, ſed eas per aliquid, quod cognoſcimus explicamus) explicamus per modum intrinſecum perſeitatis; illa realitas nobis ignota, & mo.

modo intrinſeco perfeitatis modificata, eſt contrahibilis, & determinabilis per veras differentias, & in nulla illarum quidditativè includitur, & ſic dicitur ſubſtantia genus reſpectu ſuorum inferiorum; ſic ſimiliter illa realitas entis finiti communis ſubſtantiæ, & accidenti (licet nobis ignota, quapropter propter vocum inopiam, & noſtrum imperfectum modum concipiendi illam per ſolam communem vocem entis finiti explicamus) eſt contrahibilis, & determinabilis per veras differentias, & in nulla illarum quidditative includitur, & ſic ens finitum dicitur genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis.

34 En aliud exemplum: animal eſt vera realitas contrahibilis per rationalitatem, licet animal ſit ens finitum, & rationalitas ſit etiam ens finitum, eo quod, licet ratio entis finiti utrique conveniat, & in utroque includatur; quippè quodlibet illorum eſt realitas creata; tamen realitas animalis, quæ modificatur finitate, non includitur quidditative in realitate rationalitatis, quæ etiam modificatur finitate, & ſic poteſt una realitas eſſe in potentia, reſpectu alterius, ſic ſimiliter, licet quælibet differentia ſit ens, & ens finitum, ſiquidem eſt realitas creata, & modificata finitate, ſicut eſt ens, & ens finitum, id, quod dicimus, eſſe commune ſubſtantiæ, & accidenti; tamen realitas nobis ignota, quam dicit illud, quod eſt commune ſubſtantiæ, & accidenti, & quam modificat finitudo, non includitur quidditativè in realitatibus, quas dicunt differentiæ, quæ etiam finitudine modificatur; & ſic poteſt realitas, quam dicit ens finitum commune ſubſtantiæ, & accidenti, eſſe in potentia, & contrahibilis per quaſcumque differentias dicentes perfectas realitates; & conſequent. poteſt eſſe genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis. Adhuc in

his immoraremur, niſi penuria neceſſariæ brevitatis obſtaret; videtur tamen, quod ſi dicta bene percipiantur, nihil alicuius momenti noſtræ concluſioni obſtare, & ipſam concluſionem facilis propugnationis eſſe, cognoſcetur.

35 Ex quo ſequitur, quod accidens dicitur univoce, cum quadam tamen analogia; & conſequenter, quod eſt genus reſpectu novem prædicamentorum accidentis. Hoc ex dictis non videtur probatione indigere. Sed tam contra hoc, quam contra concluſionem poſſunt opponi plures authoritates tam Ariſtot. quam Subtilis Doctoris: in quibus videntur denotare ens finitum non eſſe genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis; neque accidens reſpectu novem prædicamentorum accidentis; inquiunt enim, decem prædicamenta eſſe genera ſuprema, quod nullatenus verificari poſſet; nam genus ſupremum nullum genus ſupra ſe poteſt habere: ſed ſi ens finitum eſſet genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis; & accidens eſſet genus reſpectu novem prædicamentorum accidentis, jam decem prædicamenta haberent aliquod genus ſupra ſe: ergo non eſſent genera ſuprema: Deinde pluribus in locis innuit Philoſophus, ens finitum contrahi ad decem genera per modos intrinſecos, non vero per differentias; & ſimiliter accidens non per differentias, ſed per modos intrinſecos contrahi: ſed, quod contrahitur ad inferiora per modos intrinſecos, & non per differentias, non eſt genus reſpectu inferiorum · g. neque ens eſt genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, neque accidens reſpectu novem prædicamentorum accidentis.

36 Omiſſis aliquibus ſolutionibus, quæ, & plura alia huc conducentia videri poſſunt apud Maſtrium locis ſupra cit. præcipuè in Logica. Reſpondetur, quod quando Ariſtot. dicit, decem prædicamenta eſſe genera ſuprema, &

quod

quod non per differentias, ſed per modos intrinſecos contrahitur ens finitum ad ſubſtantiam, & accidens; & accidens ad novem prædicamenta accidentis, loquitur quoad noſtrum modum concipiendi, in quo ſenſu verum eſt, ens per modos intrinſecos ad ſubſtantiam, & accidens contrahi, ſcilicet per perſeitatem, & inaleitatem; eo quod, ut ſupra diximus, neque realitatem entis finiti communem ſubſtantiæ, & accidenti; neque differentias conſtitutivas ſubſtantiæ, & accidentis cognoſcimus, per quas illa realitas entis in re contrahitur, ſed tantum rationes tranſcendentales communes, & modos intrinſecos cognoſcimus; & ut ſic verum eſt, neque ens finitum eſſe genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis; neque accidens reſpectu novem prædicamentorum accidentis: & conſequenter eſt verum; ut ſic decem prædicamenta eſſe genera ſuprema; tamen hoc non obſtat ad hoc, ut in re genera ſuprema non ſint, cum, ut patet ex noſtra concluſione, ens finitum in re ſit genus ſupra omnia prædicamenta, & accidens ſupra novem genera accidentium. In ſenſu Ariſt. explicari debent authoritates Scoti, & in eodem ſenſu nos locuti ſumus in Logica, dum diximus, ens non eſſe genus, neque ſimiliter accidens, & decem prædicamenta eſſe genera ſuprema. Hæc ſufficiant, ut cognoſcatur probabilitas noſtræ concluſionis; ſolum enim, ut probabilem illam propoſuimus: ſi alicui oppoſitum melius videatur in via Scoti, doceat nos, & libenter audiemus.

QUÆSTIO VIII.

Quid ſit modus intrinſecus, & quomodo à re, cuius eſt modus diſtinguatur?

1 QUia pluries in tota diſputatione de modis intrinſecis locuti ſumus, pro aliorum ampliori notitia, & prædictorum, pro intelligentia, qui modus intrinſecus ſit, & quonam pacto à re cuius eſt modus diſtinguatur; ſcire operæ pretium eſt; quod quidem ſatis confuſè ſolet ab aliquibus explicari; quid autem videatur tenendum juxta Subtilis Doctoris mentem, & aliquorum Scotiſtarum magnæ authoritatis conſenſum, nos hic poſſibili claritate adducemus. Igitur

2 Notandum eſt. 1. cum communi conſenſu, dari modos intrinſecos à modis extrinſecis diſtinctos, ſed eſt dubium, in quo modi intrinſeci ab extrinſecis diſtinguantur? Et ratio dubitandi eſt, quia modus, ut nomen ſonat, nihil aliud eſt, quàm *adiacens rei determinatio, ſeu modificatio*, per quod denotatur, quod quilibet modus debet eſſe aliquid extrinſecum reſpectu rei modificatæ, & conſequenter, quod nequeat dari aliquis modus, qui intrinſecus dicatur, & ab extrinſecco diſtinguatur. Nam ſi diſtingueretur, neceſſariò modus extrinſecus eſſet *adiacens rei determinatio extrinſeca*; & modus intrinſecus, ut ab illo diſtinctus, eſſet *adiacens rei determinatio intrinſeca*: ſed hi termini, *adiacens*, & *intrinſeca* pugnant inter ſe, nam ly *adiacens*, ut ſonat dicit aliquid extrinſecum: g. non benè alicui modo poteſt tribui nomen intrinſeci, ut à modo extrinſeco diſtinguatur.

3 Sed licet hæc ratio aliquam in terminis videatur habere apparentiam, in re tamen nihil habet difficultatis; igitur verum eſt, quòd mo-

modus eſt *adiacens rei determinatio*, & quòd modo intrinſeco additur illa particula *intrinſeca*, & extrinſeco illa particula *extrinſeca:* falſum tamen eſt hos terminos *adiacens*, & *intrinſeca* inter ſe pugnare, ut hic accipiuntur, nam per ly *adiacens* denotatur, modum eſſe aliquid ſupponens eſſentiam, & quidditatem rei, & per ly *intrinſeca* intelligitur eſſe aliquid realiter identificatum cum eſſentia, & quidditate: per quod patet, quòd prædicti termini nullatenus inter ſe pugnant, imòd patet, beaè per hoc diſtingui modum intrinſecum ab extrinſeco: hic enim non ſolùm ſupponit eſſentiam, & quidditatem rei, quod denotatur per ly *adiacens*, ſed etiam realiter à tali eſſentia, & quidditate diſtinguitur, quod denotatur per ly *extrinſeca*. Deinde dicitur modus intrinſecus, quia aliquomodo pertinet ad primum modum dicendi per ſe rei, quam modificat, ut patebit ex infra dicendis, modus verò extrinſecus nullatenus ad primũ modum dicendi per ſe rei, quam modificat ſpectat: ſeſſio enim, quæ dicitur modus extrinſecus Petri v.g. nullatenus ad primum modum dicendi per ſe Petri attinet, ſed omninò exrinſecè ſe habet reſpectu illius. Qui aliqua de modis extrinſecis deſiderat, conſulat Maſtrium in met. diſp. 2. q. 6. art. 1. Pro intrinſecis autem,

4 Notandum eſt 2. Quòd ſicut ens dividitur ab Scotiſtis in quantum, & non quantum quantitate ſcilicet virtutis, ſeu perfectionis; ita dividitur ab aliquibus modus intrinſecus in quantum, & non quantum. Modus intrinſecus quantus eſt, qui conſtituit rem in aliquo modo eſſendi perfecto. modus intrinſecus non quantus eſt, qui conſtituit ren in aliquo modo eſſendi non perfecto; hoc pendet ex dicendis in materia de Trinitate in Theologia loquendo de relationibus Divinis: quapropter omiſſo modo intrinſeco non quanto, & loquendo de modo intrinſeco quanto,

de quo communiter Scotiſtæ loquuntur.

5 Notandum eſt 3. quod modus intrinſecus ſolet dividi in modum intrinſecum in genere, & ſupra genus. Modus intrinſecus in genere dicitur ille, qui rebus contentis ſub genere, ſeu quæ ſunt alicuius generis determinati, applicatur. Modus intrinſecus ſupra genus dicitur ille, qui rebus, quæ non ſunt in genere, & prædicatis tranſcendentalibus applicatur: v. g. finitas, & infinitas, ſi comparentur ad ens tranſcendentaliter ſumptum, dicuntur modi intrinſeci ſupra genus; ſi autem comparentur ad quantitatem, & qualitatem prædicamentalem dicuntur modi intrinſeci in genere. Deinde modus intrinſecus etiam ſolet dividi in eſſentialem, & individualem. Eſſentialis dicitur; qui eſſentiam rei modificat, ut finitas, infinitas, perſeitas, inaleitas, & alii huiuſmodi, & poteſt dici eſſentialis tranſcendentali, vel genericus, vel ſpecificus, juxta naturam rei, quam modificat. Individualis dicitur, qui non aliquam naturam ſecundùm ſuam eſſentiam, ſed uti individuam, modificat, ut intenſio, & remiſſio reſpectu qualitatis; non enim una albedo dicitur intenſior, vel remiſſior altera quoad perfectionem eſſentialem; benè tamen quoad individualem perfectionem. His notatis, per duas ſectiones quæſtionem reſolvemus.

SECTIO I.

Pro prima parte quæſtionis.

6 DIcimus 1. Modus intrinſecus quantus ſic definitur à pluribus Scotiſtis: *Eſt determinatus gradus perfectionis cuiuſcumque entitatis, quo facta comparatione ad aliam entitatem excedit illam, vel exceditur ab illa.* Hæc definitio deducitur ex Scoto pluribus in locis; & ſic ex ipſo explicatur; ſi accipiatur hæc entitas albe-

albedo, & comparetur cum alia entitate v.g. cum nigredine, excedit iſtam in duplo: & ſi comparetur cum ſcientia, exceditur ab iſta in triplo; & ſi cum anima rationali, ab hac exceditur in decuplo; & ſi cum Angelo, exceditur ab iſto in centuplo; & ſic facta comparatione in quibuſcumque entibus, ſemper invenitur aliqua proportio, in qua ſupremum excedit infimum, uſque dum perveniatur ad ens infinitum, quod infinite excedit quodlibet finitum; unde ſicut infinitudo eſt modus intrinſecus Dei explicans exceſſum perfectionis Dei reſpectu creaturarum, ita gradus perfectionis cujuſcumque rei, quo aliam excedit, vel ab illa exceditur, dicitur, & eſt modus intrinſecus cujuſcumque rei. Hæc definitio ſic explicata, & intellecta, à fere nullo Scotiſta negatur, nec quid contra illam apparet objiciendum.

7 Dicimus 2. Aliter etiam modus intrinſecus definiri ſolet: *Modus intrinſecus eſt, qui additus rei, cuius eſt modus non variat rationem formalem illius.* Hanc definitionem, ut deductam ex Scoto pluribus in locis, in quibus de modis intrinſecis loquitur præcipue in 1. diſt. 8. q. 3. §. *Ad argumenta*, à lit. Y. & quæſt. 4. §. *Ad quæſt.* lit. Q. tenent communiter Scotiſtæ. Pro cujus intelligentia notare oportet, quod modus intrinſecus poteſt conſiderari vel comparative ad id, quod contrahit vel comparative ad conſtitutum ex illo, & contracto; v. g. infinitas, & finitas poſſunt conſiderari in ordine ad rationem communem entis, quod contrahunt, vel in ordine ad Deum, & creaturam, quæ ſunt conſtituta ex illis, & ratione entis contracti; & ſic dicuntur modi intrinſeci entis, & modi intrinſeci Dei, & creaturæ. Hinc ortum eſt dubium, an quando dicitur, quòd modus intrinſecus non variat rationem formalem rei, cujus eſt modus, hoc debeat intelligi de ratione communi entis, quod per illos contrahi-

tur, vel de rationibus Dei, & creaturæ, quæ per ipſos conſtituuntur?

8 In qua difficultate, ut clarius procedamus obſervare opportet, ex ſupra ſæpè repetitis, quòd ratio communis entis, ut imperfectè à nobis concipitur tamquam quid commune Deo, & creaturis, non dicit perfectam realitatem ex natura rei præciſam, ſed tantùm conceptum inadæquatum realitatis Dei, & creaturæ; unde modi intrinſeci, cùm verè realitates ex natura rei modificent, non rectè dicuntur modi intrinſeci reſpectu talis conceptus communis entis, imò ut ſic concipiuntur à nobis ad modum differentiarum contrahentium, & conſtituentium entis inferiora, & non ut rationes modificantes, ita ut quoad noſtrum modum concipiendi detur aliquid potentiale, & contrahibile, & aliqua contrahentia, & determinantia, & compoſitio inter contrahens, & contrahibile.

9 Obſervandum eſt etiam, quòd variare, vel non variare rationem rei, non intelligitur in præſenti pro diſtractione rei à ſua formali ratione, ſed pro contractione rei ad conſtituendam inferiorem quidditatem cum illa; v. g. rationalitas, quæ eſt propria differentia contrahens animal, non dicitur variare rationem formalem animalis, eo quod diſtrahat animal à ſua ratione formali, remanet enim animal in ſua formaliſſima ratione viventis ſenſibilis: dicitur tamen variare rationem formalem animalis, eo quòd ſimul cum illo conſtituit quidditatem hominis inferiorem quidditate ipſius animalis, & in hoc ſenſu debet intelligi Scotus quando dicit, modum intrinſecum non variare rationem rei, cujus eſt modus; contraponit enim modum intrinſecum differentiæ propriè dictę, ut infra patebit. His benè obſervatis

10 Videtur tenendum primò, quòd quando dicitur, modùm intrinſecum non variare rationem rei, cujus eſt modus neque debet intelligi,

ita

ita ut non variet rationem entis imperfectè à nobis concepti, quod juxta noſtrum modum imperfectum concipiendi contrahit; neque, ita ut non variet rationem conſtituti etiam quoad noſtrum modum imperfectum concipiendi. Hæc reſolutio videtur evidens; & quoad primam partem patet: quia quoad noſtrum modum concipiendi, modus intrinſecus contrahit rationem entis, & cum illa conſtituit quidditatem inferiorem quidditate entis præcisè ſumpti; ſed ex eo differentia in re dicitur variare rationem formalem rei, cujus dicitur differentia; quia illam rationem in re contrahit, & cum illa conſtituit in re quidditatem inferiorem quidditate illius rationis, quam in re contrahit: ergo ſimiliter modus intrinſecus quoad noſtrum imperfectum modum concipiendi variat rationem formalem illius, quod quoad noſtrum modum concipiendi contrahit; & conſequenter ly non variare rationem rei, cujus eſt modus, non debet intelligi, ita ut non variet rationem entis imperfectè à nobis concepti, quod juxta noſtrum modum imperfectum concipiendi contrahit.

11 Secunda pars etiam patet; quia differentia non variat rationem formalem conſtituti ex ipſa, & ratione communi, quam in re contrahit; rationalitas enim non variat rationem formalem hominis, imò rationem formalem hominis conſtituit; ſicuti modus intrinſecus non variat rationem conſtituti ex illo, & ratione communi, quam contrahit quoad noſtrum modum imperfectum concipiendi; finitas enim, non variat rationem formalem creaturæ; imò creaturam quoad noſtrum imperfectum modum concipiendi conſtituit: ſed modus intrinſecus dicitur non variare rationem formalem rei, cujus eſt modus, ut à differentia ſecernatur: g. non variare rationem formalem rei, cujus eſt modus, non debet intelligi, ita ut non variet rationem cõſtituti ex illo.

illo, & ratione communi, quam contrahit quoad noſtrum imperfectum modum concipiendi. Unde

12 Videtur tenendum ſecundò, quòd modus intrinſecus dicitur non variare rem, cujus eſt modus, facta comparatione cum re, quam ex natura rei modificat, ut diſtinguatur à differentia: quod ſic explicatur; differentia, v.g. rationalitas dicitur variare rationem formalem animalis, cui additur, ex natura rei, quia ut dictum eſt conſtituit cum animali, quandam quidditatem inferiorem quidditate animalis, ſcilicet quidditatem hominis, ita ut ingrediatur ipſam rationem quidditativam hominis, quippe eſt prædicatum quidditativum ipſius hominis; modus autem intrinſecus non variat rationem formalem rei, cui ex natura rei additur, eo quòd non conſtituat cum illa aliquam quidditatem inferiorem quidditate rationis, cui additur, neque dicat aliquod prædicatum quidditativum ad aliquam quidditatem quidditative pertinens. An hoc debeat intelligi de omnibus modis intrinſecis? Adhuc eſt controverſia. Sed pro illa

13 Videtur dicendum, hoc debere intelligi de omnibus modis intrinſecis tam in genere, quàm ſupra genus; tam eſſentialibus, quàm individualibus; hoc patet, quia infinitas eſt modus intrinſecus extra genus, & modificat in re quidditatem Dei, cui additur, & non conſtituit cum Deitate aliquam quidditatem inferiorem quidditate Dei, quippe nullum gradum, ſeu prædicatum quidditativum dicit, ſed tantùm modificat quidditatem Dei, cui additur, & quam ſupponit; idem eſt de modo intrinſeco finitatis, qui quidditatem creaturæ modificat. Rurſus perſeitas eſt modus intrīſecus in genere eſſentialis, & modificat in re quidditatem ſubſtantiæ, cui additur, & non conſtituit cum ſubſtantia aliquam quidditatem inferiorem quidditaditate

ditate ſubſtantiæ; quippe nullum gradum, ſeu prædicatum quidditativum dicit, ſed tantùm modificat quidditatem ſubſtantiæ, cui additur, & quam ſupponit. Denique gradus intenſionis, ut quatuor, vel ut quinque v. g. eſt modus intrinſecus individualis qualitatis, & modificat in re qualitatem individualem, cui additur, & non conſtituit cum tali qualitate aliquam quidditatem individualem (liceat ſic loqui) inferiorem individali quidditatem talis qualitatis individualis: quippe nullum gradum, ſeu prædicatum individuale quidditativum dicit, ſed tantùm modificat prędictam qualitatem individualem, cui additur, & quam ſupponit. En quomodo, non variare rationem formalem rei convenit omnibus modis intrinſecis.

14 Hoc adhuc explicatur ab aliquibus, ſumpta ſimilitudine ab eo, quod dicit Ariſt. 8. met. tex. 10. loquendo de numeris; quòd ſcilicet, differētię reſpectu quidditatum ſe habent, ſicut numeri; nam ſicut addita, vel ablata aliqua unitate ſtatim variantur ſpecies numeri (admiſſo pro nunc, quòd dentur ſpecies numeri) addita enim aliqua unitate ternario v. g. ſtatim fit quaternarius, & ablata fit binarius, quæ ſunt diverſæ ſpecies à ternario; Sic evenit in rerum quidditatibus, v. g. *Subſtantia animata ſenſibilis*, eſt quidditas animalis, & ſi illi addatur *rationale* ſtatim fit quidditas hominis; ſi autem ab illa auferatur *ſenſibile*, ſolùm remanet quidditas plantæ; non ſic evenit in modis intrinſecis; nam ſive alicui addatur, ſive ab illo auferatur, nunquam variatur ſtatus quidditativus rei, ut patet ex ſupradictis. Hoc adhuc amplius patebis ex dicendis: pro quibus ſit.

SECTIO II.

Pro ſecunda parte quæſtionis.

15 Est non parum controverſum inter Scotiſtas, an modus intrinſecus ex natura rei diſtinguatur à re, cuius eſt modus? Et ſupponitur tanquam certum, modum intrinſecum vere, & realiter dari à parte rei independenter à conſideratione intellectu; vere enim, & realiter Deus eſt infinitus, infinitate, quæ eſt modus intrinſecus illius: & ſimilter ſubſtantia vere, & realiter eſt ens per ſe perſeitate, quæ eſt illius modus intrinſecus, idem dicendum eſt de intenſione, & de quocumque alio modo intrinco: nunc per ſequentes concluſiones, quid videatur tenendum ex mente ſubtilis Doctoris proponemus. Igitur,

16 Dicimus 1. modus intrinſecus non dicit perfectam realitatem ex natura rei diſtinctam à re, cuius eſt modus. Hæc concluſio eſt fere omnium Scotiſtarum cum Scoto locis infra citandis. Probatur principio recepto in omni ſubtili Schola: perfectæ realitates, ſeu formalitates ſunt illæ, quarum quælibet poteſt concipi conceptu perfecto, & adęquato diſtincto ab alio conceptu perfecto, & adæquato, quo altera concipitur: ſed nequit res perfecte, & adæquate concipi ſine modo intrinſeco: g. modus intrinſecus pertinet ad perfectum conceptum realitatis, quam modificat; conſequenter non dicit modus intrinſecus perfectam realitatem ex natura rei diſtinctam à realitate, cuius eſt modus.

17 Minor, in qua eſt difficultas probatur ex Scoto (loquimur enim cum Scotiſtis) in 1. diſtinct. 8. qu. 3. §. *Ad argumenta. Verſ. Reſpondeo,* ſub lit. Y. Ubi habet hæc verba: *Quando intelligitur aliqua realitas cum modo intrinſeco ſuo, ille*

ille conceptus non eſt ita ſimpliciter ſimplex, quin poſſit concipi illa realitas abſque modo illo: ſed tunc eſt conceptus imperfectus illius rei, poteſt etiam concipi ſub illo modo, & tunc eſt conceptus perfectus illius rei: erg. ex mente Scoti nequit aliqua realitas perfectè concipi ſine ſuo modo intrinſeco. Et proſequitur Scotus hoc ita exemplificando: *Si eſſet albedo ſub decimo gradu intenſionis ...... poſſet concipi ſub ratione albedinis tanta, & tunc perfectè conciperetur conceptu adæquato illi rei; vel poſſet concipi præcisè ſub ratione albedinis, & tunc conciperetur conceptu imperfecto, & deficiente à perfectione rei*. En quomodo ex mente Scoti conceptus albedinis cum modo intrinſeco intenſionis eſt perfectus, & ſine tali modo eſt imperfectus: g. nullatenus modus intrinſecus dicit perfectam realitatem ex natura rei diſtinctam à re, cuius eſt modus. Ferè ſimilia verba repetit Scotus pluribus in locis.

18. Dicimus 2. modus intrinſecus aliquomodo ex natura rei diſtinguitur à re, cuius eſt modus. Hanc concluſionem tenent paſſim Scotiſtæ, ſed in illa explicanda diverſimodè ſe habent; aliqui enim dicunt, hanc diſtinctionem non eſſe formalem poſitivam, ſed tantùm formalem negativam eo quòd modus intrinſecus non dicit propriam formalitatem, & realitatem perfectam. Sed licet verum ſit, ut dictum eſt concluſione antec. modum intrinſecum non dicere perfectam realitatem, ſeu formalitatem: tam propter hoc, non eſt dicendum, prædictam diſtinctionem non eſſe poſitivam; quia modus intrinſecus dicit ex ſe aliquid poſitivum: erg. ſi aliquomodo ex natura rei diſtinguitur à re, cuius eſt modus, talis diſtinctio debet dici poſitiva. Quapropter Maſtrius tom. 1. met. diſp. 2. quæſt. 6. tenet, quòd hæc talis diſtinctio nequeat dici formalis ex natura

tura rei poſitiva, intelligendo pro diſtinctione formali ex natura rei poſitiva diſtinctionem realitatis à realitate, ſeu formalitatis a formalitate, poteſt tamen dici poſitiva, quatenus eſt diſtinctio realitatis a ſuo modo intrinſeco poſitivo; unde, inquit, quod ſicut diſtinctio realis verſatur, vel inter rem, & rem, & ut ſic dicitur abſolutè diſtinctio realis; vel inter rem, & modum extrinſecum: & ut ſic dicitur diſtinctio realis modalis, eo quod deficiat a perfectione rei ex parte unius extremi, ſcilicet, modi extrinſeci; ita ſimiliter diſtinctio ex natura rei formalis verſatur, vel inter realitatem, & realitatem, ſeu inter formalitatem, & ut ſic dicitur abſolutè diſtinctio ex natura rei formalis: vel inter realitatem, ſeu formalitatem, & modum intrinſecum, & ut ſic dicitur diſtinctio ex natura rei formalis modalis, eo quod deficit à perfectione realitatis, ſeu formalitatis ex parte unius extremi, ſcilicet modi intrinſeci. Ferè ſimiliter intelligit hanc diſtinctionem Vulpes t. 1. par. 1. diſp. 8. art. 3.

19 Deducitur concluſio ex Subtili Doctore loc. cit. num. 17. ubi inter alia habet hæc verba: *Requiritur igitur diſtinctio inter illud, a quo accipitur conceptus communis, & illud à quo accipitur conceptus proprius, non ut diſtinctio realitatis, & realitatis, ſed ut diſtinctio realitatis, & modi proprii, & intrinſeci eiuſdem.* Ubi bene notandum eſt, quod loquitur Scotus de diſtinctione ex natura rei, non enim dicit, quod requiritur diſtinctio inter conceptum communem, & conceptum proprium (hæc enim eſt diſtinctio per intellectum, ut in præcedentibus ſæpè manet dictum) ſed dici, quod requiritur diſtinctio inter illud, a quo accipitur conceptus communis, & illud, à quo accipitur conceptus proprius, & certum eſt, illa à quibus prædicti conceptus accipiuntur, dari ex natura rei, & independenter ab intellectus conſideratione, & conſequenter ex mente Scoti,

ti, diſtinctio a Scoto aſſignata inter modum intrinſecum, & rem, cuius eſt modus, eſt diſtinctio ex natura rei.

20 Deinde poteſt probari concluſio ex eodem Doctore in 1. diſt. 2. qu. 2. §. *Ex his ad quæſtionem*, litt. B. *verſ. Dico, quod nulla*, lit. C. ubi dicit, hanc propoſitionem *Deus eſt*, eſſe per ſe notam, hanc verò: *Deus eſt infinitus*, non eſſe per ſe notam, cum ſit demonſtrabilis à priori, & *propter quid* per hoc medium *eſſe a ſe*, quod primario, & quidditative naturæ Divinæ convenit; ſed quod eſt demonſtrabile a priori, & *propter quid* de aliquo nequit eſſe prædicatum quidditativum illius, ſed aliquid poſterius quidditate, & aliquo modo extra quidditatem: ergo infinitas, quæ eſt modus intrinſecus Dei, non eſt prædicatum quidditativum illius, ſed aliquid poſterius quidditate Dei, & aliquomodo extra illam, & conſequenter aliquomodo ab illa ex natura rei diſtinctum.

21 Neque valet, quod aliqui reſpondent, ſcilicet; quod bene ſtat, quod aliqua propoſitio ſit per ſe nota, & altera non, quin in re detur aliqua diſtinctio inter extrema, ſolum penes conceptum explicitum, & implicitum eiuſdem rei, hæc enim propoſitio: *Homo eſt animal*, non eſſe per ſe nota, hæc autem *homo eſt vivens ſenſibile*, eſt per ſe nota; & tamen *animal*, & *vivens ſenſibile*, non diſtinguuntur in re, ſed tantum penes conceptum explicitum, & implicitum: unde ex eo quod hæc ſit per ſe nota. *Deus eſt*, & hæc non, *Deus eſt infinitus*, non conſequitur, infinitatem diſtingui ex natura rei a Deitate, ſed tantum penes conceptum explicitum, & implicitum.

22 Sed contra eſt; quia Doctor non præciſè dicit, quod hæc propoſitio: *Deus eſt*, eſt per ſe nota, & hæc: *Deus eſt infinitus*, non eſt per ſe nota, ſed etiam aſſignat rationem, ſcilicet, quod ideo hæc propoſitio *Deus eſt*, eſt per ſe nota; quia

eſt immediata, & explicans quidditatem Dei, ſeu id, quod ad quidditatem Dei ſpectat; hæc autem *Deus eſt infinitus*, non eſt per ſe nota; quia non eſt hoc modo immediata, ſeu pertinens ad quidditatem Dei; ſed eſt mediata, & demonſtrabilis de Deo per *eſſe a ſe*, quod eſt de eius eſſentia, tanquam per medium, eo modo, quo demonſtrantur de aliquo ſubiecto paſſiones ſeu quaſi paſſiones; erg. ſentit Scotus, infinitatem eſſe extra quidditatem Dei, & aliquid poſterius ipſa tanquam paſſio, ſeu quaſi paſſio ipſius Dei: ac per conſeq. ex mente Scoti aliquomodo infinitas ex natura rei a Deitate diſtinguitur; licet non, ut realitas a realitate; ſaltim ut modus à realitate.

23 Deinde poteſt probari adhuc concluſio aliquibus rationibus, quibus probavimus in Logica, dari diſtinctionem formalem ex natura rei, quæ quidem huc applicari poſſunt modo proportionato; & certè, hac diſtinctione inter modum intrinſecum, & rem, cuius eſt modus, admiſſa, tanquam Scotica, melius fundamenta ad diſtinctionem formalem ex natura rei in aliis probandam, & defendendam radicantur, & fortaſſis illa negata, ut aliqui Scotiſtæ negant, non facilè Scotica principia de diſtinctione formali ex natura rei firmantur, nec ad oppoſita argumenta ita ſatisfit, ut non poſſint contrarii facilè illa in Scotiſtas retorquere.

24 Arguunt tamen aliqui Scotiſtæ; circumſcripto omni eo, quod non eſt formaliter Deitas, Deus eſt infinitus: erg. infinitas non dicit aliquid formaliter diſtinctum a Deitate. Antec. patet; quia circumſcripto omni eo quod non eſt formaliter Deitas, Deus eſt formaliter perfectus: ſed non perfectus finitè: erg. infinite, ac per conſeq. &c. Reſp. neg. antec. & mai. probationis. Deus enim, circumſcripto omni eo quod non eſt formaliter Deitas, ſolum eſt perfectus fundamentaliter, non vero formalitas; Deitas enim

enim ex ſuo formaliſſimo conceptu eſt neceſſarium fundamentum infinitatis, non verò formaliter infinita.

25 Neque ex hoc inferas, Deitatem eſſe conceptum indifferentem, & potentialem: nam licet quoad noſtrum imperfectum modum concipiendi abſtrahantur à Deo aliqui conceptus communes, & quaſi potentiales, & determinabiles per modum intrinſecum, in re tamen nihil datur in Deo potentiale, cùm Deitas, & omnes realitates, & formalitates Dei, ſint fundamentum neceſſarium infinitatis, quapropter intellectus Divinus, & intellectus beatorum, intuitivè eſſentiam Divinam: & attributa Dei cognoſcentes, nullam vident realitatem Dei indifferentem, ſed vident, eſſentiam Divinam (idem dices de attributis) ut neceſſarium fundamentum infinitatis, & eſſe modificatam ipſa infinitate diſtincta ex natura rei modaliter ab ipſa eſſentia, & cognoſcunt, Deum eſſe infinitum, quia habet ſuum eſſe quidditativum à ſe, & hoc intendit Scotus, quando loco cit. n. 17. *verſ. Iſtud poteſt*, ante lit Z. dicit, quod licet reſpectu intellectus perfectè concipientis ſint duo objecta formalia realitas generis, & realitas differentiæ, tamen res, & modus intrinſecus non ſunt duo objecta formalia, ſed unum objectum formale modificatum. Videatur ibi, quia inter loquendum diſtinctionem realitatis à ſuo modo intrinſeco proponit.

26 Arg. 2. Deus ſua quidditate eſt, quo majus excogitari non poteſt; hæc propoſitio deducitur ex D. Anſelmo proſolog. 2. g. includit infinitatem formaliter in ſua quidditate præcisè ſumptam. Reſpond. 1. quod D. Anſelmus non deſcripſit Deum per ſuam quidditatem præcisè ſumptam, ſed ut concipitur à nobis per infinitatem. Unde neg. conſeq. Reſp. 2. neg. etiam conſeq. quia, Deus ſua quidditate dicatur id, quo majus excogitari non poteſt, non requiritur, quod

in ſuo quidditativo conceptu infinitatem includat, ſed ſufficit, quod ſit fundamentum neceſſarium infinitatis, & hoc etiam ſufficit, ut Deus ſua quidditate dicatur pelagus, radix, & origo omnium infinitarum perfectionum, videatur Scotus quæſtion. 5. quodlib. l. t. X.

27 Argum. 3. eſſentia Divina dicitur formaliter infinita, & ſimiliter perfectiones attributales Dei dicuntur formaliter infinitæ: & relationes originis in Scoti ſententia non dicuntur formaliter infinitæ, ſed ſi infinitas eſt aliquid ex natura rei diſtinctum ab eſſentia Divina, & attributis, & tantùm realiter identificatur cum illis, non eſt cur relationes originis non dicantur etiam formaliter infinitæ; cùm etiam realiter identificentur cum infinitate. erg. Reſpond. conceſ. maj. neg. min. Eſt enim maxima differētia inter eſſentiam (idem dices de attributis) & relationes, eſſentia enim non dicitur formaliter infinita eò præcisè, quod cum infinitate realiter identificatur, hoc enim non ſufficeret, ut infinita formaliter diceretur, ſed quia ex ſuo formali conceptu eſt neceſſarium fundamentum infinitatis, & ita exigit intrinſecè infinitate modificari, ut nequeat perfectè concipi ſine infinitate (idem eſt de attributis) at verò relationes originis ex ſuo formali conceptu non ſunt ita neceſſarium fundamentum infinitatis, neque exigunt intrinſecè modificari infinitate, & poſſunt perfectè ſine infinitate concipi, & ſic non dicuntur formaliter infinitæ, ſed tantum realiter, & identice, quatenus, ſcilicet, realiter identificantur cum eſſentia Divina, quæ modo dicto eſt formaliter infinita.

co-

COROLLARIA.

28 Ex dictis ſequitur primò, quod licet modus intrinſecus conveniat in re cum differentia, in eo quod utrumque eſt extra quidditatem illius, cui applicatur: rationalitas v. gr. quæ eſt differentia, eſt extra quidditatem animalis, & intenſio, quæ eſt modus intrinſecus albedinis eſt extra quidditatem albedinis; in pluribus tamen differunt. Primò, quia modus intrinſecus intrinſecè realitatem, cujus eſt modus, perficit; differentia verò ſolum extrinſecè: albedo enim quoad ſuam entitatem perficitur per gradus intenſionis; animal verò non intrinſecè, quoad ſuam entitatem, ſed extrinſecè per rationalitatem perficitur.

29 Secundò differunt in hoc, quod realitas nequit perfectè concipi ſine ſuo modo intrinſeco; realitas verò generis perfectè poteſt concipi ſine differentia; animal enim licet perfectiſſimo modo quoad ſuum eſſe quidditativum concipiatur, non adhuc habetur conceptus rationalitatis, quæ eſt differentia. Tertiò differunt in hoc, quod ab eadem realitate deſumitur conceptus objectivus modi intrinſeci, & conceptus rei, cujus eſt modus; at verò conceptus differentiæ deſumitur à diverſa realitate ab illa à qua deſumitur conceptus generis; aliàs ubicumque realitas, à qua deſumitur animal v. gr. inveniretur, inveniretur etiam realitas, à qua deſumitur rationalitas, quod falſum eſt. Quartò differunt in hoc, quod differentia addita generi variat rationem formalem, & quidditativam illius; at verò modus intrinſecus non variat rationem formalem, & quidditativam rei, cuius eſt modus. Hæc omnia ſufficienter manent explicata per totam quæſtionem.

30 Sequitur ſecundò, modum intrinſecum etiam differre in multis à paſſione, licet conve-

veniant in hoc, quod utrumque eſt extra quidditatem, nam primò differunt in hoc, quod paſſio dicit realitatem perfectam diſtinctam ab eſſentia: non verò modus intrinſecus. Secundò in hoc, quod eſſentia perfectè concipi poteſt ſine paſſione, non autem ſine modo intrinſeco. Tertiò in hoc, quod paſſio dimanat ab eſſentia conſtituta in ſuo eſſe perfecto, at verò modus intrinſecus eſt gradus perfectionis ipſius eſſentiæ, & non quid ab eſſentia perfectè conſtituta dimanans. Quartò in hoc, quod paſſio habet ſuum modum intrinſecum tanquam gradum perfectionis ipſam modificantem; at verò modus intrinſecus non habet alium modum intrinſecum ipſum modificantem, & perficientem, ſed eſt pura modificatio rei, cujus eſt modus. Hæ differentiæ deducuntur ex Scoto pluribus in locis ex ſup. cit. & in aliis; quibus firmiter tenet, infinitatem non eſſe attributum Dei, ſed tantùm modum intrinſecum, ubi aſſignat differentiam inter attributum, & modum intrinſecum; & certum eſt, attributa ſe habere in Deo ad modum quo ſe habent paſſiones in eſſentiis creatis. Expreſsè etiam qu. 5. quodlib. lit. C. dicit, modum intrinſecum non eſſe confundendum cum paſſione, ſed eſſe magis intimum eſſentiæ, quàm paſſio, hæc ſunt Scoti verba: *Infinitas intenſiva dicit modum intrinſecum illius entitatis, cuius eſt, ſic intrinſecum, quod circumſcribendo quodlibet, quod eſt proprietas, vel quaſi proprietas eius, adhuc infinitas eius non excluditur.* Quid clarius.

31 Ex hoc deducunt aliqui cum Smiſing. tr. 2. diſp. 1. quod modus intrinſecus non pertinet ad ſecundum modum dicendi per ſe, ſicut paſſio: quia modus intrinſecus intimior eſt eſſentiæ, quam paſſio; neque facit modus intrinſecus unum conceptum quaſi per accidens cum re, cujus eſt modus, ſicut facit paſſio cum ſubjecto, cujus eſt paſſio, imò modus intrinſecus facit

cum

cum re, cuius eſt modus unum per ſe conceptum perfectum; quapropter potius dicendum eſt, quod pertinet ad primum modum dicendi per ſe quam ad ſecundum; ſed ne ex hoc aliqua oriatur æquivocatio, eſt advertendum cum Maſtrio par. 2. inſt. Log. tract. 1. cap. 3. quod in primo modo dicendi per ſe poſſunt aſſignari aliqui gradus. Primus eſt; quando tota definitio prædicatur de definito. Secundus, quando pars definitionis de definito prædicatur. Tertius, quando modus prædicatur de re, cuius eſt modus. Unde conſtat, quod modus intrinſecus prædicatur in tertio gradu dicendi per ſe primo modo, & hoc ex eo quod aliquomodo pertinet ad quidditatem rei, cujus eſt modus; quippe ſine illo nequit perfectè concipi; non autem in primo, & ſecundo gradu, quippe in his gradibus ſolum dicuntur prædicata quidditativa; & modus intrinſecus non eſt quidditativum prædicatum. Hæc ſufficiant pro hac diſp. cuius difficultates, fatemur, eſſe ferè inſuperabiles.

D I S P. III.

De pertinentibus ad eſſentiam, & exiſtentiam.

Quamplura ab aliquibus AA. circa rerum eſſentias; earum poſſibilitatem, & exiſtentiam dilucidè diſputantur, inter quos liceat numerare noſtrum Maſtr. tom. 2. met. diſp. 8. nobis tamen, cauſa brevitatis, qua neceſſariò adſtringimur, de omnibus his latè diſputare non licet: quapropter tantum aliqua, quæ communius exagitantur ab AA. modernis, proponere intendimus. Pro quibus ſit.

QUÆSTIO I.

Quid per eſſentiam: quidque per exiſtentiam intelligatur?

1 Dicimus 1. per eſſentiam alicuius rei nihil aliud intelligitur, niſi prædicata quidditativa talis rei, quæ per definitionem explicantur. Concluſio eſt communis Philoſophorum conſenſus, & deducitur ex Ariſtot. 1. topic. cap. 2. quapropter his, vel ſimilibus verbis ſolet deſcribi; *Eſſentia eſt per ſe primo conveniens rei, & ipſam rem intrinſece conſtituens*: Hæc deſcriptio ex ipſis terminis patet, idcòque explicatione non indiget, nec in re tam communi licet immorari.

2 Eſſentia diverſa apud AA. nomina ſortitur; nam dicitur *eſſentia*, quatenus eſt id, quod primò convenit rei. Dicitur *natura*, quatenus eſt radix, & origo proprietatum; ſeu paſſionum: proprietates enim, ſeu paſſiones quaſi naſcuntur ab illa. Dicitur *quidditas*, quatenus per illam reſpondetur ad quæſtionem *quid ſit res*?

3 Dicimus 2. per exiſtentiam nihil intelligitur aliud, niſi id, per quod formaliter res extra ſuas cauſas conſtituitur. Concluſio etiam eſt communis; quapropter ſic exiſtentia deſcribi ſolet; *Exiſtentia eſt ratio, qua aliquid eſt formaliter extra ſuas cauſas*. Quæ deſcriptio etiam ex ipſis terminis patet, & deducitur ex Ariſt. 9. met. text. 11. ubi dicit; *Eſt autem actus exiſtere rem non ita ſicut diximus in potentia.* Dicitur tamen conſultò *formaliter*, ut diſtinguatur exiſtentia ab ipſis cauſis, per illas enim licet res exiſtat, eo quod ab illis cauſatur, non tamen formaliter per illas exiſtit, nam formaliter exiſtere ſolum convenit rei per exiſtentiam. Patet etiam, quod hæc exiſtentiæ deſcriptio ſolum con-

convenit exiſtentiæ rei creatæ, non tamen exiſtentiæ rei increatæ, ut eſt ſolus Deus, quippe, cum Deus nullam ſui cauſam habeat, nequit per exiſtentiam extra ſuas cauſas formaliter exiſtere. Si autem exiſtentiam in communi deſcribere velis, ut tam exiſtentiæ Dei, quam creaturæ deſcriptio conveniat, potes dicere, quod *exiſtentia eſt id, quo formaliter res eſt ens in actu, ſeu eſt actualiter extra nihil.* Nunc ſolum de exiſtentia creata loquimur, de increata verò agere ad Theolog. ſpectat.

4 Deducitur enim deſcriptio exiſtentiæ ex ipſa nominis etymologia, nam *exiſtere* idem ſonat, ac *extra ſiſtere*, & ſic *exiſtentia* idem eſt, ac *extra ſiſtentia*; quapropter id, quod exiſtit dicitur ſiſtere extra cauſas; quia antea ſolum erat intra virtutem cauſarum, dicitur ſiſtere extra nihil ſui, quia antea nihil erat in actu, & dicitur ſiſtere extra potentialitatem, quia antea ſolum erat in potentia.

5 Dicimus 3. eſſentia ante exiſtentiam nullum eſſe reale actuale habet. Hæc concluſio, licet diverſimodè explicetur, in re videtur ab omnibus admitti (abſtinemus pro nunc à celeberrimis diſputationibus circa rerum poſſibilitatem, & tantum quaſi recitativè loquimur, ad aliqualem notitiam tam eſſentiæ, quam exiſtentiæ) igitur conveniunt omnes; eſſentias rerum quoad connexionem prædicatorum eſſe æternas, quod non intelligunt ita ut aliquod eſſe actuale habeant in ſe ab æterno, ſic enim ſolus Deus eſt æternus, alias cùm eſſe poſſibile non ſit quid productum, daretur aliquod *eſſe* in actu improductum, & conſequenter independens, quod non eſſet Deus, & certum eſt, hoc manifeſtè repugnare, ſed ſolum intelligitur, ita ut prædicata eſſentialia quoad ſuam connexionem ſint talis naturæ, quod talis connexio nullatenus ab aliquo extrinſeco dependet, nec eſt contingens, ſed neceſſaria ex ipſa intrinſeca ratio-

ne prædicatorum: & in hoc ſenſu propoſitiones, quæ fiunt circa rerum eſſentias, & circa alia, quæ cum eſſentiis neceſſariò connectuntur, dicuntur æternæ veritatis, & etiam in hoc ſenſu dicuntur eſſentiæ rerum ingenerabiles, & incorruptibiles, quia ſcilicet per generationem, & corruptionem neque recipiunt neque amittunt prædictam connexionem prædicatorum, abſolutè tamen generabiles, & corruptibiles ſunt, cùm verè à ſuis cauſis recipiant, & amittant eſſe actuale.

6 Deinde conveniunt omnes, eſſentias rerum ab æterno cognoſci à Deo; & in hoc ſenſu dicuntur eſſentiæ habere *eſſe* cognitum ab æterno, quod *eſſe* ab Scotiſtis cum Subtili Magiſtro appellari ſolet *eſſe diminutum*, ſed hoc non eſt tribuere rebus, ſeu eſſentiis rerum aliquod eſſe actuale, ſed tantum cognoſcere illas ſecundum ſe, ſecundùm connexionem prædicatorum, & ſecundùm poſſibilitatem earum; unde loquendo de actualitate rerum poteſt dici, quod creaturæ ab æterno ſunt purum nihil actuale; ſed ablato ly *actuali*, non poſſunt dici purum nihil: quia ſunt aliquid poſſibile, ſeu in potentia, ut ab impoſſibilibus ſecernantur, quæ nihil, adhuc poſſibile, ſeu in potentia ſunt.

7 Rurſus etiam conveniunt omnes, rerum eſſentias tripliciter poſſe conſiderari. Primò præciſè ſecundùm ſe; in quo ſenſu totaliter abſtrahunt ab exiſtentia, & ipſam nullatenus connotant, ſed tantùm dicunt illam connexionem neceſſariam prædicatorum: & ut ſic dicuntur eſſe in potentia logica. Secundò, ut ſunt objecta Divinæ omnipotentiæ, quæ ſuppoſita prædicta non repugnantia, poteſt illas producere, & in actuali exiſtentia conſtituere; & in hoc ſenſu dicuntur eſſe in potentia objecta, & in ſtatu poſſibilitatis ad exiſtẽdum, & ut ſic connotant exiſtentiam, qua formaliter in actu, & extra cauſas (in quarum virtute in ſtatu poſſibilitatis continen-

nentur) poſſunt conſtitui. Tertiò ut habent eſſe actuale extra ſuas cauſas, & ut ſic dicuntur exiſtere formaliter per exiſtentiam.

8 Dicimus 4. exiſtentia eſt quid reale, & intrinſecum rei exiſtenti. Hæc concluſio etiam ab omnibus admittitur, & ratio pro illa eſt; quia res dicitur realiter exiſtere per exiſtentiam: g. exiſtentia eſt aliquid reale. Quòd ſit quid intrinſecum, patet, quia res exiſtit per exiſtentiam, quaſi in genere cauſæ formalis; ſed non per exiſtentiam, tanquam per formam extrinſecam, & in alio ſubjectatam, ut ex ſe patet: g. per exiſtentiam, tanquam per formam intrinſecam ipſi rei.

9 Dicimus 5. exiſtentia dicitur actus eſsentiæ. Patet, quia per exiſtentiam res, quæ anteà ſolùm erat in potentia, dicitur eſse in actu: g. exiſtentia eſt actus eſsentiæ. Communiter dicitur, quòd exiſtentia eſt ultimus actus eſsentiæ, licet hoc diverſimode explicetur; ex Scoto autem in 2. d. 3. q. 3. §. *Contra iſtud, verſ. Per hoc patet*, lit. C. ſic intelligitur; quòd ſcilicet, exiſtentia dicitur ultimus actus eſsentiæ, quia ſupponit totum eſse eſsentiæ completum ſecundùm actus metaphyſicos differentiarum, & ut ſic in ſuo eſse completo ſupponit eſsentiam conſtitutam, non ſecundùm ſuum eſse reale actuale; quia, ut dictum eſt, ante exiſtentiam nullum eſse reale actuale datur; ſed ſecundùm ſuum eſse objectivum: eo quòd, dum res intellectui objicitur, iſte abſtrahit eſsentiam ab exiſtentia, conſiderando eſsentiam, ut priorem, exiſtentiam verò, ut poſteriorem, ac veluti ultimum illius actum. Poteſt etiam exiſtentia dici actus primus eſsentiæ; & quia eſt primus reſpectu omnium operationum, & attributorum accidentalium, quæ neceſſariò ſupponunt rem exiſtentem; & quia eſt id, quod primò convenit eſsentiæ, dum extra ſuas cauſas ponitur, quippe eſt id, quo eſsentia ponitur formaliter à parte rei, ſeu in rerum natura, & extra ſuas cauſas,

ſas. Circa has concluſiones ſic propoſitas nulla videtur eſſe controverſia.

QUÆSTIO II.

An exiſtentia realiter ab eſſentia diſtinguatur?

1 HÆc difficultas, quæ celebris eſt in utraque ſcola, non procedit de actuali exiſtentia cum eſſentia in ſtatu poſſibilitatis comparata; nam ut ſic, certum eſt apud omnes, eſſentiam non eſſe realiter exiſtentiam, cum eſſentia in ſtatu poſſibilitatis non ſit realiter exiſtens ſed tamen eſt advertendum, quod hæc non identitas, ſeu diſtinctio non eſt quoad entitatem ſed quoad ſtatum, idem enim Petrus v. gr. eſt, qui actualiter exiſtit, & qui erat antea in ſtatu poſſibilitatis, licet in diverſo ſtatu; ſtatus enim exiſtentiæ, & poſſibilitatis diverſi ſunt: procedit ergo difficultas de eſſentia actuali cum exiſtentia comparata (& ſuo modo poteſt procedere de eſſentia poſſibili cum exiſtentia poſſibili, eo modo, quo exiſtentia poteſt dici poſſibilis, comparata) circa illam eſt duplex ex diametro oppoſita ſententia, quarum affirmativa ab omnibus Thomiſtis cum Angelico Præceptore defenditur, negativa verò ab omnibus Scotiſtis cum Subtili Magiſtro firmiter tenetur; quam etiam tuentur communiter Jeſuitæ. Pro illa

2 Dicimus, eſſentia non diſtinguitur realiter ab exiſtentia. Sic Scotus in 1. diſt. 36. qu. unic. & in 2. diſt. 1. q. 2. & diſt. 16. q. unica, §. *Rationes iſta*, & in 3. diſt. 6. q. 1. & in diſt. 11, qu. 3. §. *Ad rationes*, & d. 13. qu. 1. §. *De tertio*, *verſ. Ad rationes*, & aliis in locis.

3 Prob. 1. quia exiſtentia eſt id, quo formaliter res ponitur extra nihil, & extra ſuas cauſas: ſed per ſuam actualem eſſentiam ponitur res extra nihil, & extra ſuas cauſas: erg. actualis eſſentia

ſentia non diſtinguitur realiter ab exiſtentia. Mai. eſt deſcriptio exiſtentiæ. Probatur min. quia per id aliquid ponitur extra ſuas cauſas, & extra nihil, per quod opponitur ſui non eſſe: ſed res per ſuam actualem eſſentiam opponitur ſui non eſſe: g. res per ſuam actualem eſſentiam ponitur extra ſuas cauſas, & extra nihil: g. per ſuam actualem eſſentiam dicitur res formaliter exiſtens, ac per conſeq. exiſtentia realiter ab eſſentia actuali non diſtinguitur.

4 Communis Thomiſtarum reſponſio ad hanc rationem eſt, quod exiſtentia eſt id, quo res formaliter ponitur extra ſuas cauſas, & extra nihil ultimate, & complete, non autem id, quo res ponitur formaliter extra ſuas cauſas, & extra nihil imperfecte, incomplete, & vitaliter, ſeu initiative; inquiunt enim, quod eſſentia actualis pro priori ad exiſtentiam, ut habet actualitatem eſſentiæ, eſt in quodam ſtatu vitali, & in potentia proxima ad exiſtentiam, non autem eſt formaliter complete exiſtens, quoad uſque pro poſteriori exiſtentiam, quæ eſt ultimus actus, & ultima actualitas in linea entis, recipiat. Hic modus dicendi valde ſubtiliter impugnatur a quodam moderno, & doctiſſimo Thomiſta, ut videre eſt in Phyſica Collegii Complutenſis D. Thom. qu. 3. de materia prima a nu. 162. uſque ad 170. videatur, ſi placet. Nunc autem

5 Contra eſt primò, quia res pro illo priori actuali ad exiſtentiam à contrariis aſſignato eſt totaliter extra ſuas cauſas; erg. pro illo priori eſt formaliter complete exiſtens. Antec. patet, quia illud eſt totaliter extra ſuas cauſas, quod ſecundum omnes ſuas partes eſt productum; ſed pro illo priori res eſt ſecundum omnes ſuas partes producta; ergo pro illo priori eſt totaliter extra ſuas cauſas. Prima conſeq. prob. quia illud eſt formaliter complete exiſtens, quod totaliter terminat actionem ſuæ cauſæ productivæ; ſed pro illo priori terminat res totaliter actionem

ſuæ cauſæ productivæ: erg. pro illo priori eſt res formaliter completè exiſtens. Mai. eſt certa; quia actio productiva rei ſiſtit in rei exiſtentia, nihil enim aliud intendit cauſa, quam effectum in exiſtentia producere. Min. prob. quia pro illo priori eſt tota res producta, quin aliqua pars, ſeu aliquod prædicatum illius reſtet producendum: g. pro illo priori terminat res totaliter actionem ſuæ cauſæ productivæ.

6 Contra 2. (& hac impugnatione occluduntur aliquæ reſponſiones) pro illo priori ad exiſtentiam res habet actualitatem eſſentiæ: g. pro illo priori exiſtit complete, & conſequenter non indiget exiſtentia ſuperaddita. Antec. continetur in reſponſione contrariorum. Prob. conſequ. quia in quo ſigno habet aliquid actualitatem eſſentiæ, dicitur eſſe actualiter in rerum natura; ſed pro quo ſigno aliquid eſt in rerum natura actualiter, exiſtit complete: erg. res pro illo priori complete exiſtit. Mai. patet; quia pro quo ſigno aliquid eſt extra potentiam obiectivam, eſt actualiter in rerum natura; ſed pro quo ſigno habet aliquid actualitatem eſſentiæ, eſt extra potentiam obiectivam: g. pro quo ſigno aliquid habet actualitatem eſſentiæ, eſt actualiter in rerum natura. Min. autem prob. quia actualitas oppoſita potentiæ obiectivæ eſt actualitas exiſtentiæ; ſed pro quo ſigno aliquid eſt actualiter in rerum natura, habet actualitatem oppoſitam potentiæ obiectivæ: erg. pro quo ſigno aliquid eſt actualiter in rerum natura, habet actualitatem exiſtentiæ: erg. actualitas eſſentiæ aſſignata pro illo priori, eſt etiam actualitas exiſtentiæ, & conſeq. non eſt ponenda exiſtentia ſuperaddita, ut quælibet eſſentia complete exiſtat.

7 Contra 3. quia vel illa actualitas eſſentiæ eſt aliquid oppoſitum ex ſua ratione formali potentiæ obiectivæ, vel non? Si non: pro illo priori ad exiſtentiam nullam realem actuali-

ta-

tatem habet eſſentia. Patet conſeq. nam potentia objectiva omnem actualitatem excludit; g. dicendum eſt primum, ſcilicet, quòd actualitas eſſentiæ opponitur potentiæ objectivæ, ſed omne, quod opponitur potentiæ objectivę opponitur non exiſtentiæ actuali; erg. dicit actualem exiſtentiam; & conſequenter exiſtentia non eſt quid ſuperadditum eſſentiæ actuali.

8 Deinde poteſt inquiri, an illud eſſe actuale eſſentiæ ſit realiter diſtinctum ab eſſentia, vel non ſi eſt; aliquid realiter diſtinctum; g. eſſentia pro priori ad illud eſſe, debet præſupponi cum alia actualitate ad illud recipiendum, ſicut præſupponitur cum illo ad recipiendā exiſtentiam realiter diſtinctam. Et tunc de illa actualitate idem poſſe inquiri, & ſic in infinitum, quòd non admittitur; g. dicendum eſt ſecundum, ſcilicet, quòd eſſe actuale eſſentiæ nō diſtinguitur realiter ab eſſentia; g. neque eſſe exiſtentiæ realiter ab eſſentia diſtinguitur. Prob. conſeq. quia ex eo ponitur exiſtentia realiter ab eſſentia diſtincta, ne eſſentia ſit illimitata; ſed esſentia eſt limitata per illud eſse actuale eſsentiæ realiter ab illa indiſtincto; g. ut ſit limitata non exigit aliquid ab illa realiter indiſtinctum. Prob. min. quia per illud eſse actuale eſsentiæ exprimit eſſentia eſse ab alio, tamquam à cauſa illam extrahente à ſtatu puræ poſſibilitatis, in quo antea erat; ſed quod exprimit eſse ab alio, tanquam à cauſa illud extrahente à ſtatu puræ poſſibilitatis, in quo antea erat, exprimit illius limitationem; erg. eſsentia eſt limitata per illud eſse actuale eſsentię realiter ab illa indiſtinctum, ac per conſeq. &c.

9 Propter hæc aliqui reſpondent; quòd eſsentia pro priori ad exiſtentiam exiſtit non per aliquid, per quod eſt prior ipſa exiſtentia ſuperaddita, ſed per ipſam ſuperadditam exiſtentiam, à qua nequit eſsentia pro illo priori præſcindi. Subtilis quidem reſponſio;

ſed contra eſt 1. eſſentia pro illo priori non eſt in potentia objectiva, ſed in actu: ſed nequit eſſe in actu per aliquid poſterius ipſa: erg. nequit eſſe in actu per advenientem exiſtentiam. Min. prob. quia nequit haberi effectus formalis per aliquid poſterius ipſo effectu formali, cauſa enim neceſſariò eſt prior ſuo effectu: ſed illud eſſe in actu, juxta ſic reſpondentes, eſt effectus formalis exiſtentiæ: erg. nequit provenire à forma poſteriori ipſo actu: ſed exiſtentia ſuperaddita eſt poſterior actu, quem habet eſſentia pro illo priori: g. talis actus nequit ab exiſtentia ſuperaddita provenire.

10 Contra 2. quia quando aliqua realiter diſtinguuntur, ſicuti unum non eſt aliud, ita poteſt unum ſine alio concipi: g. ſi actualis eſſentia diſtinguitur ab exiſtentia, ſicuti eſt verum dicere; *Eſſentia actualis non eſt exiſtentia*, ita poterit eſſentia actualis ſine exiſtentia concipi; ſed nequit concipi eſſentia actualis ſine exiſtentia, quippè, juxta reſponſionem, adhuc in illo priori, nequit ab exiſtentia præſcindi; g. actualis eſſentia ab exiſtentia nequit realiter diſtingui.

10 Confirm. quia, ſi eſſentia actualis diſtinguitur realiter ab exiſtentia, hæc adveniret eſſentiæ actuali, & hæc illam tamquam formam reciperet; g. poſſet concipi eſſentia actualis, ut potens recipere exiſtentiam; ſed, ut potens recipere exiſtentiam eſt prior ipſa exiſtentia; potentia enim prior eſt actu; erg. ut potens recipere exiſtentiam nihil habet formaliter ab exiſtentia; ſed, ut potens recipere exiſtentiam eſt eſſentia actualis, non enim eſſentia poſſibilis; ſed eſſentia actualis recipit exiſtentiam; g. poteſt concipi eſſentia actualis ſine exiſtentia ſuperaddita, imò habet eſſe actuale ſine ſuperaddita exiſtentia.

11 Contra 3. extrema diſtinctionis realis ita ſe habent (maximè quando unum extremum non includit aliud, ut partem illius) ut quod-

libet

libet per ſe, & ratione ſui, excluſo quocumque alio, ab alio diſtinguatur: erg. ſi eſſentia actualis dictingitur realiter ab exiſtentia, per ſe, & ratione ſui, ſecluſo quocumque alio, ab illa diſtinguitur: g. ſecluſa exiſtentia ſuperaddita, habet eſſentia actualis quidquid requiritur, ut diſtinguatur ab illa: ſed ut eſſentia actualis diſtinguatur exiſtentia neceſſariò requiritur actualitas ipſius eſſentiæ: erg. eſſentia actualis habent actualitatem independenter ab exiſtentia realiter diſtincta.

12 Confirm. quia ſi eſſentia actualis habet actualitatem ab exiſtentia, ſicut diſtingitur realiter ab exiſtentia, ita diſtingueretur realiter à ſua actualitate; nequit enim aliquid diſtingui realiter ab aliqua forma, quin etiam ab effectu formali illius diſtinguatur; ſed eſſentia actualis non diſtinguitur realiter à ſua actualitate: erg. neque ab exiſtentia diſtingui realiter poteſt. Mai. eſt certa, min. prob. quia id, per quod aliquid conſtituitur aptum extremum diſtinctionis ab alio, nequit realiter diſtingui ab illo conſtituto, ut tali; ſed actualitas conſtituit eſſentiam extremum diſtinctionis eb exiſtentia: erg. actualitas nequit realiter diſtingui ab eſſentia actuali, ut tali. Mai. videtur certa, min. prob. quia eſſentia eſt extremum diſtinctionis realis ab exiſtentia, quatenus poteſt fundare relationem realem, quam importat realis diſtinctio: ſed ab actualitate habet eſſentia poſſe fundare talem relationem realem; g. ab actualitate habet eſſe extremum talis diſtinctionis ab exiſtentia. Min. videtur certa; quia non eſſentia ut ſic, ſed eſſentia actualis ponitur diſtincta realiter ab exiſtentia.

31 Neque valet, quod aliqui reſpond. ſcilicet actualitatem eſſentiæ non eſſe rationem formalem, qua eſſentia actualis ab exiſtentia diſtinguitur, ſed tantum conditionem neceſſariam. Hoc non valet; nam licet actualitas ſit

tantùm conditio neceſſaria, nequit ab aliquo poſteriori realiter diſtincto provenire: g. nequit provenire ab exiſtentia adveniente, & realiter diſtincta. Prob. antec. quia eſſentia pro priori ad aliquod adveniens eſt extremum diſtinctionis: erg. pro priori ad quodlibet adveniens habet conditionem requiſitam, ut extremum diſtinctionis ſit; g. ſi actualitas eſt conditio, ut diſtinguatur ab exiſtentia adveniente, pro priori ad extiſtentiam habet actualitatem; g. talis actualitas nequit illi ab exiſtentia poſteriori provenire, ac per conſeq. ad actualitatem eſſentiæ; nulla exiſtentia raliter ab illa diſtincta eſt neceſſaria. Plures aliæ impugnationes videri poſſunt apud Maſtr. in met. diſp. 8. q. 2.

14 Prob. 2. concluſio; quæ realiter diſtinguuntur, poſſunt, ſaltim ſupernaturaliter ſeparari, niſi aliunde repugnet; ſed ſi eſſentia actualis diſtinguitur ab exiſtētia realiter, ex nullo capite repugnat illarum ſeparatio; g. ſi diſtinguuntur realiter, realiter ſeparari poſſunt. Mai. eſt maxima in omni ſchola recepta. Min. prob. quia inſeparabilitas aliquorum realiter diſtinctorum ſolùm poteſt provenire, vel quia ſunt ſimul natura, ut contingit relativis, vel quia, ſi ſint abſoluta, unum eſt prius, à quo dependet poſterius ſed eſſentia, & exiſtentia non ſunt relativæ, neq; quoad ſuum eſſe actuale dependet exiſtentia, quæ eſt poſterior, ab eſſentia, quæ eſt priori g. ſi diſtinguuntur realiter non ſunt inſeparabiles, neque repungat ſeparari; ac per conſeq. &c.

15 Aliqui reſpond. quòd repugnantia ſeparations eſſentiæ ab exiſtentia ſtat in eo, quòd eſſentia quoad rationem eſſendi dependet ab exiſtentia; & ſic nequit ſine illa actualitatem eſſendi habere, & ſic neque ab illa actualiter ſeparari. Sed contra eſt; quia quælibet dependentia neceſſariò ordinatur ad aliquod prius; nam prius dat eſſe poſteriori; non verò è contra; ſed eſsentia eſt prior exiſtentia; erg. quoad ratio-

nem eſsendi nequit eſſentia ab exiſtētia poſteriori dependere Plura ex ſupradictis ad hanc reſponſionem impugnandam conducunt.

16 Propter quæ alii reſp. verum eſse eſsentiam poſse ſeparari ad exiſtentia, non abſolutè, ita ut ſine exiſtentia aliqua poſſit eſſe in rerum natura, ſed diſtribuit, ita ut poſſit eſse ſine hac, vel illa exiſtentia. Sed contra eſt primò; quia ſi poteſt eſsētia ſine quacumque exiſtentia diviſivè, eſse actu in rerum natura, etiam poterit ſine quacumque collectivè; erg non tenet reſponſio. Antec. prob. ex dictis in Phyſica lib. 1. diſput. 2. q. 3. loquendo de materia prima, per illam maximam Scoti; *Quidquid contingenter ſe habet ad quodlibet cuiuslibet generis abſoluti, contingenter ſe habet ad illiud genus abſolutum*. Videantur ibi dicta, ne iterum repetantur. Contra 2. quia ex tali reſponſione ſequerentur aliqua abſurda, quæ etiam poſsunt videri, lib. 1. Phyſic. diſp. 2. q. 1. dicendum eſt ergo eſſentiam actualem ab exiſtentia ſeparari non poſse, & hanc inſeparabilitatem non ex alio capite, niſi ex illarum reali identitate provenire.

17 Prob. 3. concluſio; quia ſi eſsentia diſtingueretur realiter ab exiſtentia, eo eſset, quia eſsentia eſt indifferens ad exiſtendum, vel non exiſtendum unde videtur habere aliquid quando exiſtit, quod non habebat, quando non exiſtebat; ſed hoc non ſufficit, ut realiter diſtnguantur; erg. Prob. min. quia ipſa rei exiſtentia exiſtit per ſeipſam ſine aliquo ſuperaddito realiter ab illa diſtincto; ſed ipſa exiſtentia eſt indifferens ad exiſtendum, vel non exiſtendum, quippè aliquando actu exiſtit, aliquando non, ut eſt evidens; erg. indifferentia eſsentiæ ad exiſtendum, vel non exiſtendum non eſt ſufficiens ad diſtinguendam illam realiter ab exiſtentia.

18 Aliqui reſp. neg. min, & mini Prob. quia, inquiunt, exiſtentia ex ſuo conceptu formali dicit actu exiſtere, ſic nequit eſse indifferen-

da

ad exiſtere, vel non exiſtere. Sed contra eſt; quia ſi exiſtẽtia ex ſua ratione formali dicit neceſſario actu exiſtere, ſemper neceſſario actualiter exiſteret; ſed non ſemper neceſſario actualiter exiſtit; g. non dicit de ſuo conceptu formali neceſſariò actu exiſtere; g. eſt indifferens, ut actu exiſtat, vel non exiſtat; ac per conſeq. &c. Confirmatur; quia exiſtentia habet ſuum eſſe reale; ſed non eſſe reale improductum, & increatum; aliàs eſſet Deus; g. productum, & creatum; ſed quod habet eſſe reale productum, & creatum, prius habuit eſſe poſſibile, eſſe obiectivum, ſeu eſſe non actuale; g. ſicut eſſentia per hoc dicitur indifferens ad exiſtendum, & non exiſtendum, ita & exiſtentia.

19 Ex hoc roboratur noſtra ratio; exiſtentia per hoc pręcisè quòd terminet actionem productivam ſine aliquo ſuperaddito eſt formaliter actu exiſtens; g. ſimiliter eſſentia per hoc præcisè, quòd actionem productivam terminet, & ſine aliquo ſuperaddito erit formaliter exiſtens.

20 Reſp. neg. conſeq. quia, inquiunt, exiſtentia cùm ſit ratio formalis exiſtendi non indiget exiſtentia ſuperaddita, ut actu exiſtat; eſſentia vero indiget exiſtentia ſuperaddita, eo quod nõ ſit ratio formalis exiſtendi. Sed contra eſt; quia ex eo deducitur à contrariis, eſſentiam non eſſe rationem formalem exiſtendi, & indigere aliquo ſuperaddito ad actualiter exiſtendum; quia poteſt actu exiſtere, vel non exiſtere; ſed exiſtentia poteſt actu exiſtere, vel non exiſtere, ut patet ex dictis; g. etiam debet colligi exiſtentiam non eſſe rationem formalem exiſtendi, & indigere aliquo ſuperaddito, ut realiter actu exiſtat.

21 Et poteſt confirmari; quia ſi unio eſſet indifferens ad unire, & non unire aliqua extrema, non eſſet unde colligeretur eſſe rationem formalem uniendi, & non indigere alia unione; g. ſi exiſtentia eſt indifferens ad actu exiſtere, vel non exiſtere, non eſt unde colligatur, eſſe ratio-

nem

nem formalem exiſtendi, & non indigere alia exiſtentia: ne ergo dicatur, exiſtentiam exiſtere per aliam exiſtentiam ſuperadditam, & ab illa realiter diſtinctam, dicendum eſt, eſſentiam non exiſtere per exiſtentiam ab illa diſtinctam realiter.

22 Ne ex dictis aliqua oriatur æquivocatio maximè obſervare oportet, quod de conceptu formali exiſtentię actualis eſt conſtituere eſſentiam actualiter exiſtentem; de conceptu verò formali exiſtentiæ poſſibilis eſt conſtituere eſſentiam potentialiter exiſtentem; & ſic ſemper debet loqui de eſſentia, & exiſtentia proportionaliter ſumptis. Obſervare etiam oportet, quòd poſſibilitas exiſtentiæ non debet explicari, ita ut dicatur: *Exiſtentia eſt in potentia ad exiſtentiam*, ſi cuti non dicitur: *Albedo eſt in potentia ad albedinem*: ne videatur in terminis implicatio, ſed ita ut dicatur; *Exiſtentia, quæ eſt in ſtatu poſſibilitatis poteſt eſſe in ſtatu actualitatis*; ſicuti dicitur; *Albedo, quæ eſt poſſibilis, poteſt eſſe in actu*. Hoc enim modo potentia obiectiva cuiuſcumq; rei explicatur, niſi de nomine fiat contentio.

23 Pluribus argumentis inſurgunt Thomiſtę contra noſtram concluſionem, ſuam ſententiam intendentes ſtabilire, ex quibus præcipua tantùm attingemus, & ex quorum ſolutione ad alia haud difficilè deduci poterit ſolutio. Arg. igitur 1. exiſtentia contingenter convenit eſſentiæ; ſed quod convenit alicui contingenter realiter ab illo diſtinguitur; g. exiſtentia diſtinguitur realiter ab eſſentia. Mai. patet; quia exiſtentia poteſt ab eſſentia deficere; quippè poteſt eſſentia non exiſtere, ſeu non habere exiſtentiam; erg. exiſtentia contingenter convenit eſſentiæ. Reſp. diſting. mai. exiſtentia contingenter convenit eſſentiæ, ut exiſtentia dicit aliquod prædicatum reale, ſive phyſicum, ſive metaphyſicum, nego; ut exiſtentia dicit ſtatum actualitatis, ſubdiſtinguo; contingenter covenit eſſentiæ ſecun-

cundum ſe conſideratæ, concedo; eſsentiæ actuali, nego. Similiter diſting. min. quod convenit alicui contingenter, realiter ab illo diſtinguitur, ſi convenit illi contingenter ſecundum quod dicit aliquod prædicatum, ſive phyſicum, ſive metaphyſicum, admitto, ſi conveniat illi contingenter ſecundum quod dicit aliquem ſtatum, ſubdiſtinguo, diſtinguitur ab illo ſecundum ſe conſiderato, concedo; ſecundum quod eſt in illo ſtatu, neg. & ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens.

24 Ut vis huius ſolutionis percipiatur, præ oculis habendum eſt, quod iam eſt attactum, ſcilicet, hic fieri comparationem inter eſsentiam actualem, & actualem exiſtentiam; & ſimiliter inter eſsentiam poſſibilem, & poſſibilem exiſtentiam; & ſicut exiſtentia poſſibilis eſt ratio, qua eſsentia eſt potens exiſtere, ita exiſtentia actualis eſt ratio, qua eſsentia actualiter exiſtit; unde communiter dicimus, quod exiſtentia (creata) eſt ratio conſtituens rem extra ſuas cauſas, & extra nihil; quod debet intelligi, vel poſſibiliter, vel actualiter iuxta ſtatum exiſtentiæ.

25 Nunc quando dicimus, exiſtentiam contingenter convenire eſsentiæ, non debet intelligi, ita ut prædicatum, ſeu entitas exiſtentiæ contingenter conveniat eſsentiæ, in quocumque enim ſtatu accipiatur, eſsentia habet neceſsario annexam exiſtentiam, ſi in ſtatu poſſibilitatis, exiſtentiam, ut poſſibilem; ſi in ſtatu actualitatis, exiſtentiam, ut actualem; debet autem intelligi, ita ut ſtatus exiſtentiæ contingenter conveniat eſsentiæ; ſecundum ſe ſumptæ, nam contingenter convenit illi eſse ſub ſtatu actualitatis exiſtentiæ, vel poſſibilitatis illius, nam jam ſub uno, iam ſub alio ſtatu eſse poteſt. Vnde diſtinctio eſsentię ab exiſtentia numquam eſt ſecundum entitates eſsentiæ, & exiſtentiæ, ſed ſecundùm ſtatum; ita ut eſsentia ſimul cum exiſtentia, ut eſt in ſtatu actualitatis diſtinguatur

ab

ab ſtatu poſſibilitatis, non quia entitativè dicat in ſtatu actualitatis aliquod prædicatum reale ſuperadditum prædicatis, quos dicebat in ſtatu poſſibilitatis, quo dicatur exiſtere, ſed quia ſtatus ſunt diverſi; ſicuti in ſimili diximus in phyſica loquendo de motu materialiter ſumpto, quod ſcilicet, diſtinguitur realiter a termino, non entitativè, ſed ſecundum ſtatum. Cum quo videtur argumentum ſufficienter ſolvi.

26 Deinde adhuc poteſt retorqueri in contrarios: nam exiſtentia contingenter ſe habet ad actualitatem, cum poſſit actu exiſtere, vel non exiſtere, cum antequam actu exiſtat, eſt poſſibilis: g. diſtinguitur realiter ab actuali exiſtentia; quæ conſeq. nullatenus admittitur à contrariis, quippè falſa eſt; nam ſolum eſt verum, quod eſt indifferens ad actu exiſtere, vel non exiſtere; non prout actu exiſtere dicit aliquod prædicatum realiter ab exiſtentia diſtinctum, ſed prout actu exiſtere dicit diverſum ſtatum a ſtatu poſſibilitatis.

27 Dices contra: ergo exiſtentia neceſſariò convenit eſſentiæ creatæ. Patet conſeq. quia id, quod ab aliquo realiter non diſtinguitur neceſſario illi convenit: ſed conſeq. eſt falſum: g eſſentia realiter diſtinguitur ab exiſtentia. Prob. min. quia ſoli Deo convenit neceſſario exiſtentia. Reſp. diſting. conſeq. exiſtentia neceſſario convenit eſſentiæ creatæ entitativè, & præſcindendo ab ſtatibus, concedo; ſecundum ſtatum actualitatis, nego. Et ſimiliter diſtinguitur totum argumentum uſque ad probationem minoris, quæ conſequenter ſic debet diſtingui. Soli Deo convenit neceſſario exiſtentia entitativè præcisè, nego; entitativè, & quoad ſtatum actualitatis ſimul, concedo. Etenim Deus exiſtit neceſſario actualiter, non eo præcisè quod exiſtentia non diſtinguatur realiter ab eſſentia Divina, ſed ex eo quod eſſentia Divina

eſt

eſt omnino improducta, & independens ab aliqua extrinſeca cauſa contingenter productiva; unde tam actualitas eſſentiæ, quam exiſtentiæ divinæ dicitur neceſſario; at vero eſſentia creata licet realiter cum exiſtentia identificetur, non tamen dicitur, neque eſt actualiter exiſtens neceſſario, cum ſit producibilis, & dependens a cauſa extrinſeca illa contingenter producente; unde tam actualitas eſſentiæ, quam exiſtentiæ creatæ eſt contingens.

28 Ubi advertendum eſt, quod quando dicimus, eſſentiam creatam poſſibilem realiter identificari cum exiſtentia creata poſſibili, non debet intelligi, ita ut actualiter identificetur, ſed tantum poſſibiliter, non ita ut ſint extrema actu realiter diſtincta, & potentia identificabilia, nam hoc eſt impoſſibile, quæ enim ſemel realiter diſtinguuntur, nunquam poſſunt realiter identificari; ſed ita ut ſint extrema non actu identificata; quia non actu exiſtentia; poſſibilia tamen actu identificari, quia poſſibilia actu exiſtere, in ſtatu enim poſſibilitatis, cum nihil ſit in actu, nequit verificari de aliquibus prædicatis, neque quod ſint actu idem; neque quod ſint actu diſtincta. Unde hæc propoſitio juxta modum loquendi non eſt admittenda: *Antichriſtus eſt exiſtens*; quia juxta modum loquendi, ly *exiſtens* accipitur pro actualitate exiſtentiæ, quam nunc Antichriſtus non habet. Si autem ly *exiſtens* præſcindat ab ſtatu actualitatis, in hoc ſenſu poteſt admitti; nam idem eſt ac dicere: *Antichriſtus eſt exiſtens poſſibiliter*; ſicut admittitur hæc: *Antichriſtus eſt animal rationale*, eo quod, cum ly *animal rationale* præſcindat ab ſtatu actualitatis, non facit hunc ſenſum: *Antichriſtus eſt actu animal rationale*; bene tamen hunc: *Antichriſtus eſt animal rationale in potentia*. Hoc bene intellecto plura argumenta ſolvuntur, quæ ratione terminorum in æquivoco videntur laborare.

Replic.

29 Replic. contra dicta nu. 27. Filius æternus à Patre æterno producitur; ſed Filius neceſſario actualiter exiſtit; g. quod eſſentia creata producatur ab aliqua cauſa, non eſt ratio, cur ſemper actu non exiſtat, ſi alias ſecum identificat exiſtentiam. Reſp. diſting. mai. Filius æternus producitur a Patre neceſſario, ita ut non poſſit ab illo non produci, concedo; contingenter, itaut poſſit ab illo non produci, nego, & conceſſa min. nego conſeq. quia eſſentia creata ita producitur à ſuis cauſis, ut poſſit non produci, & ſic producitur contingenter, quod evidenter oſtendit non neceſſario actu exiſtere, licet ſecum identificet exiſtentiam.

30 Arg. 2. terminus generationis realiter diſtinguitur ab illo, quod non eſt terminus generationis; ſed exiſtentia eſt terminus generationis, non vero eſſentia; erg. exiſtentia realiter diſtinguitur ab eſſentia. Prob. min. quia eſſentiæ rerum non ſunt generabiles, & corruptibiles, benè tamen exiſtentiæ. Reſp. neg min. quia ſicut producitur exiſtentia, ita producitur eſſentia. Ad prob. dicimus, quod quando dicitur, eſſentias rerum eſſe ingenerabiles, & incorruptibiles, ſolum intelligitur attendendo ad connexionem prædicatorum, ita ut ſint quoad talem connexionem invariabiles, ſive enim homo exiſtat, ſive non, ſemper dicitur animal rationale, quin per generationem accipiatur, nec per corruptionem deſtruatur talis prædicatorum connexio, oritur enim ex illa extremorum formali ratione; & propter hoc propoſitiones, quæ fiunt attenta hac connexione dicuntur æternæ veritatis, tamen quoad eſſe, vel non eſſe actuale ſunt verè generabiles, & corruptibiles, per generationem enim ſicut producitur exiſtentia hominis, ita producitur illius eſſentia, quoad eſſe actuale & extra cauſas. & per corruptionem ſicut deſtruitur exiſtentia hominis, ita illius exiſtentia deſtruitur quoad eſſe actuale, & extra cauſas.

Unde

Unde terminus generationis non dicitur ſola exiſtentia, ſed eſſentia exiſtens.

31 Arg. 3. Nihil poteſt eſſe in potentia ad ſe ipſum: ſed eſſentia eſt in potentia ad exiſtentiam: g. eſſentia diſtinguitur realiter ab exiſtentia. Reſp. diſting. mai. nihil poteſt eſſe in potentia ſubiectiva ad ſe ipſum, concedo; in potentia obiectiva, nego. Similiter diſting min. eſſentia eſt in potentia ſubiectiva ad exiſtentiam, nego; in potentia obiectiva, concedo, & nego conſeq. Etenim quod eſt in potentia ſubiectiva ad aliud, realiter ab illo diſtinguitur, hoc modo eſt materia prima in potentia ad recipiendam formam; quapropter ab illa realiter diſtinguitur; quod autem eſt tantum in potentia obiectiva non diſtinguitur ab actu ſibi correſpondente, quia licet ex modo loquendi videatur ſignificari aliquid diſtinctum ad quod dicitur aliquid eſſe in potentia obiectiva, in re tamen nihil diſtinctum ſignificatur; idem enim, quod eſt in potentia obiectiva, ſeu in ſtatu puræ poſſibilitatis ad exiſtendum, eo quod nondum terminavit actionem ſuæ cauſæ, in cuius virtute continetur, dicitur poſtea eſſe in actuali exiſtentia, quæ eſt actus correſpondens potentiæ obiectivè, per ſe ipſum ſine aliquo ſuperaddito, per hoc præciſè, quod terminat actionem ſuæ cauſæ productivæ.

32 Replic. exiſtentia recipitur in eſſentia: g. eſſentia eſt in potentia ſubiectiva ad exiſtentiam. Conſeq. eſt certa. Prob. antec. quia ſi exiſtentia non eſſet quid receptum in eſſentia eſſet purus actus; ſed purus actus eſt infinitus, & illimitatus; erg. Prob. mai. quia quod nullam potentialitatem includit eſt purus actus; ſed ſi exiſtentia non reciperetur in eſſentia nullam includeret potentialitatem; g. Prob. min. potentialitas ſolum poteſt provenire, ex eo quod forma eſt alicuius receptiva, vel ex eo quod eſt recepta; ſed exiſtentia non eſt receptiva alicuius; cum ſit ultimus actus; g. ſi non reciperetur in

eſſen-

eſſentia, nullam potentialitatem includit; ac per conſeq &c.

33 Reſp neg. antec. & maj. probationis, & deinde min. ſyllogiſmi, qua maj. prob. & ultimam min. Etenim exiſtentia non eſt ultimus actus abſolutè loquendo, ſed tantum dicitur ultimus actus reſpectu prædicatorum eſſentialium; at verò reſpectu prædicatorum accidentalium, & operationum, eſt primus actus: quapropter exiſtentia, licet non ſit actus receptus eſt tamen receptiva accidentium, & ab illis aliquomodo perfectibilis, imò ſimpliciter, & neceſſariò præſupponitur ad conſtituendam potentiam ſubjectivam, ſeu ſubjectum aptum, tam formæ ſubſtantialis, quam formarum accidentalium, & propter hoc diximus in Phyſica, materiam habere propriam exiſtentiam independenter à forma, & pro priori ad receptionem illius, & ſimiliter quodlibet ſubjectum accidentiũ pręſupponitur ad illa cum propria exiſtẽtia; nequit enim aliquid nõ exiſtens aliquas formas, ſive accidentales, ſive ſubſtantiales recipere.

34 Arg. contra; exiſtentia creata diſtinguitur ab exiſtentia Divina, in eo quod creata eſt recepta: Divina verò irrecepta; ergo exiſtentia creata recipitur in eſſentia, alias non haberet unde limitaretur; ſed nequit recipi in eſſentia, niſi ab illa realiter diſtinguatur; g.

35 Reſp diſting. antec. exiſtentia creata diſtinguitur à Divina, quia hæc eſt recepta, illa verò non; ſi per ly *recepta* intelligatur, quod recipiatur in aliquo tanquam forma in ſubjecto, nego; ſi intelligatur habere eſſe acceptum ab alio, concedo, & nego conſeq. Etenim ut exiſtentia creata dicatur limitata, nullatenus requiritur, quod in eſſentia recipiatur, quælibet enim res creata, ex ſe ipſa eſt formaliter limitata, & efficienter à cauſis ſuis: & ſic limitatio exiſtentiæ creatæ conſiſtit in hoc, quod non neceſſariò actualiter exiſtat, nec eſſentiam ſibi cor-

reſ-

reſpondentem faciat actualiter exiſtentem: quod quidem habet ex hoc, quod producitur à cauſa efficiente potente illam pro quolibet inſtanti conſervare, & deſtruere, non autem ex eo quod recipiatur in eſſentia realiter diſtincta; & in hoc diſtinguitur ab exiſtentia Divina, nam iſta habet neceſſariò ſuum eſſe actuale, ex eo quod non eſt producta, nec producibilis ab aliqua cauſa, à qua dependeat in conſervari, & quæ poſſit eam deſtruere, & propter hoc dicitur exiſtentia Divina infinita, & illimitata. Cùm hoc reſp. ad plures replicas.

36. Arg. 4. ſi eſſentia creata non diſtingueretur realiter ad exiſtentia, quælibet creatura eſſet exiſtens per eſſentiam: ſed ſolus Deus eſt exiſtens per eſſentiam; g. exiſtentia creata realiter diſtinguitur ab eſſentia. Reſp. neg. maj. in ſenſu, in quo intelligitur exiſtere per eſſentiam: per hoc enim intelligitur habere eſſe à ſe, & non communicatum ab aliqua cauſa, & ſic exiſtere neceſſariò; quod nullatenus habet eſſentia creata, cùm habeat ſuum eſſe actuale à ſuis cauſis communicatum, & ſic exiſtit contingenter. Si autem per ly *exiſtere per eſſentiam* intelligatur exiſtere per aliquod prędicatum quidditativum adhuc diſtinguuntur per hoc exiſtentia creata, & increata: nam increata eſt prædicatum quidditativum Dei, creata verò non eſt prædicatum quidditativum creaturæ, ſed eſt modus intrinſecus illius, ut quæſt. ſeq. dicemus. Si demum per ly *exiſtere per eſſentiam* præcisè intelligatur exiſtere per aliquid realiter indiſtinctum ab eſſentia, concedenda eſt maj. & neganda eſt min. quia hoc non eſt ſolius Dei; ſed cautè loquendum eſt, ne propoſitio in aliquo ſenſu diſſono intelligatur.

37 Arg. 5. ſi exiſtentia creata non diſtingueretur realiter ab eſſentia, plures entitates creatæ eſſent ſimplices, & incompoſitæ: hoc non eſt dicendum; quia ſolus Deus eſt ſummè ſimplex

ſine

ſine aliqua compoſitione; g. Prob. mai. quia, ſi exiſtentia non diſtingueretur realiter ab eſſentia non faceret cum illa compoſitionem; ſed plures entitates nullam aliam habent compoſitionem, ut ſunt materia prima, formæ tam ſubſtantiales, quam accidentales, g. ſi exiſtentia creata non diſtingueretur realiter ab eſſentia, plures entitates creatæ eſſent ſimplices, & incompoſitæ.

38 Reſp. neg. maj. & min. probationis, quia omnes illæ entitates habent compoſitionem phyſicam ſuarum partium integralium, & deinde ſunt compoſſibiles cum alio, & tandem tam illæ, quam quælibet aliæ entitates, quæ aſſignari poſſunt ſunt metaphyſicè compoſitæ ex genere, & differentia: quæ quidem compoſitiones non inveniuntur in Deo; quapropter Deus dicitur ſummè ſimplex omnem compoſitionem excludens; non verò prædictæ entitates.

39 Arg. 6. invariata eſſentia, variatur exiſtentia; g. diſtinguuntur realiter. Prob. antec. quia eſſentia Petri v. g. eſt eadem heri, & hodie; ſed non eſt eadem exiſtentia; g. Prob. min. quia exiſtere heri non eſt exiſtere hodie; ergo neque exiſtentia eſt eadem heri, & hodie. Reſp. neg. antec. & min. probationis, & diſting. anteced. probat. iſtius: exiſtere heri non eſt exiſtere hodie, ſumpto exiſtere pro ratione formali exiſtendi, nego: ſumpto exiſtere pro coexiſtentia cum tempore concedo, & nego conſeq. Hoc patet ex dictis lib. 4. phyſic. loquendo de duratione.

40 Pro complemento quæſtionis eſt advertendum, quod plura ex ſupradictis argumentis poſſunt in adverſarios retorqueri, ex eo quod exiſtentia creata ſe ipſa ſine aliquo ſuperaddito exiſtit. Videatur Maſtr. in met. diſp. 8. quæſt. 2. artic. 1.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Utrùm eſſentia, & exiſtentia creata diſtinguatur formaliter ex natura rei?

1 CIrca hanc quæſt. eſt diſſidium inter Scotiſtas: aliqui enim negant, eſſentiam diſtingui ab exiſtentia formaliter ex natura rei, aliqui verò affirmant, inter quos Lichetus ſuper 2. Scoti diſt. q. 1. fol. 113. col. 4. Vulpes t. 1. p. 1. diſput. 28. art. 1. nu. 2. Maſtr. diſp. 7. q. 2. art. 4. & Merin. in Phyſica tom. 1. diſp. 4. quæſt. 2. ſect. 2. tenent hanc diſtinctionem ex natura rei, non eſſe perfectam, ſeu inter perfectas formalitates, ſed imperfectam, ſeu modalem, modo quò diximus, modum intrinſecum formaliter ex natura rei diſtingui à re, cuius eſt modus, eo quod exiſtentia non dicit aliquam formalitatem perfectam, ſed tantum modum intrinſecum eſſentiæ ſervata proportione inter eſſentiam, & exiſtentiam poſſibilem, & inter eſſentiam, & exiſtentiam actualem. Pro quo modo dicendi aliquibus in locis citant Subtilem Doctorem, denotantem aliquod eſſe diſcrimen inter eſſentiam, & exiſtentiam creatam, & etiam exiſtentiam eſſe de quidditate Dei, non verò de quidditate creaturæ. Pro hac probabili ſententia juxta Scoti principia.

2 Dicimus exiſtentia creata aliquo modo ex natura rei diſtinguuntur formaliter ab eſſentia. Prob. à parte rei, & nullo cogitante intellectu verificantur contradictoria de eſſentia, & exiſtentia creata; g. datur aliqua diſtinctio ex natura rei inter eſſentiam, & exiſtentiam creatam: ſed nequit eſſe realis, ut manet oſtenſum quæſt. antec. g. formalis. Antec. patet, quia eſſentia eſt quidditas rei, exiſtentia non eſt quidditas rei: eſſentia ponitur in prædicamento, non verò exiſtentia: circa eſſentiam fiunt propoſitiones ne-

neceſſariæ, circa exiſtentiam contingentes; hæc ſunt prædicata contradictoria, & conveniunt eſsentiæ, & exiſtentiæ independenter ab intellectus conſideratione, ut eſt manifeſtum; g.

3 Reſp. aliqui, hæc prædicata non verificari de eſsentia actuali facta comparatione cum exiſtentia actuali, ſed de eſsentia, ut ſic cum exiſtentia actuali comparata; quippe exiſtentia actualis eſt de conceptu quidditativo eſsentiæ actualis, & eſsentia actualis non ponitur in prædicamento, ſicut nec exiſtentia: deinde circa eſsentiam actualem non fiunt propoſitiones neceſsariæ, ſed contingentes, ſicuti circa exiſtentiam; ſolum enim eſsentia, ut ſic dicitur quidditas rei, ponitur in prædicamento, & eſt materia circa quam propoſitiones neceſsariæ fiunt.

4 Sed contra eſt; quia licet verum ſit prædicta prædicata non verificari de eſsentia reduplicativè, ut exiſtenti, verificantur de eſsentia exiſtenti ſpecificativè ſumpta: ſed hoc ſufficit ad formalem diſtinctionem ex natura rei: ergo nulla eſt ſolutio. Major negari nequit ab Scotiſtis: quippe certum eſt eſsentiam exiſtentem eſse quidditatem hominis, quidditatem hominis poni in prædicamento, circa quidditatem hominis fieri propoſitiones neceſsarias non reduplicando exiſtentiam. Min. prob. quia in via Scoti natura ſpecifica ex natura rei formaliter diſtinguitur a ſingularitate, eoquod ex natura rei de illis verificantur prędicata contradictoria: ſed eodem modo prædicata ſupradicta verificantur de eſsentia, & exiſtentia: g. Prob. min. quia illa prædicata contradictoria verificantur de natura, quæ eſt ſingularis (quippe nulla datur natura, quæ ſingularis non ſit) non reduplicativè, ut ſingularis, nam ut ſic quidquid verificatur de ſingularitate verificatur de natura: ſed ſpecificativè, & ſecundum ſe, quatenus, ſcilicet, ipſa natura,

quę in re eſt ſingularis, in ſuo quidditativo conceptu, & ex ſua ratione formali non dicit, neque includit ſingularitatem: ſed prædicata contradictoria ſupra aſſignata verificantur de eſſentia, quæ eſt exiſtens, vel actualiter, vel poſſibiliter ſervata proportione (quippè nulla datur eſſentia, quæ ſic non ſit exiſtens) licet non reduplicativè, ut exiſtens, nam ut ſic quidquid verificatur de exiſtentia, verificatur de eſſentia; ſed ſpecificativè, & ſecundum ſe, quatenus, ſcilicet ipſa eſſentia, quæ in re eſt exiſtens, in ſuo conceptu quidditativo, & ex ſua ratione formali non dicit, neque includit exiſtentiam: ergo ſicut datur diſtinctio ex natura rei formalis inter naturam, & ſingularitatem; ita debet admitti inter eſsentiam, & exiſtentiam. Si hæc ratio benè percipiatur veritas noſtræ concluſionis ab Scotiſtis videbitur.

5 Arg. 1. ſi exiſtentia diſtingueretur formaliter ab eſſentia, ſicut eſſentia exiſtit per exiſtentiam formaliter ab illa diſtinctam, ita exiſtentia exiſteret per aliam exiſtētiam etiam ab illa formaliter diſtinctam, & ſic in infinitum: hoc non eſt dicendum: imò hoc argumento intendimus Scotiſtæ probare, eſſentiam non diſtingui realiter ab exiſtentia: g. neque debet formalis diſtinctio inter illas admitti. Poteſt reſp. 1. neg. ſequel. maj. & licet hoc argumentum habeat vim ad probandum eſſentiam non diſtingui realiter ab exiſtentia, nullam tamen ad probandum, neque formaliter diſtingui. Cuius ratio eſt, quia quæ diſtinguuntur realiter neceſſariò habent diſtinctas poſſibilitates objectivas, quarum cuilibet debet in re correſpondere diſtincta actualitas, qua in eſſe ponatur, ſeu exiſtat; unde ſi exiſtentia diſtingueretur realiter ab eſſentia, cum ipſa ſit actualitas, qua exercetur potentia obiectiva eſſentiæ, & qua eſſentia exiſtit, neceſſariò eſſet ponenda altera actualitas ab illa realiter diſtincta, qua exerceretur potentia obiectiva exi-

exiſtentiæ, & qua exiſtentia exiſteret, & ſic in infinitum; at verò illa, quæ tantum formaliter diſtinguuntur non habent diſtinctas potentias objectivas, ſed unicam tantum, quibus unica tantùm actualitas correſpondet, eo quod unica tantum productione produci queant, & ſic unica tantum exiſtentia exiſtunt; nihil enim habet propriam poſſibilitatem objectivam, niſi quod propria productione ad extra produci poteſt, quod quidem eſt proprium rerum, non verò formalitatum, quæ non propriè dicuntur produci per ſe, ſed comproduci, ſeu produci productione rei, cui identificantur realiter. Unde ceſſat proceſſus in infinitum.

6 Secundò poteſt reſponderi, quod licet argumentum aliquid probaret, ſi poneretur diſtinctio formalitatum inter eſſentiam, & exiſtentiam; nam poſſet argui, quod cuilibet formalitati debet correſpondere ſua exiſtentia formaliter diſtincta ab exiſtentia alterius formalitatis modo, quo ipſę formalitates inter ſe diſtinguuntur, nihil tamen probat contra nos, qui non diſtinctionem formalitatum, ſed diſtinctionem formalitatis à modo intrinſeco ponimus, nam modus intrinſecus, ut eſt exiſtentia, non addit novam formalitatem, ſeu realitatem, ſed tantùm intrinſecam modificationem eiuſdem realitatis, ſeu formalitatis.

7 Arg. 2. nequit eſſentia actualis concipi, quin concipiatur exiſtens; quia eſſe actuale formaliter eſt eſſe exiſtens; g. eſſentia actualis nullatenus ex natura rei diſtinguitur ab exiſtentia. Patet conſeq. quia quæ formaliter diſtinguuntur, unum ſine alio concipi poteſt. Conf. quia eſſentia præſcindens ab exiſtentia non eſt eſſentia exiſtens, ſeu actualis, ſed ſi eſſentia diſtinguitur formaliter ex natura rei ab exiſtentia, præſcindit ab illa; g. non eſt eſſentia exiſtens, & actualis: ac per conſeq.

8 Reſpond. ad argum. diſting. antec. nequit

eſſentia actualis, reduplicativè, ut actualis, concipi, quin concipiatur exiſtens, concedo: ſpecificativè, nego, & diſting.conſeq.eſſentia actualis, reduplicativè, ut actualis, nullatenus ex natura rei diſtinguitur ab exiſtentia, concedo; eſſentia actualis ſpecificativè, nego. Idem contingit in natura ſingulari, quæ nequit concipi reduplicativè, ut ſingularis, quin concipiatur ſingularitas, poteſt tamen ipſa natura ſingularis ſpecificativè ſumpta, concipi, quin concipiatur ſingularitas, quod ſufficit ad diſtinctionem formalem ex natura rei inter naturam, & ſingularitatem, ut omnes Scotiſtæ fatentur.

6 Ad confirm.reſp. diſting maj.eſſentia præſcindens ab exiſtentia non eſt eſsentia exiſtens, ſi præſcindat realiter, concedo; quapropter diximus exiſtentiam non diſtingui realiter ab eſſentia actuali, quia ſi realiter præſcinderet, non eſset realiter exiſtens: ſi præſcindat formaliter nego; quia cùm præciſio formalis non opponatur identitati reali, bene ſtat, quod formaliter præſcindat ab exiſtentia, & quod ſit realiter exiſtens: ſicut benè ſtat, quod natura præſcindat formaliter à ſingularitate, quod ſit realiter ſingularis. Unde diſting.min. ſi eſsentia diſtinguitur formaliter ab exiſtentia, præſcindit ab illa formaliter, concedo; realiter, nego, & nego conſequentiam. Ratio huius deſumitur, ex eo quod eſsentia nõ dicitur exiſtens propter identitatem formalem eius cum exiſtentia, ſed propter identitatem realem; quapropter identitate reali manente, quantumvis eſsentia ab exiſtentia formaliter præſcindat, ſemper dicitur exiſtens a parte rei (ſive actualiter, ſive poſſibiliter juxta ſtatum comparationis inter eſsentiam, & exiſtentiam) eo quod præciſio formalis identati reali nullatenus opponitur. Unde ſicut non eſt inconveniens, dicere quod natura ſingularis ſpecificativè ſumpta, præſcindit, & diſtinguitur formaliter à ſingularitate, per quã

eſt

eſt realiter ſingularis, ita non eſt inconveniens, dicere, eſſentia exiſtens, ſpecificativè ſumpta, præſcindit, & diſtinguitur formaliter ab exiſtentia, per quam realiter eſt exiſtens.

10 Arg. 3. ex Scoto in 3. diſt. 6. §. *Reſpondeo*, litt. A. ubi dicit: *Reſpondeo, certum eſſe de eſſe eſſentiæ, quod tantum differt ab eſſentia in modo concipiendi*: g. ex mente Scoti eſſentia, & exiſtentia, quæ intelligitur per ly *eſſe* non ex natura rei, ſed tantum in modo concipiendi diſtinguuntur. Reſpondent interpretes Subtilis Doctoris, negando conſeq. quia per ly *eſſe* non intelligit Scotus exiſtentiam, ut ab eſſentia diſtinguitur, ſed intelligit concretum huius nominis *eſſentia*; & ſic *eſſe*, & eſſentia ſolum diſtinguuntur in modo concipiendi, tanquam concretum, & abſtractum, quæ ſunt diverſæ acceptiones logicales ejuſdem quidditatis. Si autem aliquando dixit Scotus, eſſentiam, & exiſtentiam non diſtingui formaliter ex natura rei, intelligitur de diſtinctione perfecta formali, quæ verſatur inter perfectas realitates, & formalitates; non autem de diſtinctione formali imperfecta, quæ verſatur inter realitatem, & modum intrinſecum illius; ſeu inter imperfectas conceptibilitates obiectivas eiuſdem realitatis.

11 Hic adducere libuit alium modum defendendi diſtinctionem formalem ex natura rei inter eſſentiam, & exiſtentiam, quem adducit Maſtr. citat. his verbis: Sed adhuc pro majori elucidatione difficultatis poteſt aſſignari modus diſtinguendi exiſtentiam aliquo pacto etiam ab actuali eſſentia, ut nimirum per hoc diſtinguantur, quod eſſentia actualis dicit principaliter, & de per ſe ſignificato rationem quidditativam rei, & connotet exiſtentiam; exiſtentia vero è contra principaliter dicat actualitatem eſſendi, connotativè verò quidditatem rei exiſtentis; ſuppoſito namque, quod

alia ſit ratio formalis eſſentiæ, & alia exiſtentiæ, dum dicimus eſſentiam actualem, utramque rationem involvimus, ita tamen, ut ex modo ſignificandi ipſa ratio eſsentiæ principalius importetur, & veluti connotativè ratio exiſtentiæ; & idem ſervata proportione, dicendum eſt de eſſentia, & exiſtentia poſſibili, ut enim ſæpè dictum eſt, quemadmodum exiſtentia actualis eſsentiæ actuali correſpondet, ut eius modus intrinſecus, ita quoque exiſtentia poſſibilis correſpondet eſsentiæ poſſibili. Hæc Maſtr.

QUÆSTIO IV.

In qua reſolvuntur aliqua dubia.

1 Aliqua de eſsentia, & exiſtentia hic controverti ſolent, quæ breviter proponemus, & claritate poſſibili reſolvemus. Igitur dubitabis 1. quibus rebus conveniat exiſtentia? Reſp. quod loquendo de phyſicis entitatibus, omnia illa, quæ inter ſe realiter diſtinguuntur propria exiſtentia guadent, & ita dicuntur per ſe exiſtere, & non per exiſtentiam alterius. Hæc eſt omnium Scotiſtarum reſolutio conſeq. ad dicta; itaque totum per ſe phyſicum, & integrale partes illius, tam eſsentiales, ut ſunt materia, & forma, quam integrales, tam homogeneæ, quam heterogeneæ, & omnia accidentia, habent propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia cuiuſvis alterius rei. Prob. ex dictis; quia exiſtentia non diſtinguitur realiter ab eſsentia ergo quodcumque habet diſtinctam realiter eſſentiam ab alio, etiam habet diſtinctam realiter exiſtentiam ab exiſtentia alterius. Contra hoc nihil poteſt obiici, quod non maneat ſolutum qu. 2.

2 Loquendo autem de prædicatis metaphyſicis aliquid tenent, etiam gaudere propria exiſten-

ſtentia, ita ut quodſibet prædicatum metaphyſicum habeat ſuam propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia alterius prædicati formaliter ex natura rei, eo modo, quo inter ſe metaphyſica prædicata ex natura rei formaliter diſtinguuntur; licet hic modus dicendi, quem amplectitur Merin. in Phyſica lib. diſp. 6. q. 2. ſect. 3 n. 75. ſit probabilis, & nullum inconveniens includere videatur, tamen probabilior videtur modus dicendi aliorum, quem tenet Maſtr. ſæpè cit. diſp. 8. q. 4. à num. 174. ſcilicet, non cuilibet formalitati alicuius rei correſpondere propriam exiſtentiam, ſed omnes formalitates exiſtere unica exiſtentia, qua exiſtit illa res, in qua identificantur, & ad cuius integritatem ſpectant. Pro utroque modo dicēdi poſſunt videri aliqui AA apud Maſtr. cit. & n. 173.

3 Prob. hic modus dicendi; quia exiſtentia eſt terminus actionis productivæ, vel phyſicæ emanationis: ſed formalitates, ut tales, neque actionem productivam, neque phyſicam emanationem poſſunt terminare: g. formalitates, ut tales non habent propriam exiſtentiam illis correſpondentem; & conſequenter omnes exiſtunt per exiſtentiam rei, quæ verè producitur, vel phyſicè emanat, in qua identificantur, & ad cujus integritatem ſpectat.

4 Confirmatur 1. quia ut dictum eſt q. 1. hujus diſp. num. 9. cum Scoto, exiſtentia dicitur ultimus actus eo, quod ſupponit eſſentiam conſtitutam ſecundum omnes actus metaphyſicos differentiarum, etiam individualium: erg. non cuilibet formalitati eſſentiæ correſpondet exiſtentia propria. Prob. conſequ. quia ſi cuilibet formalitati propria exiſtentia correſponderet, jam non ſupponeret totam coordinationem prædicatorum, & actuum metaphyſicorum, cum aliquæ formalitates dentur priores, & poſteriores in tali coordinatione.

5 Confirm. 2. quia unica individualis diffe-

rentia ſufficit pro omnibus formalitatibus, ut omnes formalitates individuæ dicantur: g. & ſufficit unica exiſtentia, ut omnes formalitates dicantur exiſtentes. Conſeq. videtur tenere, quia ſicut quælibet formalitas dicitur exiſtens, ita quælibet formalitas dicitur individua: g. ſicut ſufficit unica differentia individualis pro omnibus formalitatibus, ita ſufficiet unica exiſtentia pro omnibus formalitatibus. Eo vel maximè; quia ideo ſufficit unica differentia individualis pro omnibus formalitatibus, quia nulla illarum poteſt ex ſe eſſe individua, ſed tantum ratione rei ſingularis, in qua inveniuntur, & ad cuius integritatem ſpectant; & ſic non ſunt immediatè individuæ, per propriam individuationem; ſed immediatè, & ratione rei ſingularis, quæ eſt immediatè individua, ſimiliter ſufficit unica exiſtentia pro omnibus formalitatibus, quia nulla illarũ poteſt ex ſe exiſtere, ſed tantum ratione rei, in qua inveniuntur, & ad cuius integritatem ſpectant; & ſic non exiſtunt immediatè per propriam exiſtentiam: ſed mediatè ratione rei, quæ cum ex ſe terminet actionem productivam immediatè exiſtit.

6 Arg. contra eſſentia non diſtinguitur realiter ab exiſtentia; g. cuilibet eſſentiæ correſpondet propria exiſtentia; ſed quælibet formalitas habet ſuam propriam eſſentiam diſtinctam formaliter ab eſſentia alterius formalitatis; g. tali eſſentiæ correſpondet propria exiſtentia etiam formaliter diſtincta ab exiſtentia alterius formalitatis. Reſp. quod eſſentia poteſt ſumi dupliciter. Primò pro re, cui non repugnat exiſtere & quæ poteſt eſſe terminus actionis productivæ, ſeu emanationis phyſicæ, & in hoc ſenſu verum eſt primum enthymema; ſed falſa minor ſubſumpta, quia nulla formalitas per ſe poteſt eſſe terminus alicuius actionis productivæ, ſeu phyſicæ emanationis. Secundò pro quacumque ratione eſſentiali in quo ſenſu dicimus for-

ma-

malitates habere propriam eſſentiam, quia quidquid eſt, eo modo, quo eſt, habet ſuam eſſentiam, quippe nil poteſt eſſe ſine ſua propria, & intrinſeca ratione eſſentiali; ſed, ut ſic falſum eſt primum conſeq. ſcilicet, quod cuilibet eſſentiæ correſpondet propria exiſtentia. Unde nihil eſt argumentum.

7 Hinc facilè reſolvitur aliud dubium, an ſcilicet, exiſtentia ſit compoſita? Ad quod reſp. quòd exiſtentia compoſiti phyſici poteſt dici phyſicè compoſita, nam cuilibet parti, ſcilicet materiæ, & formæ, cùm quælibet ſit res terminans veram productionem phyſicam, correſpondet ſua exiſtentia; & ſicut ex entitatibus materiæ, & formæ conſtituitur unum per ſe compoſitum entitativè, ita ex illarum exiſten. tiis conſtituitur una per ſe exiſtentia compoſita Hoc in re nihil videtur habere difficultatis in principiis Scoti. Videantur quæ diximus in phyſica loquendo de exiſtentia materiæ primæ, & fortè huc applicari poterunt.

8 Loquendo autem de compoſitione metaphyſica videtur dicēdum conſequenter ad dicta dub. præced. exiſtentiam non eſſe compoſitam; nam ſi eſſet compoſita eò eſſet, quia cuilibet formalitati metaphyſicæ correſpōderet ſua exiſtētia, & ſicut ex ipſis formalitatibus metaphyſicis ſit metaphyſica compoſitio, ita fieret ex exiſtentiis illis correſpondentibus: ſed non cuilibet formalitati correſpondet propria exiſtentia, ſed omnes per unicam exiſtentiam rei exiſtunt: g. exiſtentia non eſt compoſita metaphyſicè. Hic eſt advertendum, quòd licet hic modus dicendi tam circa hoc, quàm circa præcedens dubium ſit admodum probabilis, tamen, ut benè notavit Maſtr. cit. etiam alter modus probabilis eſt, unde non clauditur via, ut quilibet quemcumque illorum defendat, maximè cùm apud Scotum uterque modus inveniatur. Videatur Maſt, ſi placet in fine quæſt. cit.

9 Dubit. 3. an detur, & qualis ſit compoſitio inter eſſentiam, & exiſtentiam creatam? Hoc dubium latè ab aliquibus exagitatur, breviter tamen pro nunc dicimus, quòd loquendo de compoſitione phyſica, certum eſt apud Scotiſtas, nullam dari compoſitionem inter eſſentiam, & exiſtentiam, ad hoc enim requiritur, quod unum ſit ab alio realiter diſtinctum, & unum in potentia objectiva reſpectu alterius, quod in via Scoti non admittitur. Loquendo verò de compoſitione metaphyſica propria, & ſtricta, adhuc inter eſſentiam, & exiſtentiam non datur compoſitio, quippe hæc verſatur inter perfectas realitates, ſeu formalitates, quarum una ſe habet, ut quid contrahibile, & potentiale, altera, ut quid contrahens, & actuans & ut dictum eſt, exiſtentia, cùm ſit modus intrinſecus non dicit perfectam realitatem, ſed tantùm modificationem realitatis, quæ ſine tali modo nequit perfectè concipi.

10 Si autem metaphyſica compoſitio non tam ſtrictè ſumatur, ſed latè pro quacumque conjunctione aliquorum, quæ inter ſe aliquomodo diſtinguuntur, & aliquomodo dicunt potentialitatem, & actualitatem, poteſt dici, quod datur aliqua compoſitio inter eſſentiam, & exiſtentiam creatam proportionaliter ſumptis, eo quòd eſſentia ex ſua præciſa ratione formali non dicitur habere exiſtentiam neceſſariò, nequit enim exiſtentiam actualem habere, niſi ab aliqua extrinſeca cauſa illam producente recipiat; neque habere exiſtentiam potentialem, niſi in ordine ad omnipotentiam, reſpectu cujus dicitur eſſe in potentia objectiva, in quo ſtatu convenit illi tanquam modus intrinſecus potentialis exiſtentia, & licet hoc illi neceſſariò conveniat, non tamen neceſſariò ex ſe, & ab intrinſeco, ſed tantùm ab extrinſeco, quatenus, ſcilicet, necesſariò eſt omnipotentia, in ordine ad quam ſtatus potentiæ objectivæ eſſentiæ

crea-

creatæ convenit. Ex quo patet, quod in Deo nulla datur compoſitio ex eſſentia, & exiſtentia, neque ex eſſentia, & quolibet modo intrinſeco, nam omnia Deo ex ſe, & ab intrinſeco neceſſariò conveniunt, & non ordine ad aliquod extrinſecum. Videatur Maſtr. diſp. cit. q. 3. & Merin diſp. etiam citat. q. 6. ſect. 4.

DISP. IV.

De ſubſiſtentia entis naturalis.

CUm ſubſiſtentia ſit quid neceſſariò naturaliter conſequens ens completum ſubſtantiale, quod eſt una ex partibus ſubjectivis entis in communi, & ad illius complementum (modo infra explicando) ſpectans, ideò peractis his, quæ ad eſſentiam, & exiſtentiam pertinent, hanc de ſubſiſtentia immediatè ſtatuimus diſputationem. Pro qua ſit

QUÆSTIO I.

Quid ſit ſubſtantia?

1 PRo huius quæſt. & totius diſputationis intelligentia notandum eſt 1. quòd ens per ſe exiſtens (ſic communiter ſolet appellari ens ſubſiſtens) multifariam accipi poteſt. Primò latè, & communiſſimè, quatenus ſcilicet, idem eſt ens ſubſiſtens, ſeu per ſe exiſtens, ac ens ſolitariè exiſtens. In quo ſenſu ſubſiſtentia, ſeu per ſe exiſtentia, etiam accidenti convenire poteſt, cùm eſt ſeparatum à ſubiecto, ut evenit in venerabili Euchariſtiæ Sacramento. Secundò minus communiter, ſeu ſtrictius, nempe quatenus ſubſiſtens, ſeu per exiſtens eſt idem, ac ens alteri non inhærens, nec habens aptitudinem ad inhærendum. In hoc ſenſu quævis ſubſtantia, tam completa, quàm incompleta dicitur

ſubſiſtens; quamvis enim forma ſubſtantialis inſit materiæ eam informando, non tamen ei inhæret; nam hoc eſt proprium formarum accidentalium, ut ſæpè dictum eſt. Tertio denique accipitur ens ſubſiſtens propriè, & ſtrictiſſimè, quatenus ſcilicet eſt idem, ac ens, quod eſt in ultima actualitate, taliter, quod non ſit ultra ordinabile ad aliquem actum ſimpliciter præter illum, quem habet; unde ens ſic per ſe exiſtens; ſeu ſubſiſtens nullatenus eſt alteri ampliùs communicabile.

2 Ne autem circa hoc aliqua oriatur æquivocatio advertendum eſt cum Scoto, quod cùm dicitur, ens per ſe exiſtens, in tertio ſenſu, communiter appellari ſubſiſtens, proindeque videtur appellari debere ſuppoſitum, ſeu perſona, intelligendum eſt in creatis; in his enim eo ipſo, quòd aliquid eſt ens per ſe, ſeu ſubſiſtens habet omnem incommunicabilitatem, quæ requiritur ad rationem ſuppoſiti, vel perſonę; non autem hoc ſic eſt in divinis; nam natura Divina, licet, ſecluſis rationibus; ſit ens per ſe in prædicto tertio ſenſu, propterea que ſit propriè ſubſiſtens quadam ſubſiſtentia abſoluta, ut dicitur in materia de Trinit. non tam eſt ſuppoſitum, ſeu perſona; nam cùm ratione infinitatis, qua gaudet, ſit communicabilis per identitatem tribus divinis perſonis (quæ communicabilitas excluditur à ratione ſuppoſiti, ſeu perſonæ, non autem à ratione ſubſiſtentis in hoc ſenſu) hinc eſt, quod non eſt ſuppoſitum, ſeu perſona, eſt tamen ſubſiſtens.

3 Notandum eſt 2. quòd hæc nomina *ſubſiſtens*, *ſuppoſitum*, *& perſona*, idem pro formali ſignificant, ſolumque differunt penes connotata, ideſt, penes diverſas naturas quas afficiunt; ſi enim ſubſiſtentia afficiat naturam ſubſtantialem, appellatur abſolutè *ſubſiſtentia*, & *ſuppoſitalitas*; ſi autem natura, quam afficit, intellectualis, vocatur *perſonalitas*, eo quòd eſse per-

perſonam tantùm convenit (juxta communem acceptionem) intellectuali naturæ: ex quo patet, quòd ſubſiſtentiam denominari perſonalitatem, ſolùm convenit ei extrinſecè, nempe ratione naturæ intellectualis, quam afficit: unde ſubſiſtentia, ſuppoſitalitas, & perſonalitas ſe habent ſicut ſuperius, & inferius; valet enim: eſt perſonalitas: ergo eſt ſubſiſtentia, & ſuppoſitalitas, non autem è contra.

4 Notandum eſt 3. quòd communicabilitas alicuius rei eſt duplex, nempe ut *quod*, & ut *quo*. Illud dicitur communicari alteri ut *quod*, quod communicatur tamquam ſuperius ſuo inferiori: hoc modo communicatur homo ſuis individuis. Illud verò dicitur communicabile ut *quo*, quod communicatur, tamquam pars, ſeu quaſi pars, alicui toti: hoc modo dicitur, materiam, & formam, communicari toti compoſito, & naturam ſubſtantialem completam eſſe communicabitem Divino ſuppoſito. Cùm ergo de ratione formali ſubſiſtentię, ſeu perſonalitatis ſit incommunicabilitas, ut natura aliqua ſit ſubſiſtens, ſuppoſitum, vel perſona debet habere duplicem incommunicabilitatem, nempe tam ut *quod*, quàm ut *quo*, oppoſitam duplici præexplicatæ communicabilitati, & etiam incommunicabilitatem per identitatem, ut ſic excipiatur (ut inquiunt Merin. & Ponc.) natura Divina, quæ licet pro illo priori, in quo nondum conſideratur communicata perſonis, ſit ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta, non tamen eſt perſona, ut n. 2. dicebamus.

5 Notandum eſt 4. cum Scoto in 3. diſt. 1. q. 1. §. *Non aſſerendo*, lit. E quòd utraque prædicta communicabilitas, ſeu dependentia naturæ eſt triplex, ſcilicet actualis, aptitudinalis, & potentialis. Actualis communicabilitas eſt in natura, quando hæc eſt actu communicata ſuppoſito alterius naturæ, ab illoque in ſubſiſtendo dependet, ut natura humana Chriſti Di-

reſpectu perſonalitatis Verbi Divini. Communicabilitas aptitudinalis eſt in illa natura, quæ naturalem inclinationem, & propenſionem habet, ut comunicetur alicui ſuppoſito diſtincto ab eo, cui de facto eſt communicata, ut patet in ipſa natura humana Chriſti D. quæ licet ſit ſuppoſita per ſubſiſtentiam Verbi, habet tamen inclinationem, ut communicetur proprio ipſius ſuppoſito creato, & humano. Potentialis denique communicabilitas eſt in natura, quæ ad hoc ut communicetur alicui ſuppoſito non habet aliquam inclinationem, ſeu propenſionem, ſed tantùm quandam capacitatem, ſeu non repugnantiam; hoc modo natura humana v. g. diuitur habere meram capacitatem, ſeu non repugnantiam, & conſequenter potentialem communicabilitatem reſpectu ſuppoſiti Divini.

6 Similiter per oppoſitum datur triplex incommunicabilitas, ſeu negatio communicabilitatis, prædictæ triplici communicabilitati oppoſita, nimirum actualis, aptitudinalis, & potentialis. Actualis eſt cùm natura actualiter non dependet ab alieno ſuppoſito: ut natura Petri v. g. quæ actualiter non dependet à ſuppoſito Joannis. Aptitudinalis eſt, cùm natura non habet inclinationem, ſe propenſionem, ut communicetur ſuppoſito alieno, ut prædicta natura Petri reſpectu ſuppoſiti Joannis. Potentialis denique incommunicabilitas eſt, cùm natura non ſolùm non eſt actu communicata, nec habet inclinationem, nt communicetur alicui ſuppoſito, verummet repugnat illi, ſic ei ſe communicare, & ab illo dependere; ut natura Divina, cui repugnat aliquomodo dependere à ſuppoſito creato. His ergo prænotatis

7 Dicimus ad quæſt. Boetius lib. de duabus naturis, & una perſona Chriſti inquit, quod perſona eſt *rationalis naturæ individua ſubſtantia*. Hanc definitionem, eo quòd ex illa immedia-

diatè infertur, animam rationalem,& etiam naturam aſſumptam à Divino Verbo ſecundum ſe eſſe perſonas, quod eſt falſum, ut ex infra dicendis patebit, corrigit Scot. in 1.diſt.23.q.un.§. *Ad quaſt.* ante litt. C. per aliam definitionem perſonæ traditam à Ricard. 4.de Trinit. c. 22. quæ talis eſt : perſona eſt *intellectualis naturæ incommunicabilis exiſtentia*. In qua definitione, ponitur ly *exiſtentia* loco generis, nam per hoc convenit perſona cum aliis, quæ nec perſonæ, nec ſuppoſita ſunt. Per ly *incommunicabilis*, convenit perſona cum his, quæ ſuppoſita ſunt; & differt ab iis, quæ talia non ſunt. Per ly denique *intellectualis natura* differt perſona, licet extrinſecè, etiam à ſuppoſitis, hæc enim non connotant neceſſariò naturam intellectualem, ut ſupra notabamus. Ex qua definitione infertur, quòd ſubſiſtentia, ut præſcindit à ſuppoſitalitate, & perſonalitate, ſic rectè definiri poteſt: *Eſt ſubſtantialis natura incommunicabilis exiſtentia*. Per quam definitionē apprimè explicatur ratio ſubſiſtentiæ ut ſic, ut patet ex dictis, & ex dicendis latè conſtabit.

QUÆSTIO II.

Vtrùm ſubſiſtentia ſit aliquid à natura ſingulari diſtinctum?

1 DIcimus, ſubſiſtentia eſt aliquid (ſive poſitivum, ſive negativum, de quo infra) realiter ſuperadditū naturę ſingulari creatæ ab eaque realiter diſtinctum. Hæc concl. eſt communis Thologorum conſenſus, contra aliquos Philoſophos, qui inter ſubſtantiam ſingularem, & ſuppoſitum diſtinctionem non admittunt. Prob. ex ineffabili Incarnationis myſterio (nam nulla ratio naturalis hoc efficaciter convincit, ut fatentur omnes) nam fides docet, quòd Verbum Divinum hypoſtaticè aſſumpſit

na-

naturam humanam in dividuo , ſeu ſingularem, & quòd non ſic aſsumpſit perſonam humanam , ſeu ſuppoſitum creatum. Deinde etiam docet , quòd natura humana Chriſti D. caret propria ſubſiſtentia, ſubſiſtitque ſubſiſtētia Verbi, ſic ſæpè docent PP. & Concilia: ſed hoc fidei dogma ſubſiſtere non poſset, ſi ſubſiſtentia naturæ ſingularis creatæ non poſset ſeparari ab ea: erg. poteſt ab ea ſeparari: ſed realis ſeparatio, qualis datur in natura humana reſpectu propriæ ipſius ſubſiſtentiæ , ut patet in Chriſto D. neceſsariò infert realem diſtinctionem , ut nullus ignorat: ergo ſubſiſtentia naturæ ſingularis creatæ eſt aliquid realiter ei ſuperadditum ab illaque diſtinctum.

2. Confirm. quia id, quod realiter dicitur de aliquo realiter identificato cum alio , dici etiam debet de iſto, cum quo illud eſt ſic identificatum: ergo ſi natura creata ſingularis eſset realiter idem cum propria ipſius ſubſiſtentia, idem quod diceretur realiter de iſta, diceretur de illa , & è contra: ſed hoc eſt falſum; quia natura humana Chriſti dicitur aſsumpta hypoſtaticè à Verbo, non autem dicitur aſsumpta perſona humana, ut fides docet ; g. ſubſiſtentia naturæ ſingularis creatæ eſt quid realiter diſtinctum ab illa.

3 Nec valet dicere , quòd ideò præciſè humanitas Chriſti D. non dicitur perſona , quia non intelligitur per modum concreti, & habentis naturam, ſed per modum habitæ, & poſseſsæ à ſuppoſito Verbi; non autem quia ſubſiſtentia ſit realiter diſtincta à natura ſingulari creata. Hoc quidem non valet , tum quia perſona non conſtituitur in eſſe talis per noſtrum modum concipiendi, ſed verè ex natura rei: ergo ſi humanitas Chriſti D. quatenus eſt natura ſingularis, nullo alio realiter ab ea diſtincto ſuperaddito, habet quidquid ex natura rei requiritur ad rationem perſonæ ſive intelligatur per modum

ha-

habentis, ſive per modum habitæ, erit perſona; & conſequenter erit verum, quod Verbum aſſumpſit perſonam; ſed hoc eſt contra fidem, ut ſup. manet dictum; ergo &c. Tum etiam quia licet hoc concretum *Deus*, quatenus eſt concretum Deitatis, concipiatur per modum habentis Deitatem, non eſt perſona, individuum enim Deitatis eſt communicabile tribus divinis perſonis; g. non ſufficit ad rationem perſonæ, quod natura intelligatur per modum concreti, ſeu habentis, ſi eſt communicabilis; ſed natura humana Chriſti D. eſt actu communicata ſuppoſito Verbi; g. ſive intelligatur per modum habentis, ſive per modum habitæ, non eſt ex ſe perſona; ac proinde conſtituitur in eſſe talis per aliquid ſuperadditum, & ab ea realiter diſtinctum.

4 Arg. 1. eodem modo ſe habent concretum, & abſtractum in prædicamento ſubſtantiæ, ac in prædicamento accidentis: ſed in prædicamento accidentis album v. gr. & albedo idem ſignificant; ergo ſimiliter in prædicamento ſubſtantiæ ſuppoſitum, & natura, ſcilicet homo, & humanitas; conſequenterque ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas non eſt aliquid realiter diſtinctum a natura ſingulari. Reſp. admiſſa paritate inter ſubſtantiam, & accidens; hoc enim non ſubſiſtit, ſicut illa, diſtinguendo min. Idem ſignificant album, & albedo quoad principalem ſignificatum, conced. quoad connotatum, neg. minor. nam album non tantum dicit albedinem, ſed etiam ſubiectum, cui illa ineſt, connotat, ut docet Scotus in 1. diſt. 4. quæſt. 1. §. *Ad primum argum. verſ. Ad quartum*, ſub litt. E. Ex quo patet ad conſequentiam, concretum enim ſubſtantiale, v. g. homo non ſolum ſignificat naturam, ſeu humanitatem, ſed etiam connotat ſuppoſitum, cui illa ineſt, quod non habet abſtractũ, ſcilicet humanitas; unde conſtat ſuppoſitũ plus importare, quam natura ſingularis. Obſervandum hic eſt, quod eſt duplex concretum, aliud per-

perſonarum, ſcilicet *perſona*, ſeu *ſuppoſitum*, & aliud non perſonarum, ſcilicet *homo*, correſpondens humanitati; & licet de hoc poſſit admitti, quod ſignificet idem, ac natura, ſeu humanitas; non tamen de illo, ut per ſe patet, ſiquidem importat aliquid aliud præter naturam.

5 Arg. 2. ea, quæ diſtincta actione producuntur, & corruptione deſinunt eſse, neceſsario ſunt realiter diſtincta: ergo à ſimili, quæ eadem actione producuntur, & corruptione deſinunt eſse, ſunt realiter idem; ſed hoc ſecundo modo ſe habent natura ſingularis, & perſonalitas; erg. ſunt realiter idem; & conſequenter, &c. Reſp. conceſso antec. diſtinguendo conſequens; quæ eadem actione producuntur, &c. ſunt realiter idem, ſi per ſe, ac immediatè fiunt per eandem actionem, conced. ſi ſic immediatè non fiunt; ſed unum ex alio realiter reſultat, ſunt neceſsariò realiter idem, nego conſeq. Itaque aliqua, quæ per eamdem actionem ſimul producuntur, unum tamen ex alio realiter reſultat, poſsunt eſse realiter diſtincta, ut patet in duobus albis ſimul productis, & relationibus ſimilitudinis, quibus ad invicem referuntur; licet enim iſtæ non producantur diſtincta actione ab ea, qua producantur illa duo alba, ſed tantum ab illis realiter reſultent, diſtinguuntur tamen realiter ab illis, ut nullus dubitare poteſt, & in Logica manet demonſtratum. Unde conceſsa min. ſubſumpta, neg. conſeq. nam licet perſonalitas non fiat diſtincta actione ab ea, qua fit natura ſingularis, ſed ſimul cum ea fiat, & ab ea, niſi impediatur, realiter reſultet, ab ea tamen realiter eſt diſtincta, ſive non eadem cum illa.

6 Sequitur ex dictis, exiſtentiam neceſsario antecedere in natura ſingulari, prioritate ſaltim naturæ, ſubſtantiam. Cuius ratio eſt; quia ſubſiſtentia actualis, ſive in poſitivo, ſive in negativo conſiſtat, non poteſt fundari in natura tantum poſſibili; quod enim fundatur de-

debet proportionari cum illo, ſupra quod fundatur, ut eſt certum; ſed eo ipſo, quo natura intelligitur actualis, & extra ſuas cauſas, intelligitur exiſtens; ergo exiſtentia naturæ ſingularis neceſsario antecedit natura illius ſubſiſtentiam. Deinde, quia prius ineſt rei id, quod ei convenit inſeparabiliter, quam quod ſeparabiliter competit; ſed exiſtentia convenit naturæ inſeparabiliter; ſubſiſtentia autem ſeparabiliter; poteſt enim natura propria gaudere exiſtentia, & carere propria ſubſiſtentia, ut patet in humanitate Chriſti D. quæ propriam ſubſiſtentiam non habet, propriam tamen habet exiſtentiam, juxta probabiliorem, & Scoti ſententiam; ergo in natura ſingulari exiſtentia præcedit ſubſiſtentiam.

QUÆSTIO III.

An id, quod formaliter importat ſubſiſtentia creata, ſit quid poſitivum, an potius negativum?

1 PRænotandum eſt ex Scoto citato qu. 1. huius diſp. num. 5. quod, ut aliqua natura ſingularis poſſit dici ſuppoſitum, neceſse eſt, quod habeat duplicem negationem aptitudinalis, & actualis communicabilitatis ut *quo*, ideſt, quod nec actu ſit communicata alieno ſuppoſito, nec ad talem communicationem aptitudinem habeat. Ratio huius eſt, quia non ſufficit ad rationem perſonæ, ſeu ſuppoſiti ſola negatio actualis communicationis, ſiquidem anima ſeparata non eſt actu communicata corpori, & tamen non habet rationem perſonæ, ut in comperto eſt apud omnes; eo quod adhuc eſt apta communicari illi. Deinde nec negatio aptitudinalis ejuſmodi communicationis ſufficiens eſt ad rationem perſonæ, humana enim natura Chriſti D. habet talem negationem reſpectu ſup-

ſuppoſiti Divini, ſiquidem nō habet naturalem aptitudinem, aut propenſionem ad illud (hanc enim ſolum dicit talis natura ad propriam ipſius ſubſiſtentiam) & tamen prædicta natura non habet propriam perſonalitatem, ut eſt certum in fide; eo quod caret negatione actualis communicationis; unde ad rationem perſonæ neceſſario requiritur utraque illa negatio. An autem utraque ſit de ratione formali perſonæ; dicemus in quæſt. ſequenti. Prænotatis ergo his, & illis, quæ in q. 1. manent prænotata.

2 Dicimus ad quæſt. perſonalitas creata ſupra naturam ſingularem non addit aliquam entitatem poſitivam, ſed tantum aliquid negativum. Sic Scotus ſupr. cit. & aliis in locis; nam licet hanc quęſt. problematicè defendere videatur; partem tamen à nobis ſtatutam cenſet probabiliorem, & ideo pro hac non ſolum illum ſequuntur ferè omnes (aliquibus perpaucis exceptis) Scotiſtæ, ſed etiam plures ex aliis. Prob. 1. concl. ſi perſonalitas creata ſupra naturam ſingularem adderet aliquam entitatem poſitivam realiter diſtinctam ab illa, natura poſſet produci, & conſervari abſque omni perſonalitate; ſed hoc eſt abſurdum; ergo, &c. Mai. eſt manifeſta; nam aſſignari non poteſt aliqua neceſſaria, & indiſpenſabilis connexio inter talem naturam, & illam poſitivam entitatem, ut conſideranti patebit; ſed cum aliqua ſunt realiter diſtincta, & inter illa aſſignari nequit aliqua neceſſaria connexio, abſque dubio poteſt unum ſine alio produci, & conſervari, ut eſt per ſe notum; g. &c. Min. autem illius primi ſyllogiſmi prob. nam natura ſingularis abſque perſonalitate exiſtens, vel poſſet exercere omnes proprias ipſius operationes, vel non? ſed utrumque eſt abſurdum; g. & quod natura ſingularis ſine perſonalitate exiſtat. Prob. min. quoad 1. p. nam ſi poſſet ſine perſonalitate exercere omnes ipſius operationes, ad nihilum ipſi perſonalitas deſerviret,

ret, conſequenterque hæc non eſset poſitivum complementum, aut perfectio talis naturæ, ut ponitur à ſententia contraria: omne enim hujuſmodi complementum; aut perfectio ad aliquid deſervit naturæ; quam ſic complet, aut perficit, ut eſt manifeſtum; g &c.

3 Nec valet, ſi reſpondeant contrarii, quod ſuppoſitalitas, ſeu perſonalitas deſervit ad terminandum naturam ſingularem: hæc enim ſine illa eſset interminata, quamvis proprias operationes exercere poſset. Hocquidem non valet; quia ſi natura abſque tali poſitiva entitate ſuas operationes exercere poſset, non exigeret aliquam poſitivam terminationem, ut per ſe conſtat; nam ſi ad nihilum ei deſerviret, quod ulterius poſitivè terminaretur, ſiquidem antea omnes ſuas operationes poterat exercere; ad quid eſset neceſſaria talis ulterior terminatio? Ad nihil profecto, ſiquidem non eſt aliquod caput, ex quo colligi poſſit, naturam illam connaturaliter exigere.

4 Nec item valet ſi dicant, quod perſonalitas, ſeu ſuppoſitalitas tribuit naturæ incõmunicabilitatem; unde in caſu, quod natura eſset abſq; illa licet ſuas operationes exercere poſset, careret tamen tali effectu, nempè incommunicabilitate. Sed neq; hæc reſponſio alicujus eſt momenti: nã natura non eſt connaturaliter per ſe cõmunicabilis, niſi illi, à quo aliquod ipſa natura emolumentum recipere poteſt, ſed abſq; tali entitate poſitiva; quam adverſarii dicunt, eſse perſonalitatem, omnes ſuas operationes natura perfectè exercere poſset, ut conſtat ex dictis; g in tali caſu non eſset connaturaliter commun cabilis: ac proinde abſque tali entitate poſitiva gaudet incommunicabilitate, quæ ad rationem perſonæ, ſeu ſuppoſiti requiritur. Deinde, quia nulla entitas poſitiva debet in natura admitti, quæ tantùm exerceat munus negativum; hoc enim formaliter non exercetur ab illo, quod potiſi vum

eſt,

eſt, ſed eſt dumtaxat fundamentum negationis; ſed ſi abſque perſonalitate poſſet natura ſingularis ſuas exercere operationes, aſſignabile non eſt aliquod munus poſitivum, quod in illa talis perſonalitas exerceat; erg. hæc non eſt aliquod poſitivum: & conſequenter, &c.

5 Prob. ſupra dicta min. noſtræ rationis quoad 2. p. nempè; quod ſit abſurdum, naturam ſingularem, in hypotheſi, quod eſſet ſine perſonalitate, poſſe exiſtere, & omnes ſuas operationes exercere non poſſe; nam quotieſcumque aliqua natura exiſtens habet ſuas potẽtias, quin ſit aliquod impedimentum, ut iſtę in actum exire poſſint, talis natura ſuas operationes poteſt exercere; ſed in caſu, quo natura ſingularis eſſet ſine perſonalitate, ſic ſe haberet, ut eſt per ſe notum, ergo poſſet ſuas operationes exercere; & conſequenter, &c. Confirm. quia in hypotheſi quod natura ſine perſonalitate eſſet, ejus intellectus, & voluntas poſſent elicere ſuos actus; ergo, & ipſa natura ſuas operationes. Patet conſeq. & anteced. prob. quia intellectus, & voluntas animæ ſeparatæ à corpore nullam habent perſonalitatem, ſicut nec hanc habet ipſa anima in ſtatu ſeparationis: ſed in tali ſtatu intellectus, & voluntas poſſunt exercere, & de facto exercent ſuas operationes, ut nullus negare audebit: ergo, &c.

6 Nec valet ſi reſpondeant; quod natura exiſtens ſine perſonalitate, ex hypotheſi facta, nullas operationes poſſet exercere, eò quòd *juxta* commune axioma, *actiones ſunt ſuppoſitorum*. Non enim valet hoc: nam hoc axioma, ſi ita abſolutè intelligatur, ut nullæ prorſus poſſint dari actiones, quæ a ſuppoſito non proveniant, & in quas ſuppoſitalitas non influat, eſt omninò falſum; ſiquidem anima, cum eſt à corpore ſeparata, non eſt ſuppoſitum, & tamen elicit intellectiones, & volitiones, ut nullus dubitat. Deinde Divina natura concipitur eliciens ope-

operationes, quæ dicuntur eſſentiales, antequam concipiatur terminata per perſonalitates, ſeu relationes, ut docent Theologi in tract. de Trinit. Denique accidentia in Euchariſtia ſunt abſque ſubiecto, aut ſuppoſito, & ſuas operationes exercere dicuntur, ut oſtendit experientia. Non ergo abſolutè verùm eſt, quod actiones ſunt ſuppoſitorum.

7 Itaque prædictum axioma ſic eſt intelligendum (ut docet Scotus in 1. diſtin. 12. quæſt. 1. §. *Ad ſecundum*, *verſ. Aliter dici poteſt*, litt. AA.) nempè, quod actio eſt ſuppoſiti, ut ultimò denominati à tali actione, non autem actio eſt ſic formæ. Cujus ratio, inquit ibi Doctor, hæc eſt; quia omnis forma exiſtens in alio, ut forma, ſicut tribuit illi, in quo eſt, eſſe, ita tribuit illi aliquo modo denominari à ſua actione; & quamvis ipſa forma in ſuppoſito exiſtens etiam denominetur ab actione ſua, non autem ultimò ab illa denominatur, ulterius enim denominatur ſuppoſitum à tali actione: quia ergo natura conſideratur in ſuppoſito ad modum partis, licet ſit principium adæquatè elicitivum operationum, non tamen dicitur operari, *ut quod*, ſed tantum *ut quo*, nam eo ipſo, quod eſt pars, eſt ulterius ordinabilis, & eſt id, quo aliud operatur: ſi autem forma activa ſit ſeparata a ſuo ſubjecto, vel ſuppoſito, ut evenit in anima ſeparata à corpore, & in accidentibus Euchariſticis à ſuis ſubjectis ſeparatis, tunc quidem talis forma poteſt denominari ultima denominatione, ſiquidem tunc non eſt alteri ratio agendi, ſed per ſe exiſtit: concludit ergo Doctor, quod actio eſt ſuppoſiti, non elicitivè, ſed denominativè tantum, quatenus ſcilicet non denominat ultima denominatione, niſi ſuppoſitum, vel illud, quod habet modum ſuppoſiti, uti ſunt anima, & accidentia ſeparara nuper dicta.

8 Prob. 2. concluſ. ex definitione perſonali-

ta-

tatis adducta in quæſt. 1. hujus diſputationis; num.7. talis enim definitio convenit naturæ ſingulari intellectuali, quin ei aliqua entitas poſitiva ſuperaddatur: ergo hæc non eſt admittenda. Prob. antec. quia talis natura, abſque aliqua entitate poſitiva ei ſuperaddita verè eſſet ſubſtantia intellectualis completa ſingularis per ſe exiſtens, non communicata ulli alteri, & etiam incommunicabilis in eo ſenſu, in quo natura perſonata incommunicabilis debet eſse, ſiquidem non importaret aptitudinem ad ſe communicandum: nec ut *quod*, nec ut *quo* alieno ſuppoſito, ut per ſe patet; ſed hoc eſt, quod importatur per definitionem perſonæ, ut patet ex ibi dictis, 9. &c.

9 Nec valet, ſi dicatur, tali naturæ ſinguri, ſi ei aliqua entitas poſitiva non ſupperaddatur deeſse, ut ſit perſona, quod ſit completa: non enim convenit perſonæ definitio, niſi naturis completis, alioquin eſset perſona anima à corpore ſeparata, quod eſt falſum. Hoc quidem non valet: quia per hoc, quod eſt naturam eſse completam, vel intelligitur de completione in eſse ſingularis, vel de completione in eſse perſonæ? Si de prima, dubitari non poteſt, quod prædicta natura completa ſit, ſiquidem ſupponimus, eſse naturam exiſtentem individuam, ac proinde completè ſingularem. Si intelligatur de ſecunda completione hæc eſt, quam arguimus, eſse quid negativum, & conſequenter illam dari in natura ſingulari abſque aliqua entitate poſitiva ei ſupperaddita, ſiquidem aſſignabile non eſt aliquod munus poſitivus illius reſpectu naturæ ſingularis, ut manet oſtenſum: ergo in natura in eſse ſingularis poſitivè completa, nullum aliud poſitivum complementum requiritur, ut ſit perſona: ac per conſequens, &c.

10 Nec valet ſi iterùm dicatur, quod in definitione perſona non dicitur, quod ſit exiſten-

tia

tia non communicabilis, ſed exiſtentia incommunicabilis; quod eſt valde diverſum, nam *non communicabile* importat negationem extra genus; *incommunicabile* autem dicit negationem in genere, & ideo in illo, cui convenit ſupponit aliquid poſitivum per quod ſibi repugnet alteri communicari; & cùm hoc non poſſit eſſe exiſtentia naturæ ſingularis, ut per ſe patet, hinc eſt, quod neceſſario ſit aliqua alia entitas poſitiva ad quam tales negationes communicabilitatis conſequantur. Hoc quidem non valet; nam falſum omninò eſt, quod *non communicabile* non ſit omninò idem (prout loquimur in præſenti) ac *incommunicabile*, ſi pariformiter ſumantur; quia ſicut *non communicabile* potentialiter importat negationem repugnantiæ ad ſe communicandum, atq; ideò ſupponit entitatem poſitivam, à qua talis negatio repugnantię oriatur, ita *incommunicabile* potentialiter idem præſefert, ut in q. 1. nu. 6 dicebamus. Et ſicut *incommunicabile* aptitudinaliter ſumptum dicit negationē aptitudinis, ſeu propenſionis ad ſe alteri communicandum, quin hujuſmodi negatio (cum non ſit repugnantiæ) aliquam entitatem poſitivam diſtinctam à natura ſingulari, à qua oriatur, ſupponat; ſic *non communicabile* aptitudinaliter acceptum idem importat. Falsò ergo dicitur, quod incommunicabilitas poſita in definitione perſonæ non eſt idem, ac non communicabilitas; unde corruit reſponſio; ſiquidem ſicut *incommunicabile* dicit negationem in genere ſic etiam *non communicabile*, prout ſumitur in præſenti.

11 Deinde, quod *incommunicabile* importet negationem in genere, non arguit, talem negationem ſupponere aliquam entitatem poſitivam naturæ ſingulari ſuperadditam, à qua oriatur; non enim penes hoc diſtinguitur negatio in genere à negatione extra genus; ſed ex eo præcisè iſtæ negationes inter ſe diſtin-

guuntur, quod negatio in genere eſt negatio in ſubjecto (ſive ei neceſſariò conveniat ratione alicujus poſitivi, ſive non) ideſt, connotat aliquod ſubjectum, cui convenit, ut cæcitas; quæ eſt negatio viſus connotans ſubjectum aptum ad videndum, quin ſupponat neceſſario in tali ſubjecto aliquam poſitivam entitatem, ob quam ei conveniat talis cæcitas, ſeu negatio viſus: negatio autem extra genus eſt negatio extra ſubjectum, hoc eſt non connotans determinatè aliquod ſubjectum, cui conveniat, ut hæc negatio; v.gr. *non homo*. Ex quo patet falſitas reſponſionis, & noſtra præallata ratio firmius ſubſiſtit.

12 Prob. 3. concluſ. ratione Theologica: nam natura perſonata, propria perſonalitate retenta, iuxta communem ferè omnium Theologorum conſenſum, non potuit Verbo hypoſtaticè uniri: ſed hoc ſalvari non poſſet, ſi perſonalitas creata præter naturam ſingularem præſeferret aliquam entitatem poſitivam: ergo hæc admittenda non eſt. Prob. min. quia quævis entitas creata eſt in potentia obedientiali reſpectu Dei: ſed illud poſitivum, quod ſupra naturam ſingularem importaret perſonalitas creata, eſſet aliqua entitas creata; ergo eſſet in potentia obedientiali reſpectu Dei: proptereaque poſſet Verbo hypoſtaticè uniri; ſed repugnat quod ſic uniatur, juxta ferè omnium Theologorum ſententiam; ergo ideò eſt, quia perſonalitas creata non importat aliquam entitatem poſitivam, ſed tantum quid negativum, quod quidem aſſumi non poteſt hypoſtaticè à Verbo: in quo nullum eſt inconveniens, ſicut eſt in eo, quod entitas poſitiva ſic aſſumi nequeat.

13 Nec valet, quod aliqui huic rationi reſpondent, nempè, quod licet perſonā creata in eſſe talis conſtituatur per aliquod poſitivum: hoc tamen eſt tale poſitivum, ad quod neceſſariò ſequitur illa duplex negatio, ſcilicet

tam

tam actualis, quam aptitudinalis dependentiæ ab alieno ſuppoſito; unde adhuc in hac ſententia ſalvatur, quod nequeat natura perſonata hypoſtaticè uniri Verbo; ſiquidem eadem eſſet contradictio quoad hoc in iſta, ac in alia ſententia ponente, perſonam creatam ſupra naturam ſingularem tantum duplicem negationem. Hoc quidem non valet; nam etſi verum ſit, quod ad illam entitatem poſitivam, ſi hæc dabilis eſſet, connaturaliter ſequeretur illa duplex negatio: negari tamen non poteſt, quod effectus talium negationum, utpotè ſecundarius reſpectu talis poſitivæ entitatis, poſſet à Deo ſupernaturaliter impediri, ut in aliis ſic contingere, pro comperto eſt apud omnes; quo ſecundario effectu ſic impedito, neceſſariò fatendum eſt, quod natura, propria adhuc perſonalitate retenta, alieno ſuppoſito uniri poſſet, ut eſt notum. In noſtra autem ſetentia hoc fieri nequit; quia cùm perſonalitas creata non habeat alium effectum, niſi mere negativum, hoc eſt, facere naturam formaliter non unitam alieno ſuppoſito, non poteſt natura ſic uniri, ſervata propria perſonalitate, ſiquidem negatio prædicta non poteſt tolli, niſi poſita tali unione, cuius eſt negatio.

14 Nec ſimiliter valet quod reſpondent alii, ſcilicet, talem poſitivam entitatem, quam importat perſonalitas, eſſe talis naturæ, quod ſuperaddita naturæ ſingulari ſimul cũ illa conſtituit perſonam; illamque reddit, utpotè ultima actualitas, ſimpliciter, & abſolutè incommunicabilem cuicumque alteri ſuppoſito; & cum omninò implicet aliquid eſſe alteri incõmunicabile, & ſimul actualiter communicatum, hinc eſt, quod natura ſingularis retenta propria perſonalitate, licet hæc in poſitivo conſiſtat, non poteſt, adhuc divinitus, alieno ſuppoſito uniri. Sed neque hæc reſponſio vim noſtræ rationis enervat; nam vel illa incommunicabi-

litas, quam, juxta ſic reſpondentes, importat illa entititas poſitiva, eſt talis incommunicabilitas, quæ tantùm excludat à natura aptitudinem, ut alteri ſuppoſito communicetur? Et ſic falſum eſt, implicare, quod aliquid ſit incommunicabile alteri, & ſimul actualiter ei communicatur: aptitudo enim benè compati poteſt cum actu oppoſito, ut patet in gravi exiſtente actualiter ſurſum, & habente aptitudinem ad eſſe deorſum. Vel eſt talis incommunicabilitas, quæ excludat à natura potentiam, & capacitatem ad ſe communicandum ſuppoſito alieno? Et in hoc ſenſu falsò aſſeritur, quod perſona ſit incommunicabilis cuicumque alieno ſuppoſito: nam perſona, ut perfectè talis, ſolum dicit duplicem negationem actualis, & aptitudinalis communicationis; non autem negationem communicationis potentialis, ut ſæpè oſtenſum eſt, & amplius oſtenditur ſic.

15 Si enim *incommunicabile*, prout pertinet ad rationem perſonæ perfectæ, diceret non ſolùm negationem communicationis actualis, & aptitudinalis, ſed etiam potentialis, ſeu repugnantiam ad communicari, profectò ſequeretur (ut expreſsè inquit Scotus in 3. d. 1. q. 1. §. *Per hoc, verſ. Reſpondeo*, lit. G) quod nulla eſſet perfectè perſona, niſi Divina: hæc enim dumtaxat habet negationem communicationis, non ſolum actualis, & aptitudinalis, ſed etiam potentialis, ſeu repugnantiam ad ſe communicandum alteri, quæ repugnantia ſemper oritur ab aliqua entitate poſitiva, proptereaque natura Divina nullatenus poteſt alieno ſuppoſito communicari. Cæterùm cùm perſona creata non ſit incommunicabilis potentialiter (perſonalitas enim naturæ creatæ eſt abſolutè ſeparabilis ab illa, ut patet in natura hypoſtaticè aſſumpta à Verbo; proindeque eſt potentialiter communicabilis) hinc eſt, quod nullam importet entitatem poſitivam naturæ ſuperadditam, à qua negatio communicationis

municationis oriatur, cum hæc in natura creata non ſit potentialis, ſeu repugnantiæ. Manet ergo firmum, quod perſona creata (de qua loquimur) nullam præſefert entitatem poſitivam ultra naturam ſingularem, ſed tantum illam duplicem negationem ſæpè præexplicatam. Aliæ reſponſiones facile præcludentur, ſi ſuperius dicta bene percipiantur: videri tamen, ſi libet, poſſunt apud noſtros RR. præſertim tamen apud Maſt. tam in Philoſoph. to. 5. diſput. 11. quæſt. 4. art. 2. quam in Theolog. tom. 3. diſput. 1. qu. 3.

16 Arguunt 1. perſona creata eſt prima ſubſtantia, atque ideo eſt unum per ſe ſubſtantiale; ſed hoc ita non eſſet, ſi in eſſe talis conſtitueretur per aliquid negativum, ut ex ſe patet; g. &c. Reſp. diſtinguendo mai. eſt prima ſubſtantia, & unum per ſe ſubſtantiale, pro materiali, & denominato, conc. pro formali, & per ſe ſignificato, neg. mai. & diſtincta eodem modo minori, neg. conſequ. inſtab. perſonalitas eſt ultimum complementum naturæ ſubſtantialis, ut fatentur omnes; ſed ultimum complementum ſubſtantialis naturæ, debet eſſe quid ſubſtantiale pro formali, & pro per ſe ſignificato; ergo ſolutio data eſt nulla. Reſp. diſtinguendo mai. perſonalitas eſt ultimum complementum naturæ ſubſtantialis, in eſſe naturæ, neg. in eſſe perſonæ, conc. Similiter diſting. min. ultimum complementum ſubſtantialis naturæ in eſſe naturæ, debet eſſe quid ſubſtantiale pro formali, conc. ultimum complementum naturę ſubſtantialis in eſſe perſonæ, neg. min. & conſeq. huiuſmodi enim complementum tantum eſt negatio.

17 Inſtab. iterum; ergo perſona, prout dicit totum coniunctum ex materiali, & formali, ſcilicet ex natura ſingulari, & perſonalitate, non eſt unum per ſe, ſed per accidens; ſed communiter dicitur eſſe unum per ſe; ergo, &c. Reſp. concedendo libenter conſeq. in quo nullum eſt

aſſignabile inconveniens. Cum autem communiter dicitur, quod ſuppoſitum, ſeu perſona eſt unum per ſe, hoc intelligendum eſt, ſicut in aliis concretis negativis, videlicet, quod illud, quod important, tamquam per ſe ſignificatum, in ſua linea eſt per ſe unum: ut v. g. hoc concretum *cæcus* per ſe importat privationem viſus, quæ in ſua linea eſt per ſe una. Ita pariformiter perſona dicit per ſe negationem, quæ eſt per ſe una intra lineam negationis. Vel dicitur perſona unum per ſe, eo quod id, quod pro materiali, ſeu de connotato dicit, eſt una per ſe completa ſubſtantia.

18 Arg. 2. ſicut natura determinatur ad eſſe perſonæ per perſonalitatem, ita determinatur ad eſſe ſingularis per ſingularitatem; ſed ad eſſe ſingularis determinatur per aliquid reale poſitivum ſuperadditum naturæ ſpecificæ: ergo ad eſſe perſonæ neceſſario determinari debet per aliquid reale poſitivum naturæ ſingulari ſuperadditum; & conſequenter, &c. Reſp. negando mai. & paritatem. Etenim natura ita determinatur à ſingularitate, ut ſibi repugnet ſimpliciter, ipſa manente dividi, & multiplicari in plura: quæ repugnantia neceſſario ei convenit ratione alicuius entitatis poſitivæ, nempe differentiæ individualis: ad perſonalitatem autem non ſic neceſſario determinatur, ſed omninò cōtingenter, taliter, quod ipſa natura eadem manens poteſt non ſuppoſitari propria ipſius perſonalitate, ſed alia, ut patet in natura humana aſſumpta à Verbo: unde licet ad perſonalitatem determinetur, non tamen per aliquid poſitivum, ſed per merè negativum ſic determinatur.

19 Arg. 3. ſi perſona ſolum importaret negationem ſupra naturam ſingularem, ſequeretur, quod ſicut verè dicitur, aërem tenebroſum poſſe illuminari, ita & verè etiam diceretur, perſonam eſſe communicabilem: ſed hoc admitti non poteſt, ut patet: ergo neque quod perſona

ſupra

ſupra naturam ſingularem ſolum dicat negationem. Reſp. 1. concedendo paritatem, nullum eſt inconveniens dicere, quod ſicut aer tenebroſus ſpecificativè, & in ſenſu diviſo illuminari poteſt, ita perſona ſpecificativè, & in ſenſu diviſo poteſt communicari; ſi enim tenebræ ſeparari poſſunt ab aere, etiam negationes communicationis, quas perſona importat ſeparari poſſunt à natura ſingulari. Reſp. 2. negando parit. nam aer tenebroſus tantum habet actualem negationem lucis, non autem aptitudinalem media qua exigat non illuminari, ideoque dicitur abſolutè illuminabilis; perſona verò nedum dicit negationem actualis communicationis, verumet aptitudinalis; natura enim ſingularis completa exigit non communicari alieno ſuppoſito, & ideo poteſt dici incommunicabilis.

20 Arg. 4. perſona importat aliquid dignitatis, & perfectionis: ſed negatio nihil dignitatis, & perfectionis, ut per ſe patet, poteſt importare: ergo perſona nequit importare tantum negationes. Reſp. cum Scoto, quod datur duplex negatio, altera ſcilicet extra genus, quæ non connotat ſubiectum, aut ſignificatum materiale determinatum, ut v. g. hæc: *non homo*. Alia eſt negatio in genere, quæ ſubiectum determinatum connotat, ut v. g. *cæcitas*. Dicimus ergo, quod negatio, quam perſona importat, eſt negatio in genere, ideoquè connotat ſubiectum determinatum, ſcilicet naturam intellectualem (idem dicendum eſt de ſuppoſito, ut ſubſiſtente, nam hæc connotant naturam ſubſtantialem) unde licet perſona formaliter non importet aliquid dignitatis, aut perfectionis, importat tamen id materialiter, ſeu connotativè, ſiquidem illud, quod connotat eſt aliquid poſitivum, & perfectum. Ex quo patet totius argumenti ſolutio.

21 Arg. 5. perſona Divina ultra naturam ſingularem, non tantum negationes communica-

bilitatis, ſed aliquid poſitivum importat; ergo ſimiliter perſona creata. Reſp. negando conſeq. nam perſona Divina habet negationem repugnantiæ, ut alieno ſuppoſito communicetur, quam repugnantiam non habet perſona creata, ut ſatis ex dictis conſtat; unde illa aliquid poſitivum neceſſario dicit, non autem iſta. Dices; natura Divina perſonata perſonalitate Patris communicatur Filio; g. ratio perſonæ non dicit neceſſario negationem repugnantiæ communicationis. Reſp. neg. conſeq. licet enim eadem numero natura, quæ eſt perſonata perſonalitate Patris communicetur Filio, non tamen ſic communicatur, reduplicativè ut perſonata; nam perſonalitas, ſeu relatio Patris, nec communicatur, nec communicari poteſt Filio. Si autem Divina natura perſonata perſonalitate Patris communicatur Filio, ideo eſt, quia talis natura eſt infinitè perfecta, ut latiùs, & expreſſiùs dicitur in Theologia in tract. de Trinitate; cum autem perſonalitas creata ſit in natura finita, & limitata, hinc eſt, quod illam reddit ultimo incommunicabilem naturaliter.

22 Arg. 6. rationibus Theologicis; perſona Divina Verbi ſupplet perſonalitatem creatam naturæ ab ipſo hypoſtaticè aſſumptæ, juxta PP. & Concilia; ſed ſi perſonalitas ſolum importaret negationem, perſonalitas Verbi ſuppleret nihil, ut patet; ergo ne hoc dicatur, tenendum eſt, perſonalitatem creatam importare aliquid poſitivum. Confirm. quia etiam PP. & Concilia dicunt, quod perſona Verbi conſumpſit perſonalitatem naturæ humanæ aſſumptæ: ſed hic modus loquendi non eſſet bonus, nec verus, ſi perſonalitas creata eſſet negatio; quia quod nihil eſt, non poteſt conſumi: ergo, &c. Reſp. ad arg. quod licet perſonalitas nihil poſitivum importet, benè ſalvatur; quod perſonalitas Verbi illam ſupplevit in natura aſſumpta. Cuius ratio eſt, quia in eomet inſtanti, in quo natura hu-

humana, ſi hypoſtaticè à Verbo non eſſet aſſumpta, habuiſſet duplicem illam negationem communicationis, ob quam verè diceretur illam per ſe eſſe, & non dependere ab alio; Divinum Verbum talem naturam prævenit, ne per ſe ſtaret, fecitque, quod ab alio dependeret, & ſic illa natura, quæ in ſe perſonata eſſet ſi non fuiſſet aſſumpta, nunc dicatur perſonata in alio, eo quod fuit aſſumpta à Verbo. Et cùm ratione propriæ perſonalitatis, ſeu prædictæ duplicis negationis eſſet illa natura incommunicabilis alieno ſuppoſito, & maneat ſic incommunicabilis per perſonalitatem Verbi, verè dicitur iſtam ſupplere illam, ſeu vices illius. Eſt tamen advertendum, quod perſonalitas Verbi non ſupplet omne id, quod faceret propria perſonalitas illius naturæ aſſumptæ, quia iſta redderet illam incommunicabilem actualiter, & aptitudinaliter omni ſuppoſito, etiam ipſi ſuppoſito Verbi; huius tamen perſonalitas redderet illam naturam incommunicabilem, & incommunicatam omni alii ſuppoſito, non autem incommunicatam ipſi ſuppoſito Verbi; eſt enim contradictio, quod ſit illi communicata, & incommunicata, ut per ſe patet. Ex quibus apertè conſtat, quod Verbi perſonalitas ſupplet perſonalitatem propriam naturæ aſſumptæ; & quomodo hoc intelligendum ſit.

23 Ad confirm. reſp. quod cùm PP. & Concilia dicunt, quod Verbum aſſumendo hypoſtaticè naturam humanam conſumpſit propriam iſtius perſonalitatem, tantùm intendunt, quod aſſumendo ſic talem naturam in illo ipſo inſtanti in quo exigebat perſonari propria perſonalitate creata, impedivit in ipſa natura reſultantiam talis creatæ perſonalitatis. Unde illud verbum *conſumo* in huiuſmodi locutione nō ſumitur rigoroſè, quatenus ſignificat deſtruere aliquid, quod antea erat, ſed talè, quatenus ſignificat impedire aliquid reſultare, ſeu

pululare, quod ſi ſic non impediretur, reſultaret connaturaliter, & neceſſariò, ſive hoc poſitivum ſit, ſive negativum.

24 Arg. 7. ſi perſona creata ultra naturam ſingularem ſolùm adderet aliquid negativum, ſequeretur, quod natura aſſumpta à Verbo de facto fuiſſet perſonata propria perſonalitate, priùs quàm fuiſſet unita Verbo; ſed ſequela nequit admitti: ergo, &c. Prob. maj. quia talis natura fuit producta prius natura, quàm unita Verbo; ſed in illo priori naturæ neceſſariò habuit negationem communicationis, tam actualis, quàm aptitudinalis, ut per ſe patet: ergo ſequela eſt legitimè illata; & conſequenter, &c. Reſp. negando ſequelam, & hujus probationis diſting. min. in illo priori naturæ habuit talis natura negationem communicationis, poſitivè, neg. negativè, conced. min. & neg. conſeq. Pro huius diſtinctionis intelligentia.

25 Advertendum eſt, quòd id dicitur convenire alicui poſitivè pro aliqua prioritate naturę quod poteſt de illo verificari pro inſtanti reali temporis; id autem dicitur alicui pro priori naturæ convenire negativè, cujus oppoſitum nequit pro illo priori ei convenire, licet ipſum non competat illi pro aliquo reali temporis inſtanti, conveniret tamen ſic, ſi ab extrinſeco non poneretur impedimentum. V.g. aptitudo ad formam convenit poſitivè materiæ primæ prius natura, quàm ipſa forma, ſeu unio ad formam; nam pro quolibet inſtanti temporis, pro quo eſt talis materia, eſt etiam in ea illa aptitudo, licet ſit actu unita formæ. Si autem materia, & forma producantur in eodemmet temporis inſtanti, convenit materiæ primæ privatio formæ (ſi ſic fari liceat) prius natura, quam ipſa forma, tantùm negativè, eo ſcilicet, quòd pro illo priori nequit verificari de tali materia oppoſitum privationis formæ, hoc

eſt,

eſt, habere formam; nec pro illo inſtanti reali poteſt de illa verificari privatio formæ, ut per ſe patet, ſiquidem ſupponitur, eam pro illo temporis inſtanti habere formam; ideòque talis privatio in illo priori naturæ ante formam, tantùm negativè convenit tali materiæ in caſu propoſito, eo quòd ei poſitivè conveniret, ſi ab extrinſeco non haberet impedimentum, ſcilicet ipſam formam.

26 Sic pariformiter in caſu argumenti; nam in illa prioritate naturæ ante unionem naturæ humanæ ad Verbum, negatio actualis communicationis conveniebat tali naturæ negativè tantùm, eo quòd pro illo priori non poterat verificari de illa oppoſitum talis negationis, nempe eſſe communicatam, ſeu unitam Verbo, ſiquidem pro illo priori non intelligitur ſic unita, ut ſupponimus; non autem poſitivè ei talis negatio conveniebat (quòd eſt neceſſariò requiſitum ad rationem perſonalitatis creatæ) quia privatio rigorosè ſumpta non verificatur ineſſe poſitivè in priori tantùm naturæ, ſed in prioritate temporis, & hoc modo negatio communicationis non verificabatur de natura aſſumpta, eo quòd in illo inſtanti reali fuit verè unita Verbo; verificaretur tamen de illa poſitivè talis negatio, ſi in illo inſtanti ſic unita non fuiſſet, ſiquidem naturali neceſſitate duplicis communicationis negatio ab illa reſultaret.

27 Arguunt 8. ex præjacta concluſione ſequitur, quòd humanitas hypoſtaticè unita Verbo non faceret unum per ſe cum illo: ſed hoc admitti non poteſt. ergo, &c. Prob. maj. quia ex duobus entibus in actu omninò completis, & perfectis, cujuſmodi eſſent Verbum, & humanitas, nequit fieri unum per ſe: ergo, &c. Fatendum eſt igitur, quod tali humanitati deficit aliquid poſitivum pertinens ad ipſius ſubſtantiale complementum, defectu cujus

erat ſubſtantialiter incompleta; proindeque apta ut ſimul cum Verbo unum per ſe conſtituat. Hoc argumentum æquè militat contra ſuſtinentes oppoſitum noſtræ concl. quia in bona philoſophia non minus repugnat ex duobus entibus ſubſtantialiter completis fieri unum per ſe: ac ex uno completo, & alio incompleto: unde licet humanitas aſſumpta ponatur ſubſtantialiter incompleta, adhuc non poterit conſtituere unum per ſe ſimul cum Verbo, quod eſt ſubſtantialiter completum.

28 Reſpond. tamen concedendo ſequelam, & negando, eſſe aliquod inconveniens negare, quòd ex Verbo, & humanitate ab ipſo aſſumpta unum per ſe fiat unitate compoſitionis, tamquam ex per ſe actu; & per ſe potentia, eo modo, quo in argumento videtur intendi; nec Verbum enim, nec humanitas poſſunt habere rationem partis eſſentialis; ut eſt manifeſtum; hujuſmodi enim compoſitio eſt valde nota Philoſophis, illa autem facta ex Verbo, & humanitate eſt mirabilis, & ineffabilis. Dicitur ergo fieri unum per ſe ex Verbo, & humanitate aſſumpta, non in natura, ſed ſuppoſitaliter, ſeu in perſona, nempe per actualem dependentiam naturæ ad Verbum in ratione ſuppoſiti; qui eſt modus unionis, ſeu compoſitionis ſupernaturalis, & ineffabilis; & cùm dicitur, ex duobus entibus in actu non poſſe fieri unum per ſe, hoc quidem eſt verum in unitate naturæ, non autem in unitate ſuppoſiti; ſeu perſonæ, & hoc genere unitatis Verbum, & natura aſſumpta ſunt unum per ſe, non autem in alio.

29 Poteſt etiam reſponderi negando, quòd ex Conciliorum, & PP. locutione inferatur, humanitatem aſſumptam facere unum per ſe cum Verbo; nam licet ab illis definiatur, quod non uniantur per accidens, inteligendum eſt, quod Verbum, & humanitas non uniuntur per acci-

accidens in ſenſu, in quo hoc dicebat Neſtorius; hic enim aſſerebat humanitatem non fuiſſe unitam Verbo aliqua phyſica unione, ſed tantùm unione morali ſecundùm affectum, gratiam, aut dignitatem; contra quem dicendi modum, ut potè oppoſitum fidei, definitur à Conciliis, quòd humanitas aſſumpta eſt unita per ſe Verbo, unione reali, & phyſica, quod nos catholicè fatemur, non autem unione per accidens, ſeu tantùm per affectum, ut Neſtorius dicebat. Concludimus ergo, quòd ex Verbo, & humanitate ab ipſo aſſumpta fit unum per ſe ſuppoſitaliter, quod eſt valde conforme Conciliis, & immediatè oppoſitum hæreſi Neſtorii. Alia argumenta valde Theologica omittimus, tum quia ex dictis facilè ſolvi poſſunt; tum quia apud AA. num. 15. citatos propoſita, & acutè enervata invenientur:

30 Ex dictis in tota hac quæſt. & præſertim num. 6. & 7. liquidò infertur, quòd ſubſiſtentia creata nullũ haberet proprium, & immediatum influxum in actiones ſuppoſiti per ipſam conſtituti. Cuius ratio inter alias hæc eſt; nam actiones proportinantur ſuis principiis, & in effectu per ipſas producto ſemper eſt aliqua formalitas, in qua aſſimilatur ſuæ cauſæ, maxime quando eſt univocus: ſed actiones proportionantur formæ, ſeu naturæ; non autem ſubſiſtentiæ, ſeu ſuppoſitalitati; ergo hæc nullatenus influit in illas. Mai. patet, quia ſi ejuſmodi proportio non eſſet neceſſaria, tunc quodlibet poſſet dici à quolibet produci, & effectus determinati non haberent cauſas determinatas, ut per ſe patet. Prob. autem min. quia calor, v. g. & calefactio proveniunt efficienter à calore; frigus & frigefactio à frigore, &c. ergo actiones, & effectus proportionantur formæ, ſeu naturæ ſuarum cauſarum, non autem ſuppoſitalitati. Eo vel maximè; quia in effectu producto nulla eſt aſſignabilis formalitas, in qua ſuæ cauſæ

aſſi-

aſſimiletur, niſi illæ, quæ formæ, & naturæ talis cauſæ proportionatus, per ſuppoſitalitatem enim (idem dicito de ſingularitate) potius diſtinguitur, & diverſificatur ab illa, ut eſt per ſe manifeſtum.

QUÆSTIO IV.

Vtrùm perſonalitas creata importet pro formali plures negationes communicationis, vel unicam tantùm?

1 PRænotandum eſt (ſuppoſito ex quæſt. antec. quòd perſona ſolùm quid negativum importat, & ex quæſt. 1. n.4. quòd incommunicabilitas eſt duplex, ſcilicet ut *quo*, & ut *quod*) quòd aliquid poteſt ſpectare ad conſtitutionem alicuius, vel tamquam pars eſſentialis, ut rationalitas v.g. pertinet ad conſtitutionem hominis; vel tamquam conditio neceſſariò requiſita, ut unio materiæ, & formæ ſpectat ad conſtitutionem totius compoſiti, vel tantùm præſuppoſitivè, modo infra explicando.

2 Prænotandum eſt 2. tamquam omninò certum, qnod nulla negatio communicabilitatis, ut communicationis, quæ poteſt convenire naturæ ratione ſuæ ſingularitatis, aut ratione alterius formalitatis, quæ perſonalitas non ſit, convenit perſonæ, formaliter ut perſona eſt, ut ex ipſis terminis patet. Præterea etiam eſt abſque dubio, quòd omnis communicatio, aut communicabilitas, quæ eſt de facto incompatibilis cum perſona, non opponitur iſti; & è contra, omnis communicatio, aut communicabilitas, quæ eſt cum perſona naturaliter compatibilis, eſt oppoſita ei, vel formaliter, vel alio modo ut conſtabit ex dicendis. His prænotatis, propoſitæ quæſtioni per ſequentes concluſiones ſatiſfaciemus. Igitur

3 Dicimus 1. incommunicabilitas ut *quod* (quæ

(quæ conſiſtit in eo quòd aliquid nequeat communicari alio, tamquam ſuperius inferiori) non eſt de ratione formali perſonæ, ſed tantùm præſuppoſitivè ſe habet ad illam. Prob. concl. quia hujuſmodi incommunicabilitas convenit naturæ ſingulari, prout ſingularis eſt; ergo talis incommunicabilitas non eſt de ratione formali perſonæ. Prob. antec. nam natura ſingularis, ut talis, nequit communicari alteri, ut ſuperius inferiori: eſt enim de ratione formali ſingularis non poſſe dividi in plura, quorum quodlibet ſit ipſum; ergo talis incommunicabilitas convenit naturæ ſiugulari, ut ſingulari; & conſequenter, &c. Quòd autem talis incommunicabilitas præſuppoſitivè requiratur ad perſonalitatem patet, quia perſonalitas neceſſariò connotat naturam completam ſingularem; ſed ab hac nequit ſeparari incommunicabilitas ut *quod*, ut ex dictis patet: ergo hæc neceſſariò ſaltim præſuppoſitivè requiritur ad perſonalitatem.

4 Dicimus 2. negatio communicationis aptitudinalis, quomodocumque ſumatur, non eſt de ratione formali perſonæ, ſed ſolùm eſt præſuppoſitivè ad illam requiſita. Prob. quia ejuſmodi negatio nihil aliud eſt, niſi negatio naturalis exigentiæ communicationis ad alienum ſuppoſitum; ſed natura ſingularis ex ſe, & independenter à perſonalitate habet hanc negationem: ergo hæc negatio non eſt de formali ratione perſonæ. Major cum conſeq. patet, & min. prob. quia natura ſingularis ex ſe connaturaliter exigit determinatè ſuam propriam perſonalitatem, ut eſt certum: ac proinde habet negationem exigentię communicationis ad perſonalitatem alienam: ergo ex ſe habet talem negationem; conſequenterque hæc non eſt de ratione formali perſonæ. Confirm. quia propria perſonalitas naturæ ſingularis eſt ſeparabilis ab illa, ut patet in humanitate aſſumpta à

Di-

Divino Verbo, quæ caret propria perſonalitate; ergo quod eſt de ratione formali perſonalitatis creatæ, eſt ſeparabile à natura ſingulari: ſed negatio communicationis aptitudinalis non eſt ſic ſeparabilis à natura: ergo nec eſt de ratione formali talis perſonæ. Prob. min. quia natura ſingularis, eo ipſo, quòd eſt ſubſtantialiter completa in eſſe naturæ, connaturaliter exigit non communicari alienæ perſonalitati, ſiquidem exigit communicari determinatè propriæ, quæ eſt omninò incompatibilis cum aliena; ſed non poteſt habere exigentiam connaturalem ad ea, quæ repugnant inter ſe, & ſunt contradictoriè oppoſita: ergo ex ſe habet negationem aptitudinalis communicationis ad perſonalitatem alienam; & conſequenter, &c. Unde humanitas hypoſtaticè unita Verbo habet huiuſmodi negationem reſpectu cuiuslibet perſonalitatis, ut dicitur in Theolog. in tract. de Incarn.

5 Dicimus 3. reſpondendo directè quæſtioni, ſola negatio actualis communicationis ut *quo* eſt de ratione formali perſonalitatis creatæ. Hæc concl. manet ſufficienter oſtenſa ex dictis pro duabus præcedentibus; nam perſonalitas creata, ut probatum eſt quæſtione anteced. conſiſtit in negatione; ſed non in negatione communicabilitatis ut *quod*; neque in negatione communicabilitatis aptitudinalis, quomodocumque hæc ſumatur, ut ſupra demonſtratum eſt: ergo neceſſariò formaliter conſiſtit in ſola negatione aſtualis communicationis ut *quo*. Et confirm. quia omnis natura ſubſtantialis indiuidua, quæ habet huiuſmodi negationem eſt perſonata propria ipſius perſonalitate; & quæ illam negationem non habet, non eſt in ſe perſonata perſonalitate ipſius propria; ut patet in humanitate Chriſti D. quæ ideo non eſt in ſe perſonata propria ipſius perſonalitate creata, quia eſt actualiter communicata ſuppoſito Divino, cui

cui, ſi ſic communicata non eſſet perſonata in ſe eſſet propria perſonalitate creata, ut eſt manifeſtum: ergo apertè ex hoc infertur, quod ſola negatio actualis communicationis ut *quo* eſt per quam conſtituitur formaliter perſona in eſſe talis.

6 Neque obſtat, quod Scotus citatus quæſt. 1. huius diſputationis num.5. dicat, quod perſona creata importat duplicem negationem communicationis, ſcilicet actualis, & aptitudinalis. Deinde ipſe excludit animam rationalem à ratione perſonæ, eo quod non habet negationem aptitudinalis communicationis; ſentit ergo Scotus, quod hæc etiam negatio eſt de ratione formali perſonæ creatæ. Non quidem obſtat hoc; nam ibi Scotus tantum intendit, quod negatio aptitudinalis communicationis eſt præſuppoſitivè requiſita ad rationem perſonæ creatæ; nam cum hæc neceſſario connotet naturam ſubſtantialem individuam, a qua ſeparari nequit talis negatio, ut dicebamus num. 4. hinc eſt, quod prædicta negatio eſt quid præſuppoſitivè requiſitum ad rationem talis perſonæ, non autem quid illam formaliter conſtituens. Ad aliud dicimus, verum quidem eſſe, ideo Scotum animam rationalem excluſiſſe à ratione perſonæ, eo quod non habet negationem aptitudinalis communicationis; non tamen hoc fecit, quia cenſuerit, talem negationem eſſe de ratione formali perſonæ: ſed quia cum hæc negatio ſit propria naturæ ſubſtantialis completæ, & anima rationalis ſit ſubſtantia incompleta, optimè infertur ex eo quod huiuſmodi negationem non habeat, illam non eſſe perſonam, ſiquidem non eſt natura ſubſtantialis completa, quam neceſſario connotat perſonalitas, ut ſæpè dictum eſt.

7 Ex dictis in ſuperioribus manifeſtè colligitur, quod natura ſingularis creata ſemel perſonata per propriam perſonalitatem, nullatenus po-

poteſt ſimul alia perſonalitate perſonari; nam perſonalitas creata, ut dictum eſt, formaliter conſiſtit in negatione actualis communicationis: ſed cum negatione actualis communicationis nullatenus eſt compatibilis actualis communicatio (quam haberet ſi alia perſonaretur perſonalitate) opponuntur enim contradictoriè, ut eſt perſpicuum: erg. &c. Aliæ difficultates, quæ circa ſubſiſtentiam diſcuti poſſunt, hic omittuntur, & quia ex hucuſque dictis abſque magno labore poſſunt reſolvi, & quia in Theologia, tam in tractat. de Trinit. quam in tract. de Incarnat. proprius, & ex profeſſo expenduntur.

QUÆSTIO V.

Quibus rebus conveniat ratio ſubſiſtentiæ?

1 Senſus propoſitæ quæſt. eſt, an in toto ſubſtantiali ex materia, & forma compoſito detur unica, ſimplex, & indiviſibilis ſubſiſtentia; an verò ſubſiſtentia extenſa, & compoſita, taliter, quod materiæ correſpondeat una pars ſubſiſtentiæ realiter diſtinctæ ab illa parte ſubſiſtentiæ, quæ correſpondet formæ? Et idem inquiritur de toto integrali, ſive homogeneo; ſive heterogeneo: an ſcilicet cuilibet parti hujuſmodi compoſiti correſpondeat una pars ſubſiſtentiæ realiter diſtincta ab illa ſubſiſtentiæ parte, quæ alteri parti talis compoſiti correſpondet?

2 Et ſupponimus tamquam certum, quod nulli accidenti poteſt ex ſe ratio ſubſiſtentiæ convenire. Cuius ratio eſt, quia ſubſiſtentia formaliter importat incommunicabilitatem illius, quod ſubſiſtit, cum ſuppoſito alterius naturæ: ſed accidens ex natura ſua eſt communicabile ſuppoſito ſubſtantiæ: ergo nequit ei conve-

venire ratio ſubſiſtentiæ. Nec valet dicere, quod accidenti ſeparato competit quidam modus exiſtendi per ſe, ſeu ſubſiſtendi; proindeque, quod ratio ſubſiſtentiæ ei aliqualiter congruit. Hoc quidem non valet, quia talis modus exiſtendi per ſe, quem dicunt, convenire accidenti ſeparato, eſt modus ſubſiſtentiæ, prout hæc opponitur inhærentiæ; in præſenti autem non accipitur *ſubſiſtentia* (ut jam in hac diſp. manet dictum) prout opponitur inhærentiæ; huiuſmodi enim ſubſiſtentia convenit ex ſe ſubſtantiæ, independenter a quolibet realiter ei ſuperaddito, ſine negativo, ſive poſitivo. Deinde, quia ille modus, quem inquiunt, convenire accidenti ſeparato, non eſt modus exiſtendi per ſe, qui ſuaptè natura convenit ſubſtantiæ, nam hæc ita naturaliter per ſe exiſtit, ut importet negationem aptitudinis ad inhærendum alio; non ſic accidens, ut per ſe patet. Eo, vel maximè, quia id, quod eſt proprium unius generis, convenire nequit alicui alterius generis diverſi: unde talis per ſe exiſtentia, quæ tribuitur accidenti ſeparato, non eſt illa ſubſiſtentia, de qua in præſenti eſt ſermo. Quo ſuppoſito.

3 Dicimus 1. ſubſiſtentia totius ſubſtantialis compoſiti ex materia, & forma, eſt unica, & ſimplex, unde neutri parti aliqua ſubſiſtentia partialis correſpondet. Sic deducitur ex Scoto quol. 9. §. *De ſecundo*. Prob. 1. concl. ex ipſius principiis; quia totum eſſentiale phyſicum eſt aliqua entitas realiter diſtincta a ſuis partibus ſimul ſumptis, & unitis, ut in 1. Phyſic. diſp. 6. qu 1. oſtendebamus; ſed talis entitas eſt ſufficiens, & proportionatum ſubiectum unius totalis, & ſimplicis ſubſiſtentiæ, qua poſita totum illud compoſitum ſubſtantiale ſubſiiſtit; ergo nullatenus requiruntur partiales ſubſiſtentiæ, quibus illius partes etiam ſubſiſtant. Patet conſeq. quia id, quod convenit toti compoſito,

to, etiam convenire eius partibus eſſentialibus; neceſſe eſt.

4 Prob. 2. nam juxta Scotum in 3. diſt. 2. qu. 2. §. *Ideo*, *verſ. Ad propoſitum*, ſub lit. A. natura humana, quæ eſt in Chriſto D. eſt hypoſtaticè aſſumpta a Verbo immediatè, & prius natura, quam eius partes eſſentiales phyſicæ; partes autem aſſumptæ fuerunt poſterius natura, & mediatè, hoc eſt, mediante aſſumptione ipſius naturæ; ſed hoc non benè percipitur ſic eſſe poſſe, ſi tales partes propriis ſubſiſtentiis partialibus gauderent; g. &c. Prob. min. quia illud eſt prius aſſumptum à Divino Verbo, quod prius in ſe ſubſiſteret, ſi ſic non aſſumeretur: ſed ſi partes gauderent propriis partialibus ſubſiſtentiis, ſubſiſterent in ſe prius natura, quàm totum; ſunt enim in ſe priores toto, utpote cauſa illius; ergo prius fuiſſent à Verbo aſſumptæ: ſed hoc eſt contra Scotum, & contra rationem, ut apud ipſum loco ſup. allegato videri poteſt: ergo partes phyſicæ eſſentiales non habent proprias, & partiales ſubſiſtentias.

5 Confirm. quia quævis entitas creata ſubſiſtens eſt incommunicabilis alteri etiam ſubſiſtenti: ſed partes phyſicæ eſſentiales ſunt communicabiles, & actu communicatæ toti compoſito, quod eſt quid ſubſiſtens: ergo nullatenus ſunt ſecundum ſe immediatè ſubſiſtentes. Nec valet dicere, quod totum compoſitum ſubſiſtit per partiales ſubſiſtentias partium, & ſic iſtæ non ſunt communicabiles alteri ſubſiſtenti ſecundum ſe, ſed alteri, quod per illarum ſubſiſtentias ſubſiſtit. Hoc quidem non valet; nam ſubſiſtentia propria unius entitatis nequit eſſe ſubſiſtentia alterius realiter ab illa diſtinctæ, & quæ non eſt intrinſecè conſtitutiva illius; ſubſiſtentia enim immediatè dimanat ab eo, cuius eſt ſubſiſtentia, ut ex dictis ſatis patet: ſed totum compoſitum eſt entitas realiter diſtincta a ſuis partibus phyſicis eſſentialibus, & non eſt intrinſecè

ſecè conſtitutivum illarum : ergo non poteſt ſubſiſtere per earum ſubſiſtentias ; ſed ſubſiſtit propria, & immediata ipſius ſubſiſtentia : conſequenterque ratio noſtrę confirmationis in ſua vi manet.

6 Dicimus 2. ſubſiſtentia totius ſubſtantialis integralis eſt unica, & ſimplex; unde nulli ex partibus ipſum actualiter componentibus correſpondet aliqua partialis ſubſiſtentia . Hæc concl. (ſuppoſito ex 1. Phyſic. diſp 6. quæſt. 2. quod tale totum realiter diſtinguitur à ſuis partibus) manifeſtè probatur prima ratione poſita pro concluſione anteced. nam æquè pro hac, ac pro illa militat, ut eam perpendenti patebit . Et quæ contra hanc obiici poſſunt, præter ea; quæ ſtatim apponentur , ex ſolutione eorum, quæ contra diſtinctionem totius integralis à ſuis partibus in loco præcitato obiiciebantur, facilè diſſolvi poſſunt.

7 Notanter in hac 2. concl. diximus, quod non correſpondet aliqua partialis ſubſiſtentia partibus totius integralis, *ipſum actualiter componentibus*; nam huiuſmodi partes ſeorſim exiſtentes, v.gr. pars aquæ, aut fruſtum ligni, cum ſint entia ita completa, & directè in genere ſuo, ſicut tota aqua, aut integrum lignum, ut per ſe conſtat; gaudent propriis, & totalibus ſubſiſtentiis. Neque obſtat ad hoc, quod tale ligni fruſtum, pars aquæ ſeorſim exiſtens, & alia huiuſmodi conjungi poſſunt cum aliis, ex quibus unum totum integrale reſultet, & ſic ſeorſim exiſtentia ſunt communicabilia, quæ communicabilitas videtur opponi ratione ſubſiſtentiæ, ut conſtat ex dictis. Non quidem obſtát hoc; nam tale fruſtum ligni , & alia ſimilia non ſunt ſic communicabilia, quatenus ſunt quædam tota integralia, ſed quatenus ſunt quædam entia apta, ſeu capacia ad hoc ex eis cum aliis eiuſmodi cōiunctis, reſultet aliud totum integrale; in quo caſu ſicut amittunt rationem totius integralis,

&

& rationem partium induunt, ita amittunt ſubſiſtentiam propriam; quam ante conjunctionem habebant, & ſubſiſtunt per ſubſiſtentiam totius integralis, quod componunt. Ex quo conſtat partes integrales ſeorſim exiſtentes habere proprias ſubſiſtentias; an autem partes phyſicæ eſſentiales etiam ſeparatæ proprias habeant ſubſiſtentias, dicemus infra.

8 Arg. 1. contra utramque concl. per ſubſiſtentiam totius compoſiti; non tantùm ipſum, ſed etiam ejus partes immediatè ſubſiſtunt; ergo talis ſubſiſtentia totius eſt extenſa; ac proinde non ſimplex, ſed compoſita ex ſubſiſtentiis partialibus, ſicut ipſum totum eſt compoſitum ex partibus. Reſpond. 1. cum Illuſtriſſimo Merin. diſtinguendo conſequ. talis ſubſiſtentia eſt extenſa, intrinſece, & entitative, neg. extrinſece, & velut ſubjective, conced. & neg. alteram conſeq. Itaque ſicut anima rationalis, quæ eſt indiviſibilis, & inextenſa entitative, non ſolùm informat totum corpus immediate, ſed etiam quamlibet ejus partem, quapropter dici poteſt ſubjective extenſa; ſic pariformiter ſubſiſtentia, quæ eſt entitative ſimplex, & inextenſa, poteſt præſtare ſuum effectum immediate non tantum toti compoſito, ſed etiam iſtius partibus; ideòque poteſt dici extenſa extrinſece, ſeu ſubjective, 2. reſpond. negando antec. dumtaxat enim totum compoſitum realiter à partibus diſtinctum ſubſiſtit immediate, partes autem tantum ſubſiſtunt mediate, hoc eſt, mediante ipſo toto, & nulla immediate ſubſiſtunt ſubſiſtentia. Hoc bene obſervato, & ſimul, quod perſonalitas propria eſt quaſi effectus reſultans ex natura ſubſtantiali completa, ſed iſti non unitur media aliqua reali unione, cùm illa ſit quid merè negativum, plura alia diſſolventur argumenta.

9 Arg. 2. ſpecialiter contra 1. concluſ. deſtructa unione totius humanitatis aſſumptæ à Verbo

bo in triduo mortis Chriſti D. partes, ſcilicet anima, & corpus manſerunt unitæ ipſi Verbo, ut fides docet: ergo manſerunt immediatæ unitæ illi; ac proinde per talem unionem ſupplebantur partiales ſubſiſtentiæ, quas tales partes ex ſe haberent, ſi Verbo unitæ non remanſiſſent. Reſpond. explicando antec. tales partes manſerunt unitæ Verbo, media aliqua unione immediata, quæ ante ſeparationem præceſſerit in illis, neg. media alia unione de novo producta, conced. antec. & conceſſa prima conſequ. negatur ſecunda. Quid præſtiterit Verbum talibus partibus unitis cum ipſo, & inter ſe ſeparatis, infra dicemus.

10 Dicimus 3. partes phyſicæ eſſentiales, v. g. corpus, & anima, ſeorſim exiſtentes non habent propriam, & rigoroſam ſubſiſtentiam. Prob. hæc concluſ. quia id, quod propriè, & rigoroſè ſubſiſtit, debet eſſe actualiter, & aptitudinaliter incommunicabile, & inordinabile ad alium actum ſimpliciter ultra illum, quem de facto habet, qui alius actus ulterior poſſit eſſe actus per ſe illius, vel primò, vel participativè, ut ex tota diſp. ſatis conſtat, ſed quævis pars phyſica eſſentialis ſeorſim exiſtens dicit ſuapte natura aptitudinem ad ejuſmodi actum, nempe ad actualitatem, ſeu ſubſiſtentiam totius compoſiti: quæ ſubſiſtentia poteſt eſſe actus per ſe talis partis, licet non primò (hoc enim tantum convenit toti) ſaltim participativè, cùm omnis huiuſmodi pars participet actualitatem illius compoſiti, cuius eſt pars: ergo tales partes ſeorſim exiſtentes nulla gaudent propria, & rigoroſa ſubſiſtentia.

11 Arg. contra hanc concl. anima rationalis (idem eſt de aliis partibus, quæ ſunt per ſe exiſtentes) non ſolum exiſtit per ſe, prout talis perſeitas opponitur inaleitati, ſeu inhærentiæ, quæ eſt propria accidentium: ſed etiam prout talis perſeitas dicit negationem communicatio-

nis

nis ad ſuppoſitum alienum; ſed quod ſic per ſe exiſtit, propriè, & rigoroſè ſubſiſtit; erg. &c. Reſp. conceſſa mai. negando min. ad propriam enim, & rigoroſam rationem ſubſiſtentiæ non ſufficit, quod aliquid actualiter non ſit communicatum alio, tamquam ſuppoſito: ſed adhuc eſt neceſſariò requiſitum, quod habeat negationem aptitudinalis communicationis, ſeu quod non ſit aptum communicari alteri, à quo recipiat ulteriorem actum per ſe, vel primò, vel participativè (hoc enim ſaltim connotativè, & præſuppoſitive ad rationem propriæ ſubſiſtentię indiſpenſabiliter requiritur) quod non habet anima ſeparata, nec alia hujuſmodi pars; cùm hæ importent connaturalem aptitudinem, ſeu exigentiam, ut communicentur toti.

12 Arg. 2. corpus, & anima Chriſti D. cum eſſent inter ſe ſeparata remanſerunt unita divino Verbo, ut ſup. manet dictum; ergo complebantur per ſubſiſtentiam Verbi, & conſequenter huiuſmodi partes, cum ſunt ſeparatæ ſunt capaces ſubſiſtendi. Ad hoc argumentum, quod valde difficile viſum eſt pluribus, reſp. cum noſtro Maſtr. quod ſicut plures Theologi docent, Verbum divinum potuiſſe aſſumere non ſolum partes eſſentiales phyſicas ſeorſim exiſtentes, ſed etiam accidens ſeparatum à ſubjecto (hoc ipſum videtur colligi ex Scoto in 3. diſt. 22. q. unic. in fine) quin ex hoc inferatur, quod accidens ſeparatum habeat propriam, & rigoroſam ſubſiſtentiam, ſic ex eo quod corpus, & anima inter ſe ſeparata fuerunt aſſumpta à Verbo, non benè infertur, tales partes ſeorſim exiſtentes habere proprias ſubſiſtentias.

13 Ratio pro hac doctrina eſt, quia unio alicujus entis creati cum Verbo, ſeu ſuppoſito divino multifariam fieri poteſt; nam vel poteſt fieri per modum perſonationis, ut cum aſſumi-

tur

tur à tali ſuppoſito natura intellectualis completa, v.gr. natura humana; vel per modum ſuppoſitationis, & hypoſtaſeitatis, ut ſi ab illo aſſumeretur natura irrationalis; vel per modum cujuſdam ſimplicis ſuſtentificationis (ablatis imperfectionibus actus, & potentiæ) ut ſi aſſumeretur ab eo aliqua forma accidentalis; vel denique per modum ſubſtantialis ſuſtentificationis (etiam illis imperfectionibus ſublatis) quo pacto fuerunt aſſumpta à Verbo corpus, & anima inter ſe ſeparata in morte Chriſti D. talium tamen partium unio non terminabatur ad Verbi ſubſiſtentiam, quatenus hæc exercet munus perſonandi, ſeu faciendi perſonam; ſed quatenus exercet munus habendi eſſe independenter ab alio tamquam à ſubjecto; qui modus eſſendi independenter dicitur largè, & latè *ſubſiſtere*; & tale eſſe potuit ſuppleri in illis partibus, modo dicto, per immediatam unionem illarum cum ſuppoſito divino, quod etiam hoc genere independentiæ eſt independens:

14 Pro totius diſp. coronide dubitabis, an etiam ſubſtantiis ſpiritualibus creatis, ſeu Angelis conveniat ſubſiſtentia diſtincta à parte rei ab ipſorum natura? Reſp. affirmativè, & prob. quia natura Angelica non minus poteſt aſſumi hypoſtaticè à Verbo, quam humana: ſed ex hac aſſumptibilitate naturæ humanæ rectè infertur illius ſubſiſtentiam realiter ab illa diſtingui: ergo idem dicendum eſt de ſubſiſtentia naturæ ſpiritualis completæ, ſeu angelicæ. Cætera patent, & mai. prob. ex D. Paulo, qui in Epiſt. ad Hebr. 2. commendans hominibus Incarnationis beneficium, ſic ait; *Nuſquam Angelo apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*; ſed in his verbis apertè innuit, Verbum potuiſſe aſſumere naturam angelicam; ſicut apprehendit humanam, ut ex ipſis manifeſtè conſtat; ergo, &c. ſ]

D I S P. V.

De principio individuationis.

POſtquam de ſubſiſtentia entis naturalis anteriori in diſp. actum eſt, in hac examinare libuit ejus individuationem, ſeu principium individuationis illius, ratione cujus ens conſtituitur hoc, ſingulare, ſeu individuum, id eſt, indiviſum, & indiviſibile in alias partes ſubjectivas, quibus communicari poſſit per modum naturæ communis, & ſuperioris. Pro qua diſputatione ſit

QUÆSTIO UNICA.

Quodnam ſit principium individuationis entis naturalis?

PLura, quæ in Logica, tract. de Univerſalibus, tam in diſp. 1. quam in 7. diſput. diximus, ad perfectiorem hujus difficultatis intelligentiam hic adaptari poſſunt, quare illa attentè recolere operæ pretium erit. Modo autem

1 Supponimus 1. quod in præſenti non eſt ſermo de ſingulari, ſeu individuo Logicè, ſeu ſecundò intentionaliter ſumpto; & quatenus eſt correlativum ſpeciei; nam ſub hac conſideratione, illius individuatio conſiſtit in reſpectu ſubiicibilitatis ad ſpeciem, qui reſpectus eſt quędam ſecunda intentio facta negotiatione intellectus; de quo jam egimus in Log. diſput. 7. ſup. cit. Neque item inquirimus principium effectivum individuationis rei; hoc enim certum omninò eſt, eſſe cauſam efficienter productivam talis rei: ſed principium formale, illud ſcilicet, quo res conſtituitur formaliter in eſſe ſingularis, ſeu individuæ.

2 Supponimus 2. omne id, quod realiter, ſeu

ſeu in rerum natura exiſtit, eſſe ſingulare, ac individuum. Cuius ratio eſt, quia quidquid ſic exiſtit, vel eſt creatum, vel increatum; ſeu eſt ab alio, vel à ſe. Si eſt increatum & à ſe, eſt Deus, qui eſt ex ſe ſingulariſſimus. Si eſt creatum, & ab alio, neceſſario eſt quid extra ſuas cauſas productum, & conſequenter quid ſingulare: ſiquidem quævis productio, cùm determinata, & ſingularis ſit, in rem ſingularem tendit.

3 Supponimus 3. quod nulla natura creata eſt ex ſe eſſentialiter ſingularis, & individua. Et ratio huius ſuppoſiti eſt, quia licet huiuſmodi natura, ſecundum ſe conſiderata, ſit eſſentialiter determinata ad ſua prædicata quidditativa, v. gr. natura humana ad animalitatem, & rationalitatem; attamen ſic determinata non eſt ad principia individualia; talis enim natura, quantum eſt de ſe, non eſt magis Petri, quam Antonii, ſed indifferenter ſe habet ad utrumque alias nullum daretur fundamentum ad univerſalitatem, quod in Log. manet evidenter impugnatum, ergo natura creata non eſt ex ſe eſſentialiter ſingularis, & individua, ſed hoc habet ab aliquo extra eſſentiali illi ſuperaddito Prob. conſeq. quia ex eo quod natura generica eſt de ſe indeterminata ad plures ſpecies, tribuimus illi ſpecificam differentiam, per quam potius ad unam ſpeciem, quam ad aliam determinetur; ſed natura ſpecifica eſt etiam ſic indeterminata reſpectu individuorum illius; ergo concedi debet differentia numerica, per quam potius ad unum individuum, quam ad alterum determinetur: conſequenterque nulla natura creata eſt ex ſe eſſentialiter ſingularis. Ex quo immediate infertur, talem differentiam numericam eſſe aliquid ex natura rei à natura diſtinctum.

4 Supponimus 4. quod licet natura conſtituatur in eſſe ſingularis; ſeu individuæ per ne-

gationem diviſionis, & diviſibilitatis in plures ſimiles; individuum enim eſt id, cui repugnat dividi in plura, quorum quolibet ſit ipſum; non tamen conſtituitur in eſſe talis præciſe per meram illam negationem; ſed individuatio ſuperaddit naturæ quandam formalitatem poſitivam ex natura rei ab illa diſtinctam, à quo formalitate dimanant illa negatio, ſeu repugnantia diviſionis, & diviſibilitatis. Ratio pro hoc ſuppoſito eſt Scoti infra cit. quia nihil ſimpliciter repugnat alicui per ſolam negationem; ſed naturæ individuæ repugnat diviſio, & diviſibilitas modo explicato; ergo non repugnat hoc illi per ſolam negationem, ſed per aliquid poſitivum. Cætera patent, & mai. conſtat inductione; nam negatio corporeitatis, quam Angelus v. g. habet, convenit ei ratione ſpiritualitatis, qua gaudet. Negatio brutalitatis, quam habet homo, illi utique convenit ratione rationalitatis, quæ in eo eſt: ſed tam ſpiritualitas Angeli, quam rationalitas hominis ſunt entitates poſitivæ; à quibus dimanant illæ negationes corporeitatis, & brutalitatis: erg. &c. Ex quo apparet diſcrimen inter has negationes, & negationes communicabilitatis, quas importat perſona creata, modo dicto diſput. præced. iſtæ enim, cum ſint non repugnantiæ; nam non repugnat naturæ creatæ perſonatæ communicari ſuppoſito alieno, uti eſt divinum Verbum, non conveniunt naturæ ſingulari ratione alicujus poſitivi ei ſuperadditi, ſed in mera negatione ſiſtunt. His ſuppoſitis, per ſequentes ſectiones aliquas ſententias proponemus, & impugnabimus, & in ultimo loco Scoticam, & noſtram mentem aperiemus. Igitur ſit.

SECTIO I.

In qua neque exiſtentiam rei, neque aliquod illius accidens eſſe principium indiuiduationis eius, demonſtratur.

1 DIcimus 1. exiſtentia rei non eſt principium formale, nec radicale indiuiduationis illius. Sic Scotus in 2. diſt. 3. quæſt. 3. §. *Contra iſtud*, lit. A. Et prob. ratione ipſius, imò & illius ferè verbis: quod non eſt ex ſe diſtinctum, & determinatum, non poteſt eſſe principium diſtinguens, & determinans aliud, ut per ſe patet; ſed eſſe exiſtentiæ rei (eo modo, quo ab illius eſſe eſſentiæ diſtinguitur) non eſt ex ſe diſtinctum, neque determinatum; ergo nec principium diſtinguens, & determinans aliud. Prob. min. quia eſse exiſtentiæ non habet differentias diſtinguentes, & determinantes, alias, ſeu diverſas à differentiis eſse eſsentiæ; alioquin eſset neceſsarium ponere in quolibet prædicamento duas coordinationes, unam ſcilicet eſsentiarum, & aliam exiſtentiarum, quod abſurdum nullus admittet; g. eſse exiſtentiæ non eſt ex ſe diſtinctũ, nec determinatũ, & conſequenter, &c.

6 Confirm. 1. quia effectus formalis principii indiuiduationis eſt omnino diverſus ab effectu formali exiſtentiæ; ergo hæc nequit eſse principium indiuiduationis. Patet conſeq. & anteced. prob nam effectus formalis principii indiuiduationis eſt contrahere, & determinare naturam ad infinitum gradum entis, ita ut communicari, ſeu diuidi nequeat, & ſit hæc numero, quæ aſſignari poteſt; eſſe ctus autem formalis exiſtentiæ eſt ponere formaliter extra cauſas rem, cuius eſt exiſtentia; ſed hi effectus ſunt omninò diverſi, ut evidenter conſtat; ergo &c. Confirm. 2. quia indiuiduatio præcedit (prioritate, quę inter illas dabilis eſt) exiſtentiam; ergo non poteſt hæc

eſſe principium illius. Prob. antec. quia exiſtentia ſuaptè natura eſt ultimus actus rei, illam extra ſuas cauſas conſtituens; ergo neceſſario ſupponit rem, quam ſic extra cauſas conſtituit, completam quoad omnem gradum prædicamentalem eſſendi; ſed ultimus huiuſmodi gradus eſt individuatio, ſeu differentia individualis. nequit enim res fieri exiſtens ſine individuatione; ergo hæc præcedit, ſeu præintelligitur ad exiſtentiam; ac per conſequens, &c. Obſervandum hic eſt, idem quod de individuatione actuali reſpectu actualis exiſtentiæ dicitur, dicendum eſſe (modo convenienti cuilibet pro ſuo ſtatu) de individuatione poſſibili reſpectu poſſibilis exiſtentiæ.

7 Arg. contr. hanc concluſ. ex Ariſtot. 7. Met. dicente, quod actus eſt, qui determinat, & diſtinguit; g. ultima determinatio, & diſtinctio, uti eſt individualis, erit per ultimum actum; ſed ultimus actus eſt exiſtentia, ut eſt certum; ergo &c. Reſpond. quod Ariſt. tantum docet actum determinare, & diſtinguere in illa linea, in qua eſt actus, non autem in alia. In quo ſenſu eſt verum anteced. & conſeq. ſed diſtinguitur min. ſubſumpta; exiſtentia eſt ultimus actus, in linea prædicamentali neg. in alia linea, conc. min. & neg. conſequ. itaque principium individuationis debet eſſe ultimus actus naturæ intra lineam prædicamentalem: quæ ultimi actus ratio nullatenus exiſtentiæ convenit; nam prædicamenta, ut omnes fatentur, abſtrahunt ab exiſtentia. Vel aliter diſtingui poteſt eadem min. exiſtentia eſt ultimus actus, reſpectu potentiæ obiectivæ naturæ, conced. reſpectu indifferentiæ illius ad plura, ut eſt ultimus actus individuatio, neg. min. Quæ diſtinctio ſatis ex ipſius terminis patet, ideo expoſitione non eget. Obſervare tamen oportet, ut dicta melius capiantur, & plura, quæ obiici poſſunt, facilè diluantur, quod illa formalitas, quæ eſt ultimus actus, & quam

con-

conſequitur unitas individualis, debet ſpectare ad lineam, ſeu ſeriem prædicamentalem;& licet exiſtentia gaudeat ratione ultimi actus, eſt tamen poſterior tota coordinatione prædicamentali,& nullatenus per ſe pertinens ad illam: unde Doctor ſupr. cit. concedit, quod exiſtentia ultimate diſtinguit, ſed ea diſtinctione, quæ eſt extra totam per ſe prædicamentalem coordinationem: quę diſtinctio aliquomodo poteſt dici accidentalis, non tamen in toto rigore, cum exiſtentia non ſit purum accidens phyſicum rei, ſed modus intrinſecus illius, ut dictum eſt diſp. 3. qu. 3.

8 Dicimus 2. tota collectio accidentium cum aliis circumſtantiis eis annexis, ut ſunt locus, tempus, &c. nequit eſſe principium individuationis alicuius rei ſubſtantialis. Sic Scotus ubi ſupr. qu. 4. Et prob. quia in quavis coordinatione prædicamentali ſunt omnia quæ ad illam ſpectant, ablato quocumque alio, quod eſſentialiter non eſt illius coordinationis; ſiquidem prædicamentales coordinationes ſunt impermixtæ, ita ut nihil unius coordinationis ſit tale per aliquid alterius coordinationis, ut per ſe eſt manifeſtum: ſed ens ſubſtantiale eſt in coordinatione ſubſtantiæ, non ſolum ſecundum totum eſſe ſpecificum, ſed etiam ſecundum eſſe individuale; erg. eſt in tali coordinatione, ablato quocumque alio alterius coordinationis: ſed omnia accidentia, & prædictæ circumſtantiæ ſunt alterius diverſæ coordinationis à coordinatione ſubſtantiæ, ut patet: g. nullum ens ſubſtantiale poteſt conſtitui formaliter in eſſe individui per collectionem omnium accidentium, & per tales extrinſecas circumſtantias.

9 Confirm. quia eſt omninò implicatorium, quod ens ſubſtantiale, abſque ſubſtantiali ipſius mutatione, de hoc fiat non hoc; vel è contra, de non hoc fiat hoc; Joannes enim v. g. ſi maneat ſubſtantialiter immutatus, fieri nequit non Joannes, vel fieri Petrus, ut evidenter pa-

tet: ſed ſi collectio accidentium cum illis circumſtantiis eſſet principium individuationis, ſequeretur præfatum abſurdum: g. &c. Probat. min. quia ens ſubſtantiale, ut tale, eſt prius omni accidente, ab illoque independens, & realiter diſtinctum: ſed eo ipſo poteſt abſolutè fieri, & eſſe ſine illo, ut eſt conſtans; hæc enim ſunt capita, ſeu ſigna manifeſta realis ſeparabilitatis: erg. ſi talis collectio accidentium eſſet principium individuationis entis ſubſtantialis, poſſet iſtud fieri de hoc non hoc, abſque aliqua eius mutatione ſubſtantiali, quod implicat omninò, & conſequenter, &c. Ob eamdem rationem, ſi attente conſideretur, nequeunt circumſtantiæ extrinſecæ, uti ſunt locus, tempus, &c. eſſe principium individuationis alicuius entis.

10 Pro ſolutione argumentorum, quę contra hanc concl. ex aliquorum auctoritatibus confici ſolent, expedit obſervare cum Scoto, quod eſt duplex differentia individualis, alia ſcilicet intrinſeca & in ſe; alia extrinſeca, & quoad nos. Intrinſeca, & in ſe, quæ etiam vocatur primaria, eſt illa formalitas, per quam formaliter, & intrinſecè conſtituitur ens in eſſe ſingularis, & individui Extrinſeca autem, & quoad nos, quæ ſecundaria etiam appellatur, ſunt collectio accidentium, & illæ circumſtantiæ aſſignatæ; nam cum noſtram cognitionem lateant differentiæ individuales, ex differentibus accidentibus, aliiſque circumſtantiis ſolemus diſcernere unum individuum ab alio, non tamquam ex principio intrinſeco diſtinctivo individualiter; ſed tanquam ex aliquo ſigno extrinſeco illam individualem diſtinctionem nobis manifeſtante. Unde, cum PP. vel aliqui alii docere videntur, collectionem accidentium, & prædictas circumſtantias eſſe principium individuationis rerum, tantum intendunt, hoc ita eſſe, in ſecundo ſenſu ex præexplicatis, non autem in primo, & ſic neceſſario ſunt interpretandi.

Di-

11 Dicimus 3. quantitas, quomodocumque conſideretur, non poteſt eſſe principium individuationis entis ſubſtantialis. Hæc concl. licet directè maneat probata ex dictis pro præcedenti: quia tamen, in aliquorum ſententia, in quantitate reperitur, ut ſic tale principiū individuationis, aliqua ſpecialis ratio, quæ non adeſt in cæteris accidentibus, ideo ſic ſpecialiter oſtenditur: ſubſtantia prima, ſeu ſingularis ut ſic non habet à quantitate ſuam entitatem individualem: g. quantitas non eſt principium individuationis illius. Patet conſeq. & antec. prob. quia quilibet gradus ſubſtantiæ, etiam infimus, ſeu ultimus, quia eſt gradus numericus, eſt ſubſtantalis: ſed à nullo acccidente præſtari poteſt aliquid ſubſtantiale: g. à quantitate, quæ eſt merum accidens, nequit habere ſubſtantia ultimum ipſius gradum, ſeu entitatem individualem.

12 Nec valet dicere, ut aliqui reſpondent, quod individuum duabus gaudet rationibus. Prima, & principalis eſt eſſe incommunicabile pluribus, ſecunda autem, eſſe ab aliis numericè diſtinctum; licet enim (inquiunt) quantitas nequeat præſtare ſubſtantiæ illam primam rationem, benè tamen ſecundam; nam ſubſtantia ſingularis, quod ſit actualiter diſtincta numericè ab aliis, habet à quantitate. Hoc quidem non valet; nam (præterquam quod in tali reſponſione involvitur quoddam omnino falſum apud omnes, nempè, principium conſtitutivum nō eſſe idem ac principium diſtinctivum) ſic impugnatur: entitas Petri, v. g. affecta tali quantitate; & entitas Pauli affecta alia quantitate diſtincta, independenter ab his quantitatibus, ſunt entitates ſubſtantialiter diſtinctę, utpotè diſtinctę per individuales differentias; g. talis ſubſtantalis diſtinctio non præſtatur illis à quantitate. Patet conſeq quia nihil pręſtare poteſt effectum perfectiorem ſe, & ultra ſuam ſpeciem; g. quantitas, quæ eſt accidens, nequit præſtare diſtinctionem

ſubſtantialem. Primum antec. etiam eſt certum, quia negari non poteſt, Petrum, & Paulum intra lineam ſubſtantialem naturæ humanæ, & ante omnem accidentalem coordinationem, eſſe inter ſe diſtinctos: g. &c.

13 Prob. 2. eadem concl. ab inconvenienti: quia ſi ſubſtantia individuaretur à quantitate, ſequeretur, quòd in conſecratione panis v. gr. hic numero panis non tranſubſtantiaretur in corpus Chriſti D. ſed hoc opponitur fidei: erg. &c. Prob. mai. quia ut unum numero in aliud tranſubſtantietur neceſſe eſt, quòd ſingularitas illius tranſubſtantietur in ſingularitatem iſtius, ut per ſe patet: g. quando ſingularitas unius non tranſubſtantiatur in ſingularitatem alterius, non tranſubſtantiatur unum numero in aliud: ſed cùm panis in Euchariſtia conſecratur, remanet ejus quantitas, quæ juxta oppoſitam ſententiam, eſt ratio individuationis panis: ergo talis quantitas, quæ eſt ratio ſingularitatis, non tranſubſtantiatur, & conſequenter, ſi quantitas eſſet principium individuationis ſubſtantiæ, hic numro panis non tranſubſtantiaretur, cùm conſecratur, in corpus Chriſti D. quod eſt contra fidem. Alia inconvenientia, quæ ex ſententia oppoſita noſt. concl. ſequerentur, videri poſſunt apud noſtros Merin. & Maſt.

14. Prob. 3. 3. præcludendo quandam aliquorum evaſionem: nam ſi aliqua quantitas eſſet principium individuationis ſubſtantiæ, vel eſſet quantitas interminata, vel quantitas terminaua (vocant quantiatem interminatam illam, quam dicunt, falsò tamen, & abſque aliquo fundamento, eſſe in materia ante adventum formæ ſubſtantialis; terminatam autem, illam, quæ poſt adventum talis formæ ineſt toti compoſito) ſed neutra tale principium eſſe poteſt: erg. &c. Prob. quia non quantitas terminata; quia hæc eſt poſterior tota conſtitutione ſubſtantiali compoſiti: ſed individuatio eſt de ſub-

ſtan-

ſtantiali conſtitutione illius: erg. &c. Neque quantitas interminata; nam iſta (permiſſo quod detur) manet eadem in genito, & corrupto, ut patet; ſed genitum, & corruptum nequeunt eſſe idem numero: g. quantitas interminata non tribuit individuationem; & conſequenter, &c.

15 Hic eſt animadvertendum, quòd cùm Ariſt. aliquibus in locis declarat unitatem, & diſtinctionem entitativam rerum materialium per unitatem, & diſtinctionem quantitativam earum, non vult docere, unitatem, & diſtinctionem quantitativam formaliter præſtare ſubſtantiis unitatem, & diſtinctionem entitativam, ſeu individualem hoc enim eſt prorſus alienum à ratione; ſed hoc ſic explicatur, eo quòd unitas, & diſtinctio quantitativa eſt nobis familiaris, & nota, non autem ſic entitativa; propter quod, cùm partes aquæ v. g. ſunt ab invicem diviſæ, & diſcontinuatæ, benè ex tali quantitativa diſtinctione, ſaltim extrinſecè, quaſi per ſignum, agnoſcimus entitativam, & ſubſtantialem earum diſtinctionem; quam non adeò benè cognoſcimus, quando tales partes ſunt inter ſe continuatæ, & coniunctæ.

16 Advertendum eſt etiam pro aliquibus enervandis argumentis, quæ magis in æquivocatione, qua laborant, quàm in ratione, qua gaudent, aliquam vim videntur habere, maximum verſari diſcrimen inter unitatem entitativam, ſeu ſubſtantialem, & quantitativam unitatem; nam unitas entitativa conſiſtit in diviſione alicujus in plura, quorum quodlibet ſit ipſum, & diſtinctione ſuæ entitatis à qualibet alia: unitus autem quantitativa conſiſtit in indiviſione alicujus quanti in plures partes, ſeu in continuatione mutua omnium partium, ex quibus coaleſcit: unde numerus prædicamentalis, qui ex diviſione continui reſultat, conſtat ex pluribus unitatibus numeralibus quantitativis; numerus verò tranſcendentalis ex pluribus

unitatibus entitativis. Et licet poſſit concedi, quòd individuum ſubſtantiæ materialis penes unitatem quantitativam, individuatur à quantitate, propter immediatè dicta; ſemper tamen negari debet, quòd à quantitate individuetur penes ſuam unitatem entitativam; quippè hæc eſt ſubſtantialis, & intrinſeca, quæ tantùm ab aliquo intrinſeco haberi poteſt, nempè à propria rei hæcceitate, ut dicemus poſteà.

SECTIO II.

In qua materiam, quomodocumque inſpectam, non eſſe principium individuationis oſtenditur.

17 Dicimus 3. in ordine quæſtionis: materia prima non eſt principium individuationis compoſiti ſubſtantialis. Sic Scotus ubi ſup. qu. 5. Prob. quia ſi eſſet materia principium individuationis compoſiti ſubſtantialis, nõ poſſent multiplicari numero compoſita, quin etiam numero multiplicaretur materia, ut eſt evidens: ſed multiplicantur numero compoſita, quin multiplicetur numero materia: g. ideò eſt, quia hæc non eſt principium individuationis. Prob. min. quia quando ex ligno v. gr. gignitur ignis, certum omninò eſt, eamdem numero materiam, quæ præceſſit in ligno, manere in igne ex illo genito: ſed etiam eſt abſque dubio, lignũ, & ignem eſſe duo compoſita numero diſtincta, ut eſt manifeſtum; g. multiplicantur numero compoſita; quin multiplicetur numero materia, & conſequenter, &c. Vi hujus, & aliarum pro noſtra concluſ. rationum preſſi oppoſitum ſuſtinentes variè ad illas reſpondere conantur; aliquas tamen ſolùm opponemus eorum reſponſiones, ex quarum impugnatione, facilè præcluduntur aliæ.

18 Reſp. igitur, quòd materia non utcumque

eſt

eſt principium phyſicum individuationis, ſed ut ſignata quantitate. Quid tamen per materiam ſignatam quantitate debeat intelligi, diverſimodè ab illis explicatur. In primis enim aliqui dicunt, materiam ſignatam quantitate nihil aliud eſſe, niſi materiam affectam quantitate. Quo dicendi modo ſuppoſito, contra hanc reſponſ. ſic argum: vel talis quantitas, qua eſt ſignata, ſeu affecta materia, ſubjectatur in ipſa materia immediatè, vel in toto compoſito? Si primum, ratio præcedens pro concluſ. adhuc ſubſiſtit, ſiquidem non tantùm manet in compoſitio genito materia prima eadem, quæ præceſſit in corrupto, ſed etiam eadem quantitas (gratis dato, quòd hoc ita ſit) quæ immediatè inerat tali materiæ; non enim datur aliquod caput, ex quo colligatur, iſtam quantitatem deſinire eſſe, cùm compoſitum corrumpitur, ut ſcrutanti patebit: ſed corruptum, & genitum, v. g. lignum, & ignis ex eo genitus ſunt diſtincta individualiter compoſita: erg. ſi materia, adhuc ut affecta tali quantitate, eſt eadem, hæc nequit eſſe principium individuationis.

18 Reſpondent huic impugnationi, quòd quamvis quantitas ſubjectetur in materia, & hæc, quæ eſt, quæ præfuit in compoſito corrupto, & vocatur quantitas interminata, remaneat, in compoſito genito, ſicut remanet eadem numero materia, cui ineſt; non tamen ſic remanet quantitas terminata, illa ſcilicet, quæ ſubſequitur eſſe formæ in materia, & mutatur, ſeu variatur ad mutationem formarum ſubſtantialium: unde cùm materia ſignata hac ſecunda quantitate ſit principium individuationis compoſiti, nil mirum, quòd hoc multiplicetur numero, ſiquidem illa etiam numero multiplicatur.

19 Sed contra argum. ſic: vel ſic reſpondentes vocant quantitatem terminatam illam, quæ conſtat certis, ac determinatis terminis longitudinis, latitudinis, & profunditatis; vel illam, quam

quam afficiunt certæ diſpoſitiones qualitativæ, ut raritas, denſitas, &c. quibus materia potiùs ad unam, quàm ad aliam, determinatur formam: ſed quomodocumque hæc quantitas ſignata explicetur, materia affecta illa nequit eſſe principium individuationis; g. &c. Prob. min. nam vel illa quantitas ſignata in primo ſenſu ſubjectatur in toto compoſito immediatè, vel in ſola materia? Si in illo, non poteſt eſſe principium individuationis illius, ut num. ſequenti demonſtrabimus. Si in iſta: g. non eſt ſufficiens ad ſignandam talem materiam taliter pro hoc compoſito numero, quod nequeat eſſe alterius numero compoſiti. Patet conſeq. quia non ſolùm de abſoluta Dei potentia, verùm etnaturaliter, poteſt evenire, quòd eadem portio materiæ, quæ cum tali numero quantitate fuit in hoc compoſito, tranſeat ſucceſſivè in aliud cum eadem numero quantitate, ut patet in virga priùs viridi, & poſteà arida; ergo materia affecta quantitate ſignata in primo ſenſu nequit eſſe individuationis principium. Sed neque in ſecundo ſenſu tale principium eſſe poteſt; tum quia ſic, non materia ſignata quantitate eſſet principium individuationis, quòd eſt directè contra ipſos; ſed materia ſignata qualitatibus; tum quia nullum accidens, uti eſt qualitas, poteſt eſſe tale principium, ut in ſect. præcedenti à num. 8. latè oſtenſum eſt.

20 Jam probatur, quòd, ſi illa quantitas, qua, dicunt, eſſe ſignatam materiam, ſubjectetur immediatè in toto compoſito, etiam nequeat eſſe principiũ individuationis; quia prius naturaliter eſt (juxta hunc etiam dicendi modum) compoſitum eſſe ens aliquod ſubſtantiale, quàm quòd ſit affectum quantitate; quantitas enim ſingularis non afficit compoſitum ſubſtantiale ut ſic, ſeu in communi, ſed compoſitum determinatum numero, ſeu in ſingulari; ſed hoc ipſo, ut patet, præintelligitur in tali compoſi-

poſito antea quantitatem quidquid requiritur ad rationem ſuæ individuationis, tam phyſicè, quàm metaphyſicè; ergo, &c. Deinde, quia compoſitum ſubſtantiale, ut naturaliter præcedit quantitatem, quæ ipſi, tamquam ſubiecto, ineſt, eſt adæquatus terminus generationis ſubſtantialis; ſed talis generatio, ut potè ſingularis; neceſſariò ad ſingulare terminatur, ut per ſe conſtat: ergo compoſitum ſubſtantiale, ut præcedit natura quantiatem, eſt ſingulare, & individuum: ac proinde nequit individuari à quantitate ſubiectata in ipſo.

12 Reſpondent alii, quòd per materiam ſignatam quantitate non intelligitur materia affecta quantitate, ſed materia capax huius potiùs quantitatis, quam illius, quatenùs ſcilicet à naturali agente determinatur ad hanc potiùs quantitatem, quàm ad aliam; quo pacto materia ſignata quantitate dicitur, & eſt principium individuationis. Hæc tamen reſponſio non plus, quàm præcedentes, noſtræ ſatisfacit rationi; & ideò contra illam ſic argument. ideò ſic reſpondentes nolunt admittere, materiam affectam quantitate eſſe principium individuationis compoſiti ſubſtantialis, quia quantitas pertinet ad prædicamentum diverſum ab eo, ad quod ſpectant ſubſtantiæ materiales completæ, ac individuæ; ſed capacitas ad ſuſcipiendam hanc potiùs quantitatem, quam aliam, ad quam capacitatem materia determinatur ab agente naturali, media actione præcedente generationem, pertinet etiam ad diverſum prædicamentum ab eo, ad quod tales ſubſtantiæ ſpectant; ergo neque prout ſic ſignata, poteſt materia eſſe individuationis principium. Prob. min. quia talis determinata capacitas eſt quoddam accidens materiæ; nam omninò ab extrinſeco provenit ei, & poteſt talis materia eſſe ſine tali determinata capacitate; ut eſt evidens; ſed eſt certum, accidens ſpectare

ad prædicamentum diverſum ab eo, quod pertinent prædictæ ſubſtantiæ individuæ: ergo, &c. Deinde, quia materia ſecundùm ſuam potentiam, & capacitatem priùs reſpicit formam ſubſtantialem, quàm quantitatem, & quodlibet accidens: ergo priùs determinatur talis capacitas ad talem numero formam ſubſtantialem, & conſequenter ad tale numero ſubſtantiale compoſitum, quàm ad quantitatem, ac per conſequens, &c.

22 Reſpondent ad hoc, quod talis capacitas huius potiùs quantitatis, quam illius, per quam materia ſignatur, & eſt principium individuationis compoſiti, non eſt aliquod accidens materiæ, ſed eſt aliquid realiter cum ipſa materia identificatum: unde ſpectat ad idem prędicamentum ad quod pertinent ſubſtantiæ completę; & non eſt aliquid poſterius tali materia, ſed aliquid ipſam concomitans, potenſque eſſe tale individuationis principium. Sed contra hunc etiam dicendi modum argument. ſic: nam capacitas, per quam materiam ſignatur (juxta ſic reſpondentes) ut ſic principium individuationis, eſt capacitas determinata ad hanc potiùs quantitatem, quam ad aliam: ſed huiuſmodi capacitas nequit realiter identificari cum materia: g. &c. Prob. min, quia talis capacitas non tantùm dicit potentiam materiæ ſuſceptivam quantitatis (talis enim potētia eſt omninò indifferens, & indeterminata ad quamlibet quantitatem, ut ex ſe patet) ſed etiam dicit determinationem provenientem ab actione extrinſeci agentis, per quam materia determinatur ad hanc potiùs quantitatem, quàm ad aliam; ſed talis determinatio nequit realiter identificari cum materia; ſiquidem eſt omnino ſeparabilis ab illa, in quo rationabiliter dubitari non poteſt: erg. prædicta determinata capacitas ad quantitatem realiter cum materia identificari nequit.

23 Hujus impugnationis doctrina ſic corrobo-

boratur, & amplius patefit; licet verum quidem ſit, quod potentia, ſeu capacitas, quam dicit materia ad formas ſubſtantiales indifferenter, & indeterminatè, per quam omnes æquè, atque indiſcriminatim reſpicit, realiter cum ipſa identificetur; eſt enim talis capacitas propria passio materiæ, ei ſemper, ac inſeparabiliter conveniens; capacitas tamen, per quam materia determinatè eſt capax recipiendi unam potius formam, quam aliam, quæ determinata capacitas provenit ei ab agente extrinſeco inducente in illam qualitates determinatè diſponentes ad hanc formam, & non ad aliam; hæc utique eſt realiter diſtincta a materia, eſtque accidens illius, utpotè ab illa realiter ſeparabilis, & omninò ab extrinſeco illi proveniens; ſic igitur philoſophandum eſt (imò & priori jure) de capacitate materiæ reſpectu quantitatis; unde liquidò patet, capacitatem ad quantitatem, quia ſic reſpondentes dicunt, materiam ſignari, nullatenus poſſe identificari cum illa, nec eſſe principium individuationis compoſiti ſubſtantialis,

24 Deinde, quia prædicta capacitas ad quantitatem, qua juxta adverſarios, ſignatur materia, licet poſſet determinare materiam ad talem ſpecie quantitatem; non tamen ad quantitatem talem numero, ſiquidem adhuc determinata materia per talem capacitatem, poſſet in illam alia, vel alia numero quantitas induci; ad modum, quo calor v. g. introductus in ligno, licet materiam iſtius poſſit determinare ad talem ſpecie formam, ſcilicet ad formam ignis; non tamen ad talem numero formam ignis, ſiquidem in illam materiam affectam illo calore, poteſt induci alia, vel alia forma ignis numero diſtincta. Materia ergo ſignata quantitate, quomodocumque hæc ſignatio explicetur, principium individuationis compoſiti ſubſtantialis eſſe non poteſt.

25 Reſpondent denique alij ad rationem pro no-

noſtra concluſ. quod materia ſignata quantitate eſt tale principium individuationis occaſionaliter, & quoad nos: occaſionaliter quid m, quia illa eſt principium; ſeu ſubiectum ſubſtantialis corruptionis, & generationis, per quas aliquibus individuis corruptis, ſuccedunt alia de novo genita; unde cum ſic multiplicentur numero compoſita, individualiterque diſtinguantur, hic eſt, quod occaſionaliter eſt principium talis individuationis materia, ut affecta quantitate; non enim poteſt illa phyſicè alterari, niſi media iſta. Præterea etiam quoad nos eſt tale principium individuationis, quia ex diſtinctione materiarum, ut hæ diſtinctis quantitatibus afficiuntur, devenimus in cognitionem individualis diſtinctionis entitativæ ſubſtantiarum materialium. Sed hæc reſponſio (præterquam quod plures patiatur inſtantias, quæ ex dictis contra illam fieri poſſunt, ut eam examinenti patebit) non eſt ad propoſitum huius quæſt. non enim hic inquirimus, quidnam ſit occaſio multiplicandi numero compoſita ſubſtantialia; aut quodnam ſit ſignum, per quod nos in talem individualem diſtinctionem devenimus; Sed quodnam ſit in ſubſtantiis completis principiũ phyſicum individuationis earum? Et hoc negamus, eſse materiam, ſive nude ſumptam, ſive quantitate ſignatam, quomodocumque hæc ſignatio explicetur.

26 Argum. 1. contra præjactam concluſ. ex Ariſt. 12. Met. tex. 49. dicente, non poſse reperiri plures numero primos motores, quia primus motor caret materia; ſentit ergo Ariſt. materiam eſse principium individuationis. Deinde in 7. Met. tex. 41. & in 8. text. 8. inquit; *In his, quæ ſunt ſine materia: idem eſt, quod quid eſt* (id eſt, quidditas, ſeu eſsentia) *cum eo, cuius eſt* (ideſt, ſingulari, ſeu individuo) *in conceptis vero cum materia non eſt idem, quod quid eſt, cum eo, cuius eſt*, ergo ideo hoc dicit, quia illa,

illa, quæ carent materia, carent etiam principio individuationis, propterea que ſingularitas in his non eſt aliquid diſtinctum a quidditate; illa autem, quæ materia conſtant, habent principium individuationis, ac proinde in his ſingularitas eſt aliquid a quidditate diſtinctum. Hoc ipſum innuit Philoſophus pluribus aliis in locis ergo, &c.

27 Ad 1. actoritatem reſp. cum Scoto in 1. loco alleg. *Verſ. Per idem*, ante litt. R. ibi Philoſophum loqui de materia ſumpta pro differentia individuali (quæ ab aliquibus materia metaphyſica appellari ſolet), & hac dicit carere (ſicut etiam caret materia phyſica) primum motorem, probatque, & benè, non poſſe eſſe plures primos motores, eo quod in primo motore non eſt materia, hoc eſt, non eſt aliqua formalitas contrahens, ut materia; Deus enim, qui ſolum eſt primus motor, eſt de ſe hic, & ſingulariſſimus abſque aliquo contrahente, ſeu abſque aliquo ab eius natura, & quidditate formaliter diſtincto; nam ſi per aliquid ex natura rei diſtinctum ab illius natura contraheretur ad eſſe ſingularis, daretur in eo aliqua compoſitio, & potentialitas, quæ ipſius perfectiſſimæ ſimplicitati, & ſummæ actualitati omninò repugnant. Primum ergo motorem numero multiplicari, non ideo repugnat, quia caret materia phyſica (hęc enim ratione principali individuationis nullatenus gaudent) ſed quia caret materia ſumpta pro differentia individuali; hęc quippè vocatur materia, eo quod conſtituit naturam, ſeu quidditatem in ultimo eſſe ſubiicibili, & materiali. Ad quod non obſtat, quod quatenus contrahit, & determinat naturam, poſſit dici actus, ſeu forma, ſiquidem in diverſis ſenſibus, diverſas etiam appellationes ſortiri poteſt Ex quibus deducitur, quod quoties Ariſt: aliis etiam in locis videtur docere materiā eſſe principium individuationis, loquitur de materia in

ſen-

ſenſu præexplicato, non autem in alio ab adverſariis intento.

28 Ad 2. reſp. Philoſophum in loco allegato nullatenus docere, principium individuationis compoſiti ſubſtantialis eſſe materiam phyſicam, ex qua conſtat; hoc enim, ut ſatis ex prædictis conſtat, eſt omninò à veritate alienum; intendit ergo Ariſt. (ut illum ſubtiliter, & fideliter exponit Scotus ubi ſup. quæſt. 6. §. *Ad quæſt.* 5. *Verſ. Ad propoſitum ergo*, ſub lit. Q. Et in 3. diſt. 22. quæſt. unic. §. *Ad primum. Verſ. Ad tertium*, lit. I.) quod *in his, quæ ſunt ſine materia*, ideſt, abſtractis a ſingularitate, *idem eſt, quod quid eſt, cum eo, cuius eſt*, eo quod eſſentia, ſeu quidditas, quæ per definitionem explicatur, convenit naturæ ſpecificæ (v. g. homini) ſic abſtractæ, proindeque cum illa identificatur per ſe primo. *In conceptis vero cum materia*, hoc eſt, cum conditionibus individualibus, ſeu cum ſingularitate, nempe individuis, *non eſt idem, quod quid eſt, cum eo, cuius eſt*; non quidem quia idem realiter non ſint (identificatur enim realiter quidditas naturæ cum ſingularitate, à qua contrahitur, ut ex ſępè dictis conſtat) ſed quia quidditas, quæ per definitionem explicatur, licet per ſe ſingularibus conveniat, non tamen per ſe primo, ſed per ſe ſecundo, ſeu ratione naturæ ſpecificæ, quam includunt. Conſtat ergo, non benè ex prædictis Ariſt. verbis inferri, materiam phyſicam eſſe principium individuationis compoſiti ſubſtantialis.

29 Arg. 2. quod eſt cauſa intrinſeca prima non eſſendi unum in alio, eſt radix principii individuationis illius; ſed materia ſic ſe gerit reſpectu compoſiti, quod conſtituit; ergo, &c. Prob. min. quia ideo materia dicitur primum ſubiectum; quia repugnat illi eſſe in alio: ergo ipſa eſt cauſa intrinſeca prima non eſſendi unũ in alio; conſequenterque radix principii individuationis compoſiti ſubſtantialis. Confirm.

quia

quia in coordinatione metaphyſica individuum eſt primum ſubjectum; ſiquidem omnia, quæ in illa ſunt in recta linea prædicamentali, prædicantur de individuo, ipſumque de nullo alio prædicatur; ergo radix principii individuationis neceſſariò erit id, quod inter principia phyſica eſt primum ſubiectum; ſed hoc tantum eſt materia, ut ex dictis in 1. Phyſic. conſtat:g.&c.

30 Reſp. diſtinguendo maj. quod eſt cauſa intrinſeca prima non eſſendi unum in alio, tamquam ſuperius in inferiori, eſt radix principii individuationis, conced. quod eſt cauſa non eſſendi unum in alio, tamquam forma in ſubjecto, neg. maj. Diſtinguitur etiam min. ſed materia ſic ſe gerit; in ſecundo ſenſu prædictæ diſtinctionis, conced. in primo ſenſu, neg. min. & conſeq. Ex quo patet ad reliquum argumenti. Quæ diſtinctio, & ſolutio ſatis clarè conſtat ex dictis tam in Phyſic. pro materia prima, quam hic pro principio individuationis. Ad confirm. reſp. non eſſe ad rem, nam aliud eſt loqui de ſubiecto informationis, quod eſt materia phyſica: & aliud de ſubiecto prædicationis, quod eſt individuum; ſunt enim omninò inter ſe diſparata, diverſæque rationis, ac nullam inter ſe neceſſariam connexionem habentia, ſiquidem unum non ſupponit neceſſario aliud: ut patet in ſubſtantiis ſimplicibus, in quibus datur ſubjectum prædicationis, non tamen ſubjectum informationis, utpotè carentibus materia phyſica: quod omne eſt manifeſtum. Plura alia argumenta omittimus: quia eorum vis, veluti tantum apparens, ex ſolutionibus præcedentium penitus evaneſcit.

SECTIO III.

In qua formam phyſicam nullatenus eſſe principium individuationis ſtabilitur.

31 QUoniam aliqui ponunt pro principio individuationis totius compoſiti ſubſtantialis ſolam formam phyſicam illius. Alii autem aſſerunt huiuſmodi principium eſſe ultimam realitatem talis ſubſtantialis formæ. Alii denique dixerunt, tale individuationis principium eſſe formam, non ſolam, ſed ſimul cum materia: quibus dicendi modis, utpote rationi, & Scoto oppoſitis, neutiquam nos aſſentimur: ideò per ſequentes concluſiones illos proponemus, & impugnabimus. Igitur.

32 Dicimus 1. ſola forma phyſica non eſt principium individuationis compoſiti ſubſtantialis. Hæc concluſ. eſt contra 1. ſententiam, & licet expreſsè non habeatur apud Scotum, eſt tamen valde conformis ipſius principiis, ut patebit ex dicendis. Prob. concl. nam forma phyſica nequit non eſſe de ſe, vel entitas communis, ſeu univerſalis, vel particularis, vel ad utrumque indifferens, ut eſt per ſe manifeſtum: ſed quomodocumque dicatur, principium individuationis eſſe non poteſt; ergo, &c. Prob. min. quoad 1. p. nam entitati communi, ſeu univerſali primò, neceſſario convenit communitas; ſed hæc primò, & neceſſario repugnat principio individuationis, ut conſtat ex hucuſque dictis; ergo, &c. Prob. quoad 2. p. quia certum eſt, formam phyſicam præſtare rei eſſe ſpecificum, & eſſe partem quidditatis illius; ſed ſi eſſet entitas particularis, neque eſſe ſpecificum præſtare poſſet, neque eſſet pars quidditatis rei; eſſe enim individuale eſt aliquid ſuperadditum rei eſſentiæ, ut ſæpè diximus; ergo, &c. Prob. neque quoad 3. p.

nam

nam quod eſt indifferens ad particulare, & univerſale, non poteſt eſſe principium intrinſecum particularis determinatè: ſed eſſe individuale eſt determinatè particulare; ergo ſi forma phyſica eſſet indifferens ad utrumlibet, non poſſet eſſe principium individuationis; & conſequenter, &c.

33 Confirm. 1. quia principium metaphyſicum individuationis alicuius rei debet eſſe realiter identificatum cum illa; ſed forma phyſica eſt realiter diſtincta à tota ſubſtantia, quæ eſt res, quam componit, ut ex dictis in 1. Phyſic. patet; ergo non poteſt eſſe principium individuationis illius. Confirm. 2. quia ſola forma non eſt totum principium intrinſecum conſtituens compoſitum: ſiquidem ad hoc etiam concurrit materia: ergo ſola forma phyſica non eſt principium individuationis illius. Nec valet dicere, talem formam non ſolùm individuare totum compoſitum, ſed etiam materiam primam, unde cùm hæc unitur illi, manet numero hæc, & reſultat compoſitum numero hoc. Non quidem valet hoc: quia forma phyſica non tribuit eſſe proprium, & intrinſecum materiæ, ut ſatis ex Phyſic. conſtat; tum quia alias quoties generaretur, aut corrumperetur talis forma, etiam generaretur, aut corrumperetur toties materia; quod eſt abſurdum; tum quia materia terminat creationem, quæ eſt actio, ſeu productio ſingularis, diſtinctam realiter ab actione, per quam producitur forma: ergo hæc non dat eſſe illi: & conſequenter, &c.

34 Argumenta contra præjactam concluſ. quæ à ratione videntur deſumi, nullius ſunt momenti, ſi hucuſque dicta benè intelligantur: dumtaxat ſunt aliquæ Ariſt. auctoritates, quæ contra noſt. concl. adverſarii obiiciunt, nam in 1. Phyſic. tex. 69. formam appellat *hoc aliquid*. Et 7. Met. tex. 49. docet formam eſſe actum, qui ab invicem ſeparat, & diſtinguit indi-

individua. Et 2. Phyſic. text. 91. inquit, quod diſtinctio materiæ eſt propter diſtinctionem formæ; ergo juxta Ariſtot. forma phyſica eſt principium individuationis, tam totius compoſiti, quam materiæ primæ. Reſp. negando conſeq. Ad 1. auctorit. dicimus; verum quidem eſſe, formam eſſe *hoc aliquid*, id eſt; ſingularem, ſeu individuam: omne enim in rerum natura exiſtens eſt ſingulare; falſum tamen eſſe, ipſam eſſe principium *ut quo* individuationis (de quo in tota diſp. eſt ſermo) licet ſit ſingulare, *ut quod* per ſuam propriam hæcceitatem. Imò cum ipſe Ariſt. 2. de An. text. 2. dicit, per formam fieri *hoc aliquid*, non ſumit *hoc aliquid* pro individuo, ſeu uno numero, ſed pro eo, quod eſt perfectum, & completum, ac ſub ſpecie determinata, & ita ferè omnes eius interpretes illum exponunt.

35 Ad 2. auctorit. reſpond. ibi non loqui de diſtinctione numerica, ſed de ſpecifica, ut legenti contextum patebit; unde ſicut forma conſtituit res in certa, ac determinata ſpecie, non autem materia, quæ eſt de ſe indifferens ad omnes, ita etiam res diſtinguit ab invicem diſtinctione ſpecifica, non autem immediatè, intrinſecè, & per ſe illas diſtinguit numerica diſtinctione. Ad 3. dicimus, quod diſtinctio materiæ eſt propter formam extrinſecè, manifeſtativè, & quaſi per ſignum, ſeu quoad nos: non autem intrinſecè, & entitativè. Itaque ex eo quod agnoſcamus, unam materiam informari aliqua forma diverſa ab illa, qua altera materia informatur, rectè inferimus, illas materias numericè, ſeu individualiter diſtingui, ſiquidem eadem numero materia nequit ſimul naturaliter informari duplici forma adæquata, ut in Phyſic. manet dictum. Hoc igitur docet Ariſt. in illa auctoritate, nec aliud intendere poteſt, ut ex noſtris rationibus apertè conſtat.

Dici-

36 Dicimus 2. ultima realitas formæ phyſicæ non eſt principium intrinſecum individuationis compoſiti. Prob. nam principium individuationis realiter identficatur cum re, cuius eſt tale principium, ut ex ſuperioribus conſtat: ſed totum eſſe formæ phyſicæ, maximè ſeorſim ſumptæ, realiter diſtinguitur à toto compoſito, imò & actu exiſtit ſine illo, ut patet in anima ſeparata: ergo nihil formæ poteſt eſſe intrinſecum principium individuationis compoſiti; ac proinde nec ultima illius realitas. Confirm. quia eadem numero forma phyſica ſaltim divinitus poteſt ſucceſſivè informare plures materias; non enim aliqua eſt excogitabilis repugnantia in eo quòd eadem anima, quæ modo informat hoc numero corpus, ſeiuncta ab iſto, poſtea informet aliud eiuſdem rationis: ſed in hoc caſu eſſet eadem forma, & eadem ultima realitas illius, & tamen illa compoſita eſſent numero diſtincta: ſiquidem hoc numero compoſitum intrinſecè conſtat tam ex hac numero materia, quàm ex hac numero forma, ut patet: ergo ultima realitas formæ phyſicæ non eſt intrinſecum principium individuationis compoſiti.

37 Contra hanc concluſ. videntur militare duæ Scoti auctoritates, altera, quam adducit in 1. d. 3. quæſt. 3. §. *Contra iſtam*, *Verſ. Ad videndum*, lit. O. ubi diſtinguens differentias ultimas à non ultimis inquit, quòd differentiæ non ultimæ ſunt, quæ ſumuntur à parte eſſentiali, & à tota forma, ut v. g. rationale ſumitur ab anima intellectiva: differentiæ autem ultimæ ſunt, quæ deſumuntur ab ultima realitate formæ: ſed ultimæ differentiæ ſunt differentiæ individuales; ergo iſtæ ſumuntur ab ultima realitate formæ phyſicæ; & conſequenter, &c. Altera eſt, quam habet in 2. diſtin. 3. quæſt. 6. §. *Vlterius*, *Verſ. Comparando autem*, ſub lit. G. ubi docet, quòd differentia indivi-

duaris præciſè ſumitur ab ultima realitate formæ: g. &c.

38 Reſpond. cum Maſt. tom. 5. diſputat. 10. quæſt. 7. quod Doctor in 1. loco alleg. nomine differentiæ ultimæ non intelligit differentiam individualem, ſed ſolum ſpecificam differentiam, quæ deſumitur ab ultima realitate eiuſdem phyſicæ formæ, a qua ſecundum aliam realitatem potentialem deſumitur ratio generica; per differentiam autem ultimam intelligit differentiam ſpecificam, quæ ſumitur non à tota forma phyſica; ab hac enim etiam deſumitur ratio generica; nec ab ultima realitate talis formæ; nam hoc competit differentiæ ultimæ; ſed ſumitur ab entitate formæ, ſeu realitate illius non ut ultimatè ſimpliciter ſimplici, ſed ut ulterius partibili, ſeu reſolubili in alias realitates, modo explicato ſupra in hoc tractat. diſput. 1. ex quo patet, Scotum ibi non appellare differentiam ultimam differentiam individualem, ſed illam, quæ ſumitur ab ultima realitate formæ, & conſequenter, quod eius auctoritas non eſt oppoſita noſtræ concluſioni. Ad 2. reſpond. quod cum Doctor dicit, differentiam individualem ſumi præciſè ab ultima realitate formæ, non intelligit nomine *forma* formam partis (quam nos negamus eſſe principium individuationis compoſiti) ſed formam totius, cuius ultima realitas eſt principium individuationis illius. Eſt dicere, quod in Petro v. gr. differentia individualis illius deſumitur, non a forma partis, ſcilicet anima rationali; ſed ab ultima realitate formæ totius, nempè humanitatis; quę ultima realitas eſt illius hæcceitas, ut infra dicemus. Quæ explicatio ex ipſo contextu planè deducitur, ut illum legenti innoteſcet. Ex quo apertè apparet, Scotum non eſſe contra nos, ſed potius pro nobis.

39 Dicimus 3. forma phyſica adhuc ſimul cum materia non eſt intrinſecum principium individi-

dividuationis compoſiti ſubſtantialis. Prob. concluſ. nam principium individuationis debet eſſe aliquid extra eſſentiam compoſiti ſubſtantialis, ut conſtat ex dictis, & ipſum diſtinguens à quovis alio individuo: ſed materia, & forma ſunt partes eſſentiales compoſiti, & principia, in quibus non diſtinguuntur, ſed potius conveniunt omnia individua ejuſdem ſpeciei, ut omnes fatentur: ergo forma adhuc ſimul cum materia nequit eſſe tale principium individuationis. Confirm. quia nihil poteſt intrinſecè individuari per id, à quo eſt realiter diſtinctum; ſed forma phyſica adhuc ſimul cum materia diſtinguitur realiter à toto compoſito, ut in 1. Phyſic manet demonſtratum; g. adhuc ſic ſumpta non poteſt eſſe principium intrinſecum individuationis compoſiti.

40 Ut iſtæ rationes melius, & radicaliter percipiantur, & argumenta, quæ contra concluſ. pro qua illæ militant, facilius diſſolvi poſſint, operæ pretium erit obſervare, quod in præſenti nullatenus inquirimus principiũ phyſicum individuationis rerum materialium (de hoc enim in ſequentis fine ſectionis agemus) ſed ſcrutamur principium metaphyſicum individuationis, quod verè, & propriè dicitur individuationis principium, illud ſcilicet, quo primò, & per ſe formaliter, & intrinſecè res fit ſingularis, & de quo non reſtat perquirendũ, per quod factum ſit ſingulare, eo quòd ipſum eſt ratio formalis ſingularizandi, ſeu individuandi rem; quod non competit materiæ, & formæ etiam ſingularibus; nam iſtæ licet ſint ſingulares *ut quod*; non tamen *ut quo*; ſiquidem de illis adhuc quærendum reſtat, per quod factæ ſunt ſingulares? Unde principium individuationis formale, & mataphyſicum nullatenus eſſe poſſunt. Hoc bene obſervato, quævis argumenta contra 3. concl. facilè diluentur.

SECIO IV.

In qua Scoti ſententia circa principum individuationis declaratur, & defenditur.

14 PRo clariori hujus ſect.& totius diſp.notitia prçmittendum eſt 1.in quolibet creato, ſive phyſicè compoſito, ſive ſimplici, dari veram compoſitionem metaphyſicam ex gradibus prædicamentalibus genericis, ſpecificis, & individualibus: quæ compoſitio, ut ex dictis in Logica conſtat, non eſt merè per intellectum (aliàs poſſet admitti in Deo, quod omnes iure negant) ſed realis, ſeu ex natura rei, prædis ctorum graduum, ſeu realitatum, poſterior eſt qui ultimò determinat, & contrahit cæteroi priores, & cum illis omnibus conſtituit indiv-s dum; hic igitur ultimus gradus, ſive realita verè, & propriè dicitur differentia individualis, & principiũ individuationis totius entitatis ex talibus gradibus compoſitæ. V.g. in Petro dantur gradus, ſeu realitates ſubſtantiæ, corporis, animalis, hominis, & talis hominis, ſcilicet Petri, & hic ultimus gradus vocatur *Petreitas*. Omnes prædicti gradus (excepto ultimo) ſunt quidditativi generici, aut ſpecifici, iuxta maiorem, vel minorem eorum communitatem; ipſa autem Petreitas eſt primò ſingularis, & incommunicabilis multis, & cum reliquis gradibus conſtituit Petrum in ratione talis determinati individui, & ideò meritò ipſa dicitur principium individuationis illius.

42 Præmittendum eſt 2. quòd ſicut differentia ſpecifica eſt quædam realitas formaliter ex natura rei à realitate generis diſtincta, ipſique ſuperaddita; ita differenta individualis eſt quædam realitas formaliter etiam à natura ſpecifia diſtincta, & ei ſuperaddita, illam-

illamque contrahens, ac determinans, ut ſimul cum illa unum individuum conſtituat in eſſe individui formaliter; unde talis individualis differentia non eſt aliqua res realiter abſolutè ab illa natura in ipſo individuo diſtincta, ſicut neque differentia ſpecifica eſt aliquid ſic diſtinctum a natura generica. Verſatur tamen aliquod diſcrimen inter utramque prædictam differentiam. Diſcrimen eſt, quod differentia ſpecifica conſtituit ſpeciem in eſſe quidditativo, & quod directè per eſſentialem definitionem exprimitur; individualis autem non conſtituit individuum in eſſe quidditativo: quod patet, tum quia juxta Ariſtot. 7. Met. quod quid eſt (id eſt, quidditas) differt ab eo, cuius eſt (id eſt, ſingularitas) tum quia omnis quidditas creata eſt de ſe communicabilis, & multiplicabilis numeraliter; cuius oppoſitum intrinſecè importat differentia individualis; tum denique, quia differentia individualis ſe habet reſpectu naturæ, ſicut actus reſpectu ſuæ potentiæ; & eſt omninò certum, quod actus non eſt eiuſdem quidditativæ rationis cum potentia ſubiectiva, quam actuat, ſeu contrahit. Neque ex eo quod differentia individualis ſit actus reſpectu naturæ ſpecificæ infertur, illam eſſe perfectiorem iſta; non quidem infertur hoc, ut patebit infra ex cuiuſdam ſolutione argumenti. His ergo præmiſſis

43 Dicimus reſolutoriè: principium individuations, prout hucuſque ſumptum eſt, ſeu radix, a qua in entibus creatis oritur negatio diviſibilitatis in plura, eſt ultima realitas, ſeu formalitas entis, a qua habet eſſe determinatè hoc, quæ eſt formalitas ſeu realitas propriiſſimè vocatur a Scotiſtis *hacceitas*, eo quod conſtituit, & reddit naturam determinatè *hanc*: quæ hæcceitas eſt realiter identificata cum ipſa natura, quam contrahit, eſt tamen formaliter ex na-

tura rei ab illa diſtincta. Sic Scotus in 2. diſtinct.3.quæſt. 6. §. *Ad quæſtionem ergo*, litt. C. quem ultra ſuos diſcipulos ſequuntur plures alii. Probat. 1. concluſ. a ſufficienti partium enumeratione ex aliarum refutatione ſententiarum: nam tale individuationis principium non eſt ipſa natura ſecundum ſe, ſed aliquid ſuperadditum, hoc non eſt præcisè negatio diviſibilitatis in plura, neque ipſius naturæ exiſtentia, neque quantitas, quomodocumque hæc conſideretur, nec ullum aliud accidens, nec materia prima, adhuc ſignata quantitate; neque forma phyſica, ſive ſola, ſive ſimul cum materia; nec denique ultima realitas talis formæ, ut ex præcedentibus ſectionibus conſtat: ſed nihil aliud eſt excogitabile, quod induere poſſit rationem talis principii individuationis, præter præexplicatam hæcceitatem: ergo hæc eſt tale individuationis principium.

44 Probat. 2. ex dictis ſupra: quia ſicut natura generica contrahitur ad ſpecificam, natura ſpecifica etiam contrahitur ad individualem; ſed generica contrahitur ad ſpecificam per quamdam formalitatem, ſeu realitatem poſitivam eiuſdem prædicamenti, nempè ſpecificam differentiam; ergo, & natura ſpecifica ſic contrahi debet ad ſingularem, ſeu individuam; ſed huiuſmodi poſitiva realitas, per quam ſic contrahitur, nihil aliud eſſe poteſt, niſi illa ultima realitas, quæ hæcceitas appellatur; ſiquidem omnis alia, vel eſt generica, vel ſpecifica, vel alterius prædicamenti diverſi a prædicamento ſubſtantiæ, ac proinde inepta, ut ſic intrinſecum principium individuationis, ut per ſe patet; ergo prædicta hæcceitas dumtaxat eſt proprium, & intrinſecum principium individuationis cuiuslibet rei creatæ. Confirm. quia quævis unitas ſequitur aliquam entitatem; ergo etiam unitas numerica

ſequi-

ſequitur entitatem numericam; ſed hæc entitas non eſt formaliter ipſa natura ex ſe communis; hanc enim ſequitur unitas formalis; ergo eſt alia entitas ultra naturam; atqui hæc nulla alia eſſe poteſt niſi hæcceitas, quæ eſt entitas numerica; ergo hæc eſt prædictum individuationis principium. His, & quidem efficacibus, rationibus noſtra fulcitur concluſ. aliiſque, quæ ſi fortè deſiderentur, apud noſtrum Subtilem Magiſtrum loco ſupra citato videri poſſunt.

45 Argum. 1. contra præjactam concluſ. omnis actus ſingularis præſupponit potentiam ſingularem; ſed ultima realitas, ſeu hæcceitas eſt actus ſingularis; ergo præſupponit potentiam ſingularem; atqui huiuſmodi potentia eſt ipſa natura individuabilis; ergo hæc eſt ſingularis ante talem hæcceitatem; conſequenter iſta nequit eſſe principium individuationis. Reſp. quod hoc argumentum æquè militat contra alias ſententias, quodcumque hæ aſſignent pro principio individuationis, ut illud conſideranti patebit; ſed quatenus contra noſtram aliqua apparenti vi pugnat, reſpondetur ad illud diſting. mai. omnis actus ſingularis præſupponit potentiam ſingularem, quando talis actus non eſt ſingularitas ipſa, & potentia non eſt ad ſingularitatem, ſed ad aliam formam; conced. quando ſic ſe habet, neg. mai. & conceſſa min. neg. conſeq. Etenim quando actus non eſt ſingularitas, licet ſingularis ſit, & potentia non eſt ad ipſam ſingularitatem, ſed ad aliam formam, ut contingit in forma phyſica, quæ eſt actus reſpectu materiæ, quæ eſt potentia; & in intellectione, quæ eſt actus reſpectu intellectus, qui eſt potentia, verum eſt tales actus ſingulares præſupponere ſingulares potentias, ſiquidem nec illi ſunt ſingularitates, nec potentiæ ſunt ad ſingularitates, ſed ad alias formas. Cæterum, cum actus eſt ſingularitas ipſa, & poten-

tia eſt ad ipſam ſingularitatem, falſum eſt, illum ſupponere potentiam ſingularē; implicat enim omninò, aliquid eſſe in potentia reſpectu illius, quod actualiter habet; & quòd actu habeat id, reſpectu cuius eſt in mera potentia.

46 Arg. 2. id, quod convenit uni individuo, & repugnat alteri ejuſdem ſpeciei, neceſſariò præſupponit illa diſtincta: aliàs non eſſet ratio, ob quam magis uni repugnaret, quàm alteri, ut docet Scotus quolib. 2. ſed hæcceitas Petri v. g. convenit illi, & repugnat Joanni: ergo præſupponit illos diſtinctos: ſed non præſupponit illos diſtinctos ſpecificè: ergo diſtinctos numericè: conſequenterque hæceitates non ſunt principia individuationis eorum. Reſpond. diſtinguendo mai. quod convenit uni individuo, & repugnat alteri, &c. præſupponit illa diſtincta, ſi id, quod uni convenit, non eſt differentia primò conſtitutiva illius, conced. ſi ſit talis differentia, neg. mai. Diſting. eniam min. hæcceitas Petri convenit illi, &c. ita ut ſit differentia primò conſtitutiva illius, in eſſe talis, conced. ita ut non ſic ſe habeat, neg. min. & conſeq. & conceſſa min. ſubſumpta, neg. alteram conſeq. Itaque quando id, quod uni convenit, & alteri repugnat tantum convenit illi, ut propria paſſio, verum eſt ſupponere illud diſtinctum ab altero, cui non convenit, ut patet in riſibilitate conveniente homini, & repugnante equo. Attamen ſi illi convenit, ut differentia primò conſtitutiva illius, uti eſt hæcceitas reſpectu individui, non præſupponit illud diſtinctum ab illo, cui repugnat, ſed potiùs talem diſtinctionem ponit. Patet hoc in Divinis perſonis; Paternitas enim convenit Patri, & repugnat Filio, & tamen illos non præſupponit aliquomodo diſtinctos, eo quòd conſtituit Patrem in eſſe Patris. Etiam in creatis; nam rationalitas convenit homini, & repugnat bruto, & tamen non præſupponit illium diſtinctum ab iſto, ut patet; ſed talem diſtinctionem po-

nit, eo quod rationalitas eſt conſtitutiva hominis in eſſe talis, & principium conſtitutivum eſt etiam principium diſtinctivum.

47 Argum. 3. ea, quæ per hæcceitates differunt, intrinſecè, & ſubſtantialiter differunt; ſed quæ intrinſecè, & ſubſtantialiter differunt, nequeunt non differre eſſentialiter; ergo quæ differunt per hæcceitates, differunt eſſentialiter; atqui quę tantùm numericè differunt, non differunt eſſentialiter, ut ſupra manet dictum: ergo hæcceitates non ſunt principia numericæ diſtinctionis, ſeu individuationis. Confirmat. quia illa, quæ differunt inter ſe, & non per paſſiones, ſeu proprietates, aut per accidentia, neceſſariò eſſentialiter differunt; ſed quæ differunt per hæcceitates, non differunt per paſſiones, ſeu proprietates, aut per accidentia, ergo differunt eſſentialiter; ſed differētia individualis non eſt eſſentialis; ergo, &c. Prob. mai. ex Porphyrio cap. de differentia, ubi triplicem tantùm differentiam aſſignat: unam communem, quæ eſt per accidentia communia, ut per albedinem, calorem, &c. aliam propriam, quæ eſt per proprietates convenientes rei in ſecundo modo dicendi per ſe, ut per riſibilitatem v.gr. in homine, per rugibilitatem in leone, &c. aliam denique propriiſſimam, quæ eſt per differentiam eſſentialem, & in primo dicendi per ſe, ut per rationalitatem in homine, &c. ergo quæ differunt, & non differunt primo, nec ſecundo modo, ut quæ differunt per hæcceitates, differunt tertio modo, ſcilicet eſſentialiter, & conſequenter, &c.

48 Reſpond. ad argum. concedendo mai. & negando min. & conſeq. Deinde conceſſa min. ſubſumpta, neg. conſeq. licèt enim verum ſit, quod quæ differunt differentiis ſubſtantialibus intrinſecis eſſentialibus, differunt eſſentialiter; falſum tamen eſt, quod omnia, quæ differunt differentiis ſubſtantialibus intrinſe-

cis individualibus, eſſentialiter differant; nam licet iſtæ comparentur ad naturam, ſicut actus ad potentiam, non tamen ſunt differentiæ formales, ſed materiales tantum, & ſic ad quidditatem formaliter non pertinent, ut conſtat ex dictis in hac ſect. numer. 40. Ad confirm. neg. maior. Cuius probationis neg. conſequen. nam Porph. ibi ſub nulla ex illis differentiis comprehendit individualem: eo quod in illo loco tantum intendit agere de differentiis, quæ poſſunt fundare univerſalitatem, ſeu de pluribus prædicari poſſunt; quod differentiæ individuali omninò repugnat. Hoc idem manet dictum in Log. tract. de Univerſalibus diſputat. 8. quæſtion. 2. numer. 4. ubi etiam diximus, differentiam individualem poſſe aliquomodo reduci ad differentiam propriiſſimam.

49. Argum. 4. quod ſe habet ut actus, eſt perfectius illo, quod ſe habet ut potentia reſpectu illius: ſed ſi hæcceitas eſſet principium individuationis, ſe haberet, ut actus reſpectu naturæ ſpecificæ, quæ ſe habet, ut potentia reſpectu illius: ergo hæcceitas eſſet perfectior, & nobilior natura ſpecifica: ſed hoc eſt falſum: ergo, &c. Major patet; nam differentia ſpecifica eſt perfectior natura generica, reſpectu cuius ſe habet ut actus. Reſpond. negando mai. nam ſic abſolutè prolata eſt falſa: nam quivis actus non ſemper eſt perfectior, & nobilior potentia, quam actuat; accidens enim actuat, & aliquomodo perficit ſubſtantiam, & tamen nullus dicet, eſſe perfectius illa, eo quod in illa ponit perfectionem tantum ſecundum quid: actus igitur eſt perfectior potentia ſibi correſpondente, cæteris paribus, & maximè quando illam actuat intra eundem ordinem, quo modo non actuat differentia individualis naturam ſpecificam, ſiquidem actuat illam extra ordinem quiddita-

ti-

tivum, ut ex ſupradictis conſtat. Ex quo ad maioris probationem dicimus, maximum quoad hoc verſari diſcrimen inter differentiam ſpecificam, & individualem differentiam; illa enim pertinet ad rei quidditatem, ad quam etiam pertinet realitas generica, quam actuat, proptereaque ipſam perficit intra eundem ordinem quidditativum, & eſt perfectior illa. Cæterum differentia individualis eſt extra ordinem quidditativum, & eſt non formalis, ſed materialis tantum differentia; ideoque, quia non actuat naturam intra eumdem ordinem quidditativum, ſolum ſecundum quid perficit illam, ac abſolutè dici non poteſt nobilior, & perfectior illa.

50 Argum. ultimo: principium individuationis excludit omnem communitatem; ſed hæcceitas ſupra explicata non excludit omnem communitatem; ergo non benè aſtruitur tamquam principium individuationis. Mai. ex dictis eſt manifeſta; min. autem probat: quia omnes hæcceitates peculiares, hæcceitas v. gr. Joannis, hæcceitas Franciſci, &c. quidditativè conveniunt in communi ratione hæcceitatis, iſtæ enim propoſitiones ſunt veræ; hæcceitas Joannis, ſeu Joanneitas, eſt hæcceitas; hæcceitas Franciſci, ſeu Franciſceitas, eſt hæcceitas, & ſic de cęteris; ſed non eſſent veræ, ſi tales hæcceitates non convenirent in ratione hæcceitatis communi; g. hæc non excludit omnem communitatem; & conſequenter, &c.

51 Reſpond. diſtinguendo maior. principium individuationis excludit omnem communitatem, fundatam in aliqua realitate, ſeu formalitate, conced. fundatam præcisè in aliquo conceptu penes intellectum imperfectè concipientem, neg. maior. Diſting. etiam min. hæcceitates peculiares quidditativè conveniunt in ratione communi hæcceitatis, ita ut hæc ratio ſit aliqua realitas, ſeu formalitas hæcceitatis,

neg. ita ut ſit præciſè aliquis illius conceptus penes intellectum imperfectè concipientem, conced. min. & neg. conſeq. Eodem modo diſtinguendus totius ſyllogiſmus probationis. Utique ergo datur ratio communis hæcceitatis ut ſic; talis tamen ratio non fundatur in aliqua realitate, quæ ſit per aliam realitatem contrahibilis, & communis illis hæcceitatibus: ſicut realitas animalis v. gr. eſt contrahibilis per aliam realitatem, v. gr. rationalitatem, & eſt communis ſuis ſpeciebus; ejuſmodi ergo hæcceitatis ratio communis fundatur in aliquo ipſius conceptu penes intellectum imperfectè illam concipientem, ita ut talis hæcceitas licet ſit impartibilis, & ſimplex quoad realitatem, eſt tamen partibilis, & compoſita ex conceptibus penes intellectum imperfecte concipientem illam. Ex quo patet, quod hæcceitas quoad realitatem omnium communitatem excludit. Hæc reſponſio clarius intelligetur, ſi dicta in 1. diſp. huius tract. circa univocationem entis recolantur. Obſervandum eſt tamen, nos hic non opponi dictis in Log. tract. de Univerſal. lib. diſp. 7. q. 2. n. 3. ibi enim tantùm intendimus, non poſſe abſtrahi ab individuationibus aliqua ratio communis fundata in realitate, & idem modò aſſerimus, ut ex dictis conſtat.

52 Pro totius qu. complemento dubitatur, quodnam ſit principium phyſicum individuationis tam in ſubſtantiis completis compoſitis, quam in ſimplicibus? Hoc eſt, quænam ſit illa phyſica entitas, à qua pullulat, hæcceitas præ explicata in ſect. præcedenti? Reſpond. huiuſmodi principium, ſeu phyſicam entitatem in ſubſtantiis compoſitis, eſſe illam entitatem compoſitam, quæ reſultat ex tali numero materia, & ex tali numero forma, tamquam quid realiter ab illis diſtinctum, ut in 1. Phyſic. latè manet oſtenſum. Ratio pro hac reſolutione eſt; quia ab eo habet ſubſtantia compoſita quod

ſit

ſit phyſicè una numericè, à quo habet talem propriam ipſius entitatem: nam à quo aliquid habet eſſe ens, ab eo habet eſſe unum, ſeu tale, ut eſt per ſe notum; ſed ſubſtantia compoſita non habet eſſe ens, niſi tantùm cauſativè, à ſola forma, neque à ſola materia, neque ab utraque ſimul, ut in loco præallegato eſt demonſtratum, ſed habet eſſe tale ens ab illa entitate phyſica compoſita: g. ſolùm hæc eſt phyſicum principium individuationis ſubſtantiæ compoſitæ. Confir. quia omnia prædicata, ſeu realitates, quæ per ſe ſpectant ad prædicamentalem coordinationem, deſumi debent ab illa entitate phyſica, quæ pertinet per ſe, & directè ad prædicamentum, ut eſt perſpicuum: ſed tantum prædicta phyſica entitas compoſita pertinet per ſe, & directè ad prædicamentum; nam materia, & forma ſolum reductivè in illo ponuntur, ut ex dictis in Logica conſtat; ergo ſola illa eſt principium phyſicum talis individuationis.

53 In entibus autem phyſicè incompletis, uti ſunt materia, & forma, & in entibus phyſicè ſimplicibus creatis, qualia ſunt Angelus, & anima rationalis; & in formis accidentalibus, ut ſunt quantitas, qualitas, &c. principium phyſicum individuationis, ſeu illa radix, à qua deſumitur metaphyſicum huiuſmodi principium; videlicet hæcceitas, eſt ipſa entitas phyſica prædictorum entium. Ratio pro hac reſolutione eſt eadem, ac pro præcedenti, nimirum, quod unitas eſt paſſio entis: ergo ab eo habet aliquid eſſe unum, à quo habet eſſe ens; ſed prædicta entia habent eſſe talia à phyſica ipſorum entitate; ergo & ab iſta habent phyſicè individuationem, ſeu numericam entitatem: & conſequenter, &c.

Et hæc ſufficiant pro hoc brevi Metaphyſicæ tractatu, & toto noſtro philoſophico curſu, in quo quidquid diximus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, utpotè infallibili totius catholicæ veritatis

re-

regulæ ſubjicimus humiliter, atque libenter. Cedant utinam omnia in laudem,& gloriam D. O.M.ac Sanctiſſimæ Domini noſtri Jeſu Chriſti Parentis,Reginæque noſtræ Virginis MARIÆ, cujus illibatam, & abſque omni prorſus peccati labe conceptionem toto cordis affectu; plenoque mentis jubilo celebramus, cùm huic, exili quidem, operi, ultimam manum imponimus. Ac denique cedant in honorem digniſſimi tam cæleſtis Sponſæ Sponſi Sanctiſſimi Patriarchæ Joſeph, nec non & Seraphici P.N. Franciſci. Amen.

Sit honor, & gloria D.O.M.

IN-

INDEX

Tam Tractatuum, quam Librorum, Diſputationum, Quæſtionum, & Sectionum, quæ in hoc tertio Tomo Curſus Philoſophici continentur.

LIBER PRIMUS.

De Gener. & Corrupt.

Diſp. 1. *De generatione ſubſtantiali.*

QUæſt. 1. *Quænam ſit generationis ſubſtantialis natura?* pag. 6
Quæſt. 2. *Quodnam ſit ſubiectum generationis?* 12.
Quæſt. 3. *Quidnam ſit terminus ad quem generationis ſubſtantialis?* 19

Diſp. 2. *De corruptione entis naturalis.*

Quæſt. 1. *Quid ſit corruptio ſubſtantialis?* 27
Quæſt. 2. *Quem ordinem inter ſe ſervent generatio, & corruptio?* 34
Quæſt. 3. *Quid, & qualis ſit viventium generatio?* 42
Quæſt. 4. *Utrùm in viventibus detur præter animam, ſubſtantialis forma corporeitatis?* 51
Sectio. 1. *In qua concluſio noſtra ſtatuitur, philoſophiciſque rationibus fulcitur.* 53
Sectio 2. *In qua noſtra concluſio rationibus Theologicis roboratur.* 64
Sect. 3. *In qua argumentis ſatisfacere intenditur.* 69.
Quæſt. 5. *Quodnam ſit proprium, & adæquatum accidentium ſubiectum?* 78

Quæſt.

Quæſt. 6. *An in ſubſtantiali generatione, & corruptione fiat reſolutio uſque ad materiam primam?* 89

Diſp. 3. *De alteratione entis naturalis.*

Quæſt. 1. *Quid ſit alteratio, & in quo differat à generatione?* 96

Quæſt. 2. *Utrum alteratio ſit motus continuus?* 104

Quæſt. 3. *Quomodo fiat qualitatis intenſio?* 109

Quæſt. 4 *Utrum omnes gradus qualitatis intenſa ſint eiuſdem rationis, ſeu perfectionis?* 124

Diſp. 4. *De nutritione, & augmentatione.*

Quæſt. 1. *In quo formaliter conſiſtat nutritio, & quomodo fiat?* 135

Quæſt. 2. *Quomodo fiat, & in quo conſiſtat formaliter augmentatio?* 140

Quæſt. 3. *Utrum augmentatio, & nutritio ſint motus realiter diſtincti?* 145

Quæſt. 4. *Utrum nutritio, & augmentatio ſint motus continui, atque ſucceſſivi?* 150

Quæſt. 5. *Utrum vivens ſecundum omnes ſuas partes nutriatur, & augeatur, & an idem numero maneat toto tempore, quo vivit?* 161

Diſp. 5. *De rarefactione, & condenſatione.*

Quæſt. 1. *Quomodo rarefactio, & condenſatio entium naturalium fiat?* 170

Quæſt. 2. *Utrum in rarefactione nova quantitas acquiratur, & in condenſatione deperdatur?* 177

Diſp. 6. *De actione, & reactione:*

Quæſt. 1. *Quomodo activitas, & reſiſtentia primis conveniant qualitatibus?* 184

Quæſt. 2. *Utrum actio ſemper procedat a proportione majoris inæqualitatis?* 188

Quæſt. 3. *Utrum agens naturale in aliud omnino ſibi ſimile agere poſſit?* 192

Qu. 4. *Utrum omne agens in agendo repatiatur?* 201

De Gener. & Corrupt.

Diſp. 1. *De elementis, primiſque qualitatibus.*
Quæſt. 1. *Quid quotuplexque ſit elementum?* 205
Quæſt. 2. *Quid ſint quatuor primæ qualitates, & quomodo elementis conveniant?* 208
Quæſt. 3. *Utrum quodlibet elementum ex quovis alio generari poſſit?* 212
Quæſt. 4. *Utrum duæ qualitates contrariæ poſſint ſimul eſſe in eodem ſubiecto?* 221
Diſp. 2. *De Mixtione elementorum.*
Quæſt. 1. *Utrum mixtio ſit naturaliter poſſibilis?* 227
Quæſt. 2. *Quomodo elementa maneant in mixto?* 230
Quæſt. 3. *Vtrum in mixtis temperamentum æquale ad pondus dari poſſit?* 240
Diſp. ult. *De productione rerum.*
Quæſt unica. *Vtrum res ſemel corrupta poſſit per aliquam potentiam reproduci?* 245

TRACTATUS IN TRES LIBROS

Ariſt. de Anima.

LIBER PRIMUS.

De Anima.

Diſp. 1. *De eſſentia animæ ut ſic.*
Quæſt. 1. *Utrum anima rectè, & eſſentialiter ab Ariſt. definiatur.* 258
Quæſt. 2. *Quot ſint animæ, quot gradus viventium quotque illarum potentiæ?* 264
Quæſt. 3. *Vtrum in eodem vivente dentur plures animæ?* 272

Quæ-

Quæſt. 4. *Utrùm anima rationalis ſit formaliter vegetativa, & ſenſitiva?* 279
Quæſt 5 *Utrùm omnes animæ eiuſdem ſpeciei ſint individualiter æquè perfectè?* 282
Quæſt. 6. *Utrùm omnes animæ ſint indiviſibiles?* 2[illegible]
Quæſt. 7. *Quanam viventis partes ab anima informentur?* 295

Diſp. 2 *De potentiis animæ in communi.*

Quæſt. 1. *Quomodo potentiæ animæ ab illa, & inter ſe ipſas diſtinguantur?* 302
Quæſt. 2. *Utrùm potentiæ ſpecificentur ab actibus, & actus ab obiectis?* 310

LIBER II.

De Anima.

Diſp. 1. *De Anima vegetativa.*

Quæſt. Unica, *Quid ſit anima vegetativa, quæque illius potentiæ?* 318

Diſp. 2. *De Anima ſenſitiva.*

Quæſt. 1. *Quid ſit anima ſenſitiva, quæque eius potentiæ, & an hæ activæ, & paſſivæ ſint?* 324
Quæſt. 2. *Utrùm ſenſibile commune, & ſenſibile proprium per eandem ſpeciem percipiantur?* 328
Quæſt. 3. *Utrùm ad ſenſationem neceſſario requiratur realis præſentia obiecti?* 333
Quæſt. 4. *Utrùm ſenſibile proprium indiviſibiliter exiſtens à ſenſu percipi poſſit?* 336

Diſp. 3. *De ſpeciebus impreſſis ſenſibilibus.*

Quæſt. 1. *An dentur, aut ſint neceſſariæ, & quid ſint ſpecies impreſſæ ſenſibiles?* 341
Quæſt. 2. *Quomodo ſpecies impreſſæ concurrant cum potentia ſenſitiva ad ſenſationem?* 346

Quæ-

Quæſt. 3. *Quænam ſit cauſa ſpecierum ſenſibilium?* 351
Quæſt. 4. *An ſpecies ſenſibiles aliqua gaudeant extenſione, aut intenſione?* 355.
Quæſt. 5. *Utrùm ſenſibili poſito ſupra ſenſum, poſſit fieri ſenſatio?* 361
Diſp. 4. *De ſenſibus externis in particulari.*
Quæſt. 1. *Quodnam ſit ſubiectum, ſeu organum potentiæ viſivæ?* 364
Quæſt. 2. *Quid ſint color, lux, & lumen; & quomodo inter ſe diſtinguantur?* 368
Quæſt. 3. *Quomodo lumen requiratur ad viſionem coloris?* 374
Quæſt. 4. *Quodnam ſit organum potentiæ auditivæ?* 378
Quæſt. 5. *In qua aliquæ difficultates circa ſonum reſolvuntur.* 380
Quæſt. 6. *In qua ea, quæ ad ſenſum olfactus ſpectant, examinantur.* 384
Quæſt. 7. *In qua ea, quæ ad ſenſum guſtus pertinent, elucidantur.* 387
Quæſt. 8. *In qua ea, quæ ad ſenſum tactus attinent, diſquiruntur.* 390
Diſp. 5. *De ſenſu interno, ſeu communi.*
Quæſt. 1. *Quid, & quotuplex ſit ſenſus internus?* 395
Quæſt. 2. *Quodnam ſit obiectum ſenſus interni?* 400
Diſp. ult. *De appetitu ſenſitivo.*
Quæſt. unic. *Quid, & quotuplex ſit appetitus ſenſitivus, quodnamque eius obiectum, & ſubiectum?* 407

De Anima.

Diſp. 1. *De Anima intellectiva, ſeu rationali.*

Quæſt. 1. *Quot, qualiaque ſint munera tam intellectus agentis, quam poſſibilis?* 413
Quæſt. 2. *An, & quomodo phantaſma concurrat cum intellectu agenti ad productionem ſpeciei intelligibilis?* 421
Quæſt. 3. *Quomodo intellectus agens, & paſſibilis diſtinguantur?* 430

Diſp. 2. *De obiecto noſtri intellectus.*

Quæſt. 1. *Quodnam ſit adæquatum noſtri intellectus obiectum?* 435
Quæſt. 2. *Quodnam ſit primum cognitum noſtri intellectus pro hoc ſtatu?* 443
Quæſt. 3. *Vtrum ſingulare pro hoc ſtatu cognoſcatur a noſtro intellectu ſub ratione formali ſingularis?* 418

Diſp. 3. *De Intellectione.*

Quæſt. 1. *Quid formaliter entitativè ſit intellectio noſtra?* 453
Quæſt. 2. *In quo formaliter conſiſtat intelligere creatum?* 461
Quæſt. 3. *Vtrum intellectio poſſit a ſolo Deo produci in noſtro intellectu, iſto merè paſſivè ſe habente?* 464
Quæſt. 4. *Vtrum intellectio creata ſit verbum mentis?* 467
Quæſt. 5. *Quid ſint, & in quo differant cognitiones intuitiva, & abſtractiva?* 472

Diſp. 4. *De actibus, & habitibus intellectus.*

Quæſt. 1. *Quænam, & quidnam ſint tres intellectus operationes?* 482
Quæſt. 2. *In quo formaliter ratio veritatis formalis conſiſtat?* 484
Quæſt. 3. *In qua aliqua diviſiones actus intellectus proponuntur?* 488

Diſp. 5. *De voluntate:*

Quæſt. 1. *Quid ſit voluntas, quodnamque ſit illius adequatum obiectum?* 493
Quæſt. 2. *Utrum voluntas ſit cauſa effectiva totalis, & adequata ſuorum actuum?* 501
Quæſt. 3. *Utrum voluntas ſit potentia nobilior intellectu?* 505

Diſp. 6. *De Anima ſeparata.*

Quæſt. 1. *An ſtatus ſeparationis ſit animæ naturalis, an violentus?* 509
Quæſt. 2. *Quæ potentiæ maneant in anima ſeparata?* 512
Quæſt. 3. *Quænam obiecta cognoſcat anima ſeparata, & per quas ſpecies?* 516

TRACTATUS IN METAPHISICAM.

Diſp. 1. *Quæ eſt proœmialis.*

Quæſt. 1. *Quodnam ſit obiectum Metaphyſicæ?* 523.
Quæſt. 2. *Sub qua ratione ens reale dicatur obiectum Metaphyſicæ?* 535

Diſp. 2. *De natura entis, & illius diviſionibus.*

Quæſt. 1. *Utrum ens reale dicat unum conceptum, tam formalem, quam obiectivum perfectè præciſum à ſuis inferioribus?* 542

Quæ-

Quæſt. 2. *Utrùm prædictus conceptus entis ſit præciſus à Deo, & creaturis ante operationem intellectus? Seu an ex natura rei ab illis diſtinguatur?* 553
Quæſt. 3. *An conceptus entis ſit univocus Deo, & creaturis ſubſtantiæ, & accidenti?* 569
Quæſt. 4. *Utrùm ens includatur formaliter, & quidditativè in ultimis differentiis.* 578
Quæſt. 5. *An ens quidditativè in propriis paſſionibus includatur?* 596
Sectio 1. *In quo paſſiones entis conſiſtant, & quo modo ab ente, & inter ſe diſtinguantur? ibid.*
Sectio 2. *In qua reſolvitur quæſtio.* 603
Quæſt. 6 *In qua reſolvuntur aliqua dubia ad prædictorum intelligentiam conducentia.* 608
Quæſt. 7. *Quomodo dividatur ens?* 614
Sect. 1. *Qualis ſit diviſio entis in ens reale, & rationis?* 615
Sect. 2. *An ens finitum ſit genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis?* 622
Quæſt. 8. *Quid ſit modus intrinſecus, & quomodo à re, cuius eſt modus, diſtinguatur?* 634
Sect. 1. *Pro prima parte quæſtionis.* 636
Sect. 2. *Pro ſecunda parte quæſtionis.* 642
Corollaria. 649

Diſp. 3. *De pertinentibus ad eſſentiam, & exiſtentiam.*

Quæſt. 1. *Quid per eſſentiam, quidque per exiſtentiam intelligatur?* 652
Quæſt. 2. *An exiſtentia realiter ab eſſentia diſtinguatur?* 656
Quæſt. 3. *Utrùm eſſentia, & exiſtentia creata diſtinguantur formaliter ex natura rei?* 674
Quæſt. 4. *In qua reſolvuntur in aliqua dubia.* 680

Diſp. 4. *De ſubſiſtentia entis naturalis.*

Quæſt. 1. *Quid ſit ſubſiſtentia?* 685
Quæſt. 2. *Utrum ſubſiſtentia ſit aliquid à natura* ſin-

ſingulari diſtinctum? 689
Quæſt. 3. *An id, quod formaliter importat ſubſiſtentia creata, ſit quid poſitivum, an potius negativum?* 693
Quæſt. 4. *Utrùm perſonalitas creata importet pro formali plures negationes communicationis, vel unicam tantum.* 712
Quæſt. 5. *Quibus rebus conveniat ratio ſubſiſtentiæ.* 716
Diſp. 5. *De principio individuationis.*
Quæſt. unic. *Quodnam ſit principium individuationis entis naturalis?* 724
Sect. 1. *In qua neque exiſtentiam rei, neque aliquod illius accidens eſſe principium individuationis eius demonſtratur.* 727
Sect. 2. *In qua materiam, quomodocumque inſpectam, non eſſe principium individuationis oſtenditur.* 734
Sect. 3. *In qua formam phyſicam nullatenus eſſe principium individuationis ſtabilitur.* 746
Sect. 4. *In qua Scoti ſententia circa principium individuationis declaratur, & defenditur.* 750

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google